Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Sevilla

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. LEONIS EIVSNOMINIS I. ROMANI PONTIFICIS, OB EXCELLENTEM ERVDITIONEM ET INSIGNEM VITAE SANCTIMONIAM, IAMOLIM MAGNI COGNOMEN OBtinentis, Opera, quæ quidem haberi potuerunt, omnia, magno labore ad manuſcriptorum codicum fidem à permultis, ijsq; fœdis mendis nunc denuò repurgata, per F. Laurentium Surium Carthuſianum: cuius etiam ſtudio iam recèns acceſſerunt Quinq; eiuſdem Leonis Epiſtolæ, hactenùs prælo non commiſſæ.

HIS ADIVNXIMVS D. LEONIS IX. ÆQVE Romani Pontificis eruditas aliquot lucubrationes, nunquàm antehàc typis excuſas.

Cum INDICE nouo ac copioſo.



COLONIAE AGRIPPINAE,
APVD IOANNEM BIRCKMANNVM,
ANNO SALVTIS M. D. LXIX.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſa. Maieſtatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNES DEI GRATIA POSTVLATVS AC CONFIRMATVS IN EPISCOPVM ECCLESIAE OSNABRVGENSIS.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. IOANNI EPISCOPO MONASTERIENSI, ADMINISTRATORI OSNABRVGENSI ET POstulato Ecclesiæ Paderbornensis, Comiti in Hoya & Bruchausen, Domino suo clementissimo.

S. P. D.

CVM ante annos aliquot in corrigendis D. Leonis reuerà Magni, eius nominis primi Romani pontificis operibus, horis succisiuis permultum temporis ac operæ posuissem, præsul amplissime, idemq; doctissime ac integerrime, iamq; eò ventum esset, vt de excellenti aliquo heroe, cuius auspicijs, quemadmodum iam more comparatum videmus, tantus pontifex non paulò quàm vnquàm antehac castigatior prodiret in publicum, cogitatio mihi suscipienda foret, commodum euenit, vt apud me Tuæ Celsitudinis laudes non semel prolixè & honorificè prosequeretur vir honestus, huius Agrippinensis Coloniæ ciuis ac bibliopola, Ioannes Byrckmannus, tuæ amplitudinis, vt animaduerti, cumprimis studiosus. Cùm igitur multa ille mihi narrasset de T.C. præclaris eximijsq; animi dotibus, de insigni ac multiplici eruditione, de multarum linguarum haud vulgari cognitione & peritia, equidem non immeritò facilè permotus fui, vt quicquid in beatissimi Leonis elegantissimis lucubrationibus ad manuscriptorum exemplarium fidem castigandis studij collocassem, T.C. præsul ornatissime vel præcipuè dedicandum existimarem. Adiunximus autem, studiosis omnibus gratificaturi, Leoni I. Leonem IX. æquè Romanum pontificem, nunquam anteà, quod equidem sciam, typis excusum, cuius scripta eam præ se ferunt maiestatem & grauitatem, vt iure meritoq; cum Leone Magno coniungendus videretur. Scripsit is ante annos quingentos contra insolentiam Græcorum, Latinos eo nomine proscindentium, quod in azymis Eucharistiam conficerent: sed ita scripsit, vt illorum tumorem miro sententiarum ac verborum pondere planè compresserit. Quanquam Græci semper ferè in sua sententia libenter animo obstinato permansere, atque à Latina Ecclesia & primaria beatissimi Petri sede contentiose discreparunt, donec tandem iusto Dei iudicio in Turcicam sunt redacti seruitutem, & plusquam Babylonicam captiuitatem: quod vtinam nō quandoq; etiam vobis Germanis eueniat, qui hodiè tantoperè de religione digladiamur, atque alias ex alijs sectas fingimus, illamq; sedem non modò non agnoscimus, sed etiam Antichristicam & nescio quid non, acerbius sanè quàm religiosiùs appellamus, cùm nos longè aliud hortetur Christiana modestia. Verùm hoc fortassis παρέργως. Itaque vt dicere cœperam, ego vtrunque hunc sanctissimum pontificem T.C. id est, spectatissimo & integerrimo antistiti nuncupatum volui: neq; est quòd verear hoc quicquid est muneris, literarij tuæ amplitudini minùs gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum fore, quòd ab homine obscuro ac imperito tanto principi offeratur, cùm ille sit animi tui candor, ea morum comitas, erga studiosos beneuolentia ac liberalitas, vt cupias gratificari omnibus, nec quicquam possis fastidire, quod sit animo candido oblatum. Mihi quidem sic persuasum habeo, sanctissimos atque doctissimos pontifices, nulli rectiùs atque eruditissimo & sapientissimo pontifici nuncupari potuisse: neque verò, quò minùs id facerem, mea me exiguitas debuit absterrere. Fateor sanè non iniuria mirum quibusdam videri posse, cur ego Leonem I. T. C. tanquam castigatiorem dedicare voluerim, cùm ille ante annos non ita multos bonorum atque doctorum virorum studio emendatus sit. Verùm illis paucis ego satisfactum velim, exijsse quidam etiam antea Leonem nonnihil à mendis repurgatum, sed ita tamen, vt locis permultis adeò obscurus, vitiatus ac deprauatus permanserit, vt lectori studioso minimè posset satisfacere, imò verò etiam tædium ac molestiam adferret. Quid igitur? Plúsne in me aut diligentiæ, aut iudicij fuisse putandum est, vt quod illis animaduersum non est, ego perspexerim? Tantum ego mihi non sumo: imò ingenuè fateor illorum laboribus plurimùm me adiutum esse: sed tamen loca non pauca, imò admodùm multa iam altera vice (bis enim in Leone restituendo à me sudatum est) scriptorum exemplarium adminiculo restituisse me diligens lector comperiet. Fortassis enim illis exemplaria præstò non fuere, sine quibus tamen nihil potest effici. Nemo ergo me putet optimorum virorum sanctissimis conatibus vel tantillum velle derogatum. Præstitere enim illi quantum licuit, & tamen etiam alijs quædam castiganda reliquere: vti ego quoque ingenuè confiteor non me totum Leonem suæ vbique integritate adeò restituisse, vt nihil iam reliquum sit castigatione dignum. Aliquot enim locis adeò nihil potuit subsidij haberi ab exemplaribus manuscriptis, præsertim in editione priori, vt vel inuitus coactus sim ita vt erant ea relinquere. quod multo etiam malui, quàm temerè quicquam immutare: quæ tamen pleraque omnia in hac posteriori castigatione, plura interim nactus exemplaria, diligenter emendare studui. Nec mirandũ sanè est tam fuisse exemplaria deprauata, cùm ipse Leo fateatur etiam tum, cùm adhuc in humanis ageret, vitiatam fuisse epistolam illam suam longè omnium celeberrimam, in Chalcedonensi Synodo tot patrum sententijs & acclamationibus tantoperè comprobatam atq; laudatam, quam ad Flauianum vrbis Constantinopolitanæ episcopum scripserat, quæ ordine decima est. Eiusmodi exemplarium corruptio, varietas ac discrepantia plerunq; accidit librariorum vel oscitantia, vel imperitia: & quamuis tum quoque iure culpanda sit, longè tamen plus & vitij, & iustæ animaduersionis habet, cùm ab improborum ac versutorum hominum fraude & impostura proficiscitur. Solent enim hæretici (quod est reuerà genus hominum humano generi longè omnium perniciosissimum) nedum sanctorum patrum monumenta, sed ipsa etiam scripta diuina violare atque corrumpere, & veris, ac genuinis sententijs commentitias substituere, vt habeant quo sua prauta dogmata tueantur: adeò nullum potest tam immane esse sacrilegium, tam audax & nefariũ facinus, tam impudens flagitium, quod non illi libenter designent, tantùm

tantũ vt animas perdant, pro quibus Christus sanguinem profudit suum, nomenq; suum etiam summa cum ignominia & execratione ad posteros transmittant, haud aliter atq; Herostratus ille vir scelestus & ignauus, qui vt nomen memoria sceleris propagaret, templum nobilissimũ Ephesiæ Dianæ, quod summæ magnificentiæ fuit & admirationis apud priscos, ducentis viginti annis factum à tota Asia, suis ipse manibus incendit. Quod ad vtrunq; Leonem attinet, possem equidem in eorum laudibus quantum visum esset magna cum voluptate immorari, sed superfluum videri possit, fortassis etiam temerariũ, cùm sint ipsi per se commendatissimi. In vtroq; hoc diligenter obseruandum venit, quòd Romanæ sedis primariam in ecclesias omnes authoritatem, quam vt superiorum ætatũ hæretici omnes, ita hodiè illi quoq;, qui noua dogmata sub euangelij prætextu serunt, mirum in modum eleuare, vel potiùs penitùs pessum premere nituntur, summa constantia ac maiestate vbiq; propugnant, ac iure meritoq; vsurpant, vt potè non ab homine, sed ab ipso Christo Domino illi sedi traditam. Leo I. posteaquàm resciuit Anatolium Constantinopolitanum Episcopum à Chalcedonensi Synodo callidè impetrasse, vt qui Constantinopolitanam gubernaret Ecclesiam, is dignitate proximus esset Romano pontifici, nulla ratione assentiri voluit, sed quicquid ea in re actum fuerat, in irritum planè redegit, grauissimè interim taxans & arguens ambitum Anatolij. Anastasio quoq; Thessalonicensi episcopo, cùm abusus esset potestate à Romana sede ipsi demãdata, eam authoritatem ademit, propterea quòd in partem solicitudinis, vt Leo ipse scribit, non in plenitudinem potestatis admissus, Romanum pontificem ijs in rebus consulere noluisset, in quibus meritò illum consulere debuerat. Eiuscemodi ferè etiam in Leone nono videre licet. Sed qui hoc nostro turbulentissimo æuo Euãgelicos se & dici & haberi volunt, vtinam etiam esse velint, Romanum pontificem non modò cogunt in ordinem, sed planè nullam eius authoritatem esse contendunt. Atqui non poterunt illi ea CHRISTI Domini verba mutare, quibus ait: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quæ Christi oratio in hanc vsque diem suo non frustratur effectu. Esto, non talis fuerit quorundam pontificum vita, qualem esse oportebat: sed nihil hoc derogat cathedræ illius authoritati. Super cathedram Moysi, ait Christus, sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque dicunt, facite. Vita præpostera præiudicare non debet potestati diuinitùs collatæ, ne tandem omnia apud nos propter malos dispensatores ministros reuocentur in dubium. Si enim illi duntaxat audiendi sint, quorum vita est omni ex parte inculpata, nihil in religione certum poterit constitui, cùm incertum sit vtrum diuino iudicio boni sint & inculpati, qui hominibus tales esse videntur. Cuidam enim in Apocalypsi dictum legimus: Nomen habes quòd viuas, sed mortuus es. Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo. Alia sunt hominum, alia Dei iudicia: & sæpè hominibus nitidum in primis ac speciosum appareat, quod sordet apud Deum. Non ergo iudicandi, multò etiam minùs contemnendi sunt præpositi ecclesiarum, quibus Christus ait. Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Vtinam attendant pleriq;, quod Apostolus terribi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter ait. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo Domino stat, aut cadit. Verùm his prætermissis, ad T. C. reuertor ornatissime antistes, quam præpotens Deus tot auxit fortunæ, naturæ & gratiæ suæ donis, vt si quidem ijs, quod omnes speramus, in Dei gloriam & Christianæ Reip. salutem probè velit vti, meritò gratulatura sit nostra Germania, talem sibi obtigisse pontificem & principem: Multum in tua amplitudine inest eruditionis omnigenæ, multum exercitatissimæ prudentiæ, permultaq; alia egregia decora ac ornamenta, quæ si ad Christiani orbis communem iuuandam ac promouendam vtilitatem contuleris, dubium non est, quin afflictis ac propemodùm prostratis illius rebus magnam sis opem allaturus. Plurimùm certè & me & bonos omnes delectat, quod T. C. Catholicæ religioni etiamnum addictissima est, cùm tam multos hodiè videamus ad hæreses deflectere etiam doctrina ac generis nobilitate præstantes viros. Furtiuæ enim aquæ dulciores sunt, & longè suauiùs ac blandiùs ingreditur mellitum hæreseon toxicum, quàm catholicæ fidei minimè fucata veritas. Delectaret me quidem in T. C. prædicandis encomijs prolixiùs & accuratiùs versari, nisi tuo candidissimo pectori molestus esse vererer. Animus enim generosus laudes ferè contemnit ac negligit, sua virtute contentus. Atque vtinam Christus Opt. Max. T. C. diu nobis velit incolumen permanere, quò sua prudentia, industria, multiplici doctrina, virtute, integritate, sapientia, Germaniæ miserandũ in modum iam in dies magis ac magis pessum eunti, & in deteriora prolabenti possit succurrere atq; mederi. Vale antistes celeberrime, atq; hanc meam opellam quo soles animi candore placidus accipe. Datum Coloniæ in Musæo meo Carthusiano Nonis Iunij, Anno LXVIII.

T. C. addictissimus

F. Laurentius Surius Carthusianus.

DIVI

DIVI LEONIS REVERA MAGNI AC SVMMI SANCTISSIMIQVE PONTIFICIS VITA.

LEo Papa eius nominis primus, & Thuscus natione & Quintiano patre, in demortui Sixti III. locum pontifex creatus est, idque non sine singulari suffragantium omnium concordia. Fuit hic annus à Christo nato plus minus CCCCXLI. iuxta Cyclum Dionysij. Quo tempore diaconus adhuc in Gallijs procul agens, magno sanctoque studio refarciendæ pacis inter Actium & Albinum ipse distinebatur. Hinc igitur publica legatione Romam accitus, vt quem non ambitio, sed virtus, nec tam fautor humanus, quàm propitij numinis voluntas ad summæ dignitatis Pontificiæ fastigium euexisset, iam ardenti cũctorum desiderio magnaq; patientia diu expectatus accessit, & egregiè confectis rebus apud Gallias, magno omnium applausu Romæ Pontifex Maximus cõsalutatus est. Tum vir ille contra nominis rationem humanissimus, ad collectam Episcoporum coronã vicissim gratias dixit, partim quòd ex longa peregrinatione saluũ & incolumen se conspiceret apud incolumes illos patres: partim quòd singulari Dei Opt. Max. benignitate & illorũ concordi voluntate munus amplissimũ sibi concreditum esset. Sed acceptam diuini præsidij spẽ, fore scilicet, vt susceptæ prouinciæ Christo iuuãte satisfaceret, solicitus quoque temperabat animi mœror, vt non perinde lætandum ac tristandum sibi putaret: hac parte quidem non dissimilis illi regi, qui perpensis curis regiæ dignitatis, ne humi quidem ante oculos iacens diadema sustollendum in caput arbitrabatur. Quare quod ad boni pastoris imaginem exprimendam attinet, cum fide in Christum ardenti modestiam maximam coniunxit, vt obscurum esse nemini potest si vel primos, qui nunc leguntur hoc authore, sermones obiter inspiciat. Occupauit apostolicam illam cathedram pastor apostolicos annos xxj. iam inde à beato Petro apostolorum principe xliij. Christianæ Ecclesiæ curator & antistes. Porrò veluti futurorum præscius per omnem vitam excellenti pontificatus muneri se diligenter præparare voluisse videtur, dum præcipuè quidem his rebus instructũ habere pectus ab adolescentia curauit, nempe sacrorum voluminum recondita intelligentia, multa scripturarum exercitatione, varia doctorum lectione, iudicio sano, prudentia non vulgari, syncero fortiq; animo, vt ratio sui nominis flagitabat, deniq; parata linguæ copia, sed paratiore simul & purgatiore corde, qui fons est orationis, & efficax dicendi docendiq; magister. Proinde satis illi nequaquam fuit purum esse ab omni crimine, nisi iuxta eiusdem beati Pauli monita sese abstineret ab omni specie mala, ne quà videlicet in suspicionem criminis incurreret. Nihil in eius puro pectore, quod sæuus ille tyrannus amor diuitiarum, vel gloriæ mundanæ sitis, vel ambitionis fœda lues sibi vendicaret. Christianã philosophiam nec aptè satis à se doceri, nec cõstanter retineri posse putauit, nisi voluptatum illecebras & cupiditates noxias à sensib. omnibus procul submouisset. Hinc quod consequens est, extinctis vitiorum fomẽtis, in dies magis ac magis ardebat in eo fides, magna vi tandem erumpens vt verum Dei timorem, religiosam diuinæ maiestatis venerationẽ & infractum animi robur aduersus omnia terriculamenta perficeret magis quàm cõferret. Fides porrò gignebat illi charitatẽ, quemadmodum charitas vicissim alebat fidem bonis operib. Per oculum ac lumen fidei citra errorem omnẽ cernebat, quid expetẽdum, quid fugiendũ esset. Rursus per charitatem, quod fides dictasset, exequens, eam naturæ vim, quæ voluntas dicitur, perficiebat. Iam inter malorum agmina, quæ pijs viris desunt nunquam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita spe vice baculi sese sustentabat, vt nec animum in aduersis deijceret, nec in prospe
ris insolentem redderet, homo ttanquillæ semper securæq; conscientiæ. Tum sicut
mentem habebat igneam, & ad bene merendum de omnibus flagrantem, ita Chri
sti spiritus inhabitans cor eius, mouebat oris plectrum, & vim arcanam verbis pro
manantibus adferebat. Quo factum est, vt Christianum Demosthenem, imò cœle
stem oratorem sonare passim omnibus videretur. Manat enim etiamnum è sanctis
simo Leonis pectore grauis & authoritatis plena oratio, qualem in alijs reperire sit
difficile. Etenim licet omnibus quoq; dicendi virtutib. excellant, quod Leoni ma
ximè concessum est, egrè tamen fiet, quin aliquando remittant æquale solidúq; pon
dus illud verborum atque sententiarum. Taceo quàm operosum molestumque sit,
in homilijs perpetuam vnius dictionis gratiam fortemque splendorem apud popu
lum seruare. Sed hac in parte sic Leo regnat, vt ob sapientissimam eloquentiam & e
loquentissimã sapientiam Magni cognomen apud posteros obtinuerit, sic eloquen
tia memini Theologorum cedens, vti multos excedit sapientia. Et quis demum hoc
hodie præstare queat, quod suis tot tantisq; scriptis Leo? ne ex istis quidem opinor
aliquis, qui studium omne collocarũt in paranda dictionis facultate. Tanta autem
erat in Leone, tamq; mirabilis ingenij facilitas, tanta sanitas tantaq; præsentia, vt pa
ratam orationis huius copiã cum singulari grauitate, sed & iucunditate quadã coniun
ctam, nullus non impẽdio miraretur. Sunt sanè viri & authoritate graues & eru
ditione spectabiles, qui Leonem appellare non vereantur, Ecclesiasticæ dictionis
Tullium, Theologiæ Homerum, rationum fidei Aristotelem, & quod multo est am
plius, Petrum ipsum in põtificio throno simul & Paulum in pulpito Christiano dis
ferentem. Ita enim demulcet, inquiunt, vt vinctos auditores teneat: ita docet, vt sen
sibus diuinis aures impleat: ita exhortatur, vt ardoribus virtutis animos incẽdat. Ora
tione quidem parcus, sensibus verò sublimis, in primisque cœlestis, & quod est ante
omnia admirabile, profundissimus atque planissimus. Ad hæc pontificia maiestate
disserens, & apostolico facundus eloquio, modestia illa verè Christiana virtuteq; di
uina cum nusquam non admirabilis existat, tum in suis præcipuè sermonibus, vt ne
mo alius effulget, quod breuitatis magister & vnicus pene artifex latissima rerum di
uinarum mysteria perstringat, & secundum canonicas scripturas quendam sacri elo
quij principatum includat. Quid vero in eiusdem epistolis vltro citroq; missis vsquã
desideres, quod non à maximi pontificis throno, & excultissimi pectoris domicilio
dignissimè profectum videri possit? Quanquam interim pontificaliũ negociorum in
genis ille & nunquam æstimandus premebat labor, noctu diuq; cruciabat omnium
in orbe Ecclesiarum non desitura cura, miserè solicitabant tot animorum pestes hu
manam superantes industriam, augebant denique continuum illi mœrorem nun
ciata priorũ pericula, exilia, cruces & ignominiæ: nihilo secius ad sapienter conficien
dis tot tantasq; causas, licet etiam noue inciderent quotidie, semper illi præsens erat
animus, & (quod incredibile videatur) ad scribendum æquabilis vbique stylus. Par
tim autem bonæ conscientiæ securitate, partim æternæ felicitatis expectatione sic
manebat alacris, vt nullis prorsus humanæ vitæ vel illecebris vel terriculamentis à
cursu pietatis ac feruẽtissimo de omnibus bene merendi studio retardaretur. Quid
ni? vel ipsa sui nominis ratione prouocatus, illud à sapiente sapiens in Prouerbijs di
dicerat: Iustus quasi leo confidens absque terrore erit. Et illud: Leo fortissimus be
stiarum ad nullius pauebit occursum.

Triste quidem dictu ac miserabile prorsus, si quis horrẽdos etiam illius seculi mo
tus æstusque sermone consequi aliqua saltem ex parte conetur. Nos vnius hominis
Attilæ nihil obscurum exemplum cum illa singulari Leoninæ virtutis magnitudine
componemus. Igitur Attilas Hunorum dux, qui flagellum Dei vocatus est, cuius o
mnium efferatissimi Barbari ardebant oculi, totoq; ex ore crudelitas emicabat, in
flammatus furore in Italiam venit, simul atque iam Thracias & Illyricum, Macedo
niam & Mœsiam, Achaiam & Græciam, Pannoniam & Germaniam rabie immanis-
sima

sima deuastasset, adeoq; germanum fratrem Budam regni consortem aliter ipse Ro
mulus iugulasset, crudelis totus in suppliciis, auarus in rapinis, superbus in contu
melijs. Quam obiecro tam immanem charibdim Poetæ fingendo exprimere potue
runt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quãtas iste prouinciarũ Occidentalium
prædas exorbuit? Concordiã incendio consumpsit, Aquileiã funditùs euertit, Ticinum & Mediolanum regias vrbes excedit. Hinc cæteris Italiæ ciuitatib. partim direptis & incensis, partim metu deditis, latè porrò inter Abduam & Athesim peruagari cepit. Vbi præter commemoratas vrbes, Mantuã, Brixiam, Cremonã, Bergomum & Rauennã pari clade afflixit. Iamq; vastatis circumquaq; tot tãtisq; vrbib. Huni velut ruptis claustris Attila duce Romam irrumpere festinarũt. Quo tum Leonem esse animo oportuit? quæ hic faceret taliin re ac tempore? quum ignauiæ ratio in fugam atque latebras fortissimũ quemq; impelleret, improbitas autem & furor hostis ad desperationem cogeret, populi deniq; clamor crudelissimum & luctuosissimũ exitum promitteret, ita vt incensionem vrbi, internecionem ciuibus, vastitatem Italiæ, atq; adeò interitum totius Christianæ Reipub. vicina quæq; portenderent? Certè cum iam esset hostis propemodum in conspectu, vt copias etiam, qua Mintius padum influit, traijcere pararet (mirum dictu) occurrit Leo vir sanctissimus, vtpote calamitatem tum Italiæ, tum vrbis Romæ miseratus, ac Leoninæ mentis nunquam interiturum æditurus argumentũ, occurrit inquã, grandis iam natu cum altero Cõsulum & parte non modica Romani Senatus: occurrit omnia depopulanti tyranno senex innocuę simplicitatis, & multa idẽ cancie simul & angustiore habitu venerabilis, qui sese totũ pro seruãdis ouib. impendere vel non rogatus iamdudum exoptabat. Atq; illic circa Mintium amnem ita regem truculentũ affatus dicitur: Senatus populusq; Romanus quondam orbis victor, nunc verò victus, suppliciter abs te veniam & salutem precatur rex regum Attila: nihil tibi in tanta rerum gestarum gloria contingere potuit, aut ad præsens decus pulchrius, aut ad posteros memorabilius, quàm vt is populus supplex ad tuos pedes iaceret, ante quem olim omnes gentes & reges supplices iacuerunt. Subegisti quidem Attila omnem terrarum orbem, cui Romanos omnium victores gentium subigere tributum est. Nunc tantum precamur, vt ipsum vincas qui vincis cætera. Nec est, quando iam omne humanitatis fastigium transcendisti, in quo Deo immortali similior esse possis, quàm quo plures viceris, plures per te saluos esse velis. Senserunt mali flagellum tuum: sentiant nunc supplices clementiã, vel quia se victos fatẽtur, vel quia sunt vltrò imperata facturi. Hæc bona cõscientia inuictus Leo dixerat, in cuius habitu venerabiliq; aspectu contemplando quum tacitus staret Attilas deliberabundo similis, en duo quidam dextera læuaq; viri, Petrus nimirum & Paulus apostoli, subitò ipsi conspecti sunt, qui non solùm angustiore habitu pro Pontifice quoque adstarent, verùm etiam supra ipsius caput strictos tenerent, intenderentque gladios, ac mortem demùm minitarentur, nisi dicto Pontificis obtemperaret. Quamobrem, vt author est Eutropius, hac Leonis intercessione placatus Attilas, quamuis alioqui furiosus, confestim promissa pace firmissima vltra Danubium non rediturus abscesserit. Nec enim diu pòst rebus humanis excessit, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus imposuit. Rogatus autem ab his, qui proximè adstiterant Leoni supplicãti, quid in causa esset, cur tam facilè pulcherrimam precib. hostium victoriam cõdonauisset, & prostratos ante pedes surgere ac stare iussisset (Bono sitis, inquiebat, animo, datur vobis venia) respondisse fertur palàm, oportuisse sic fieri, quando medio affatu supplicantium, tales tantique viri sibi visi fuissent, ac subitò mutare sententiam coegissent. Videas igitur alterum in Leone Mosen, qui spiritalibus armis Barbarorum vires expugnet, iratumq; Deum peccatrici genti conciliet. Proinde hoc tam insigni beneficio principem Valentinianum vrbemq; totam, sicut nunquam anteà, sibi deuinciuit & vulgò receptam suæ sanctitatis opinionem etiam atq; etiam apud omnes confirmauit. Sub hæc ad vrbem rediẽs, non sine cõmuni omniũ applausu (vt qui patrẽ patrię conspicerent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpicerent,cui ſecundum Deum,fortunas omnes,incolumitatem ſuam,nec minus or bis,quam vrbis ſalutem acceptas meritò ferrent)in primis Deo Opt. Max.& apoſto lis eius Petro & Paulo gratias dixit, his omnem rei bene geſtæ gloriam adſcribens, quorum & patrocinio conceſſæ ſedis Romanæ conſortium tribuere ſolet.Dem totus ad confirmandam tuendamq; catholicam fidem conuertitur,quæ tunc à multis quidem hæreticis,vti Manichæis,Donatiſtis, Arianis, Priſcilianiſtis, præcipuè verò à Neſtorianis & Eutychianis hoſtiliter impugnabatur. Certè Neſtorius ille Cõſtan tinopolitanus Epiſcopus,genere Germanicienſis,cuius hæreſes à D. Cyrillo confu tatas prima ſynodus Epheſina damnauerat,incomparabilem illam terq; beatam vir ginem Mariam negauit eſſe deiparã, hoc eſt,hominis duntaxat genitricem eſſe cenſuit:vt aliam carnis,aliã diuinitatis perſonam in Chriſto faceret, ac proin ſeiunctim alterum Dei filium,alterum hominis impiè ſtatueret.Eutyches verò presbyter & ar chimandrita Conſtantinopolitanus, homo ſenex, verſipellis & impudens,qui tantum Leoni ſimul &Chalcedonenſi Concilio negocium faceſsit,ne interim blaſphe mo Neſtorio palàm conſonare videretur, diuinam cum humana naturam docuit in vnum idemq; compoſitum recidiſſe, vnumq; factum, nec vllo modo debere diſtingui.At Cyrilli ſucceſſor in Alexandrina Eccleſia Dioſcorus,homo vafer, violentus & ſeditioſus planè,cum Imperatoris Theodoſij &Epheſini conciliabuli authoritatem pro ſe ſtare magna vi coegiſſet, repulſis etiam ſedis apoſtolicæ, qui præſiderent ſynodo, Legatis,ac iniquiſsimè damnato cum reliquis orthodoxis Epiſcopis Flaua no,Conſtantinopolitano,ſic Eutychetis cauſam perfidus apud perfidos egit,vt niſi Leonis cura Imperator & Auguſta Pulcheria ſynodum apud Chalcedonem innouaſſent,oppreſſa certè pietas & deſerta Eccleſiæ cauſa iacuiſſent.Adeò quidã omnis pudoris & reuerentiæ metas trangreſsi,iam tum eò temeritatis proruperant,vt inſignes Eccleſias, quæ domus orationis hactenus efflorebant, in ſpeluncas latronum ignominiosè conuerterent,monaſteria prophanata euerterent,ſacramentorum lumen extinguerent,ſacrificij oblationem interciperent, ſanctificationem chriſmatis auferrẽt,vt iam parricidalibus manibus impiorum omnia demum myſteria ſeſe ſubtraxerint. Et hæc velut infanda ſacrilegij genera peracerbè ſuggillat Leo epiſtola lxxv. ad Leonem Auguſtum. Neq; tantum literis abſens, ſed Nicephoro teſte, lachrymis etiam præſens, quo ſcandala tam horrenda corrigerentur, optimates tum admonere tum obteſtari non deſijt.Et quæ grauior obteſtatio,quàm dum hiſce v r bis Theodoſij fidem officiumque implorat.

Lib.4.cap. 49.

Epiſtol.24

Ecce ego,inquit,Chriſtianiſsime &venerabilis Imperator cum conſacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementię veſtræ ſynceri amoris officium,cupiensq; vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Chriſti domini rei de ſilentio iudicemur,obſecramus coram vnius deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (cum ipſa veſtri ſit cuſtos & auctor Imperij) & coram ſanctis angelis Chriſti, vt omnia in eo ſtatu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium,donec maior ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos grauari, quia (quod neceſſe eſt nos dicere) veremur, ne cuius religio diſsipatur, indignatio prouocetur. Præoculis habete & tota mentis acie reuerenter aſpicite beati Petri gloriam,&communes cum ipſo omnium apoſtolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas. Verùm iſthæc in promouenda ſynodo vehementia minus apud Theodoſium profecit, quòd is inter viuos diu ſupereſſe nõ potuit. Ei verò ſucceſsit Martianus vir ſpectatæ pietatis prudentiæque,quem defuncto Theodoſio Imperatorem Pulcheria Auguſta Theodoſij ſoror pronunciarat. Religioſam eius mulieris ſolicitudinem, & præcipuum erga Chriſti Eccleſiam ſtudium varijs amicisque literis Leo deſignauit.At Martianus Imperator ad celebrandam ſynodum Chalcedonenſem &componendos Eccleſiæ motus omne ſuum ſtudium conuertit. Id quod Leoni rurſus acceptum ferre oportet, qui magna & irrefutabili conſtantia neceſſariam cogendæ ſynodi rationem illi commendarat:

De hoc Theodoſio Imperatore legat qui volet Nicephor. lib. 14.c.3. etc.qui miris eũ vehit laudibus.

Itemq; Socrates lib.7.c.22.

dãrat:æquiſsimum eſſe dicens,vt Chriſti legibus & Eccleſiæ commodis ſeruiret humanæ potentiæ faſtigium.

Inter amicos præcipuè coluit Proſperum Aquitanicum, poſtea Regienſem Epiſcopum, & Flauianum, cuius & antea mentionem fecimus, Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum. Vterque pietatis & religionis omnis obſeruantiſsimus fuit, nec minus eruditę,quàm ſanctus.De illo agemus paulò inferius:in hoc ne martyrij quidem gloria deſideratur, ſic nimirum agente Diſcori apud Epheſum tyrãnide, quod accuſatum ab Euſebio Eutychen hæreſiarcham, apud ſuos primus ille condemnauiſſet. Vnde Flauiani nomen honorificè paſsim citatur à Leone, multis etiam datis ad eum literis cohoneſtatũ. Nec eſt inter Leonis epiſtolas vlla celebrior, quàm quæ ad Flauianum decima legitur, à Concilio Chalcedonenſium ſummopere compro bata,cuius etiam vnicè Gennadius meminit,reliquis omiſsis Leonis operibus.Quin exacti iudicij Papa Gelaſius,vbi de receptis probatiſque patrum ſcriptis pronunciat, præterquam quod inter primos illic beatum Leonem numerat, certè tanta religione dictam epiſtolam proſequitur,vt anathema dicat ei, quiſquis vel textum illius vel iota vnum improbarit contentioſior, vel non ſingulatim in ea ſuſceperit omnia venerabundus.Putant nonnulli diuino magis ſpiritu, quàm humano ingenio factum, vt Eutychetis perplexa impietas tanta veritatis luce detecta profligaretur. Nam hic ſuis etiã Leo diffuſus virib.priuſquã epiſtolam illam aliquò deſtinaſſet,altari B. Petri vtcunq; ſcriptã impoſuit,ſe verò per quadraginta dies tum ieiunijs,tum precib. exercens,hoc vnum ab Apoſtolorũ principe votis flagrantibus cõtendit, vt ſi quid ſorte corrigendum haberet epiſtola,quę cauſam fidei longè difficilimam tractabat,id omne ſuis ille manibus correctum abſolueret. Nec feſellit ſanctam precatoris expectationem etiam rarus euentus.Terſam enim &elaboratã epiſtolam dies reddidit quadrageſimus, addita ſimul reuelatione certiſsima, ſucceſſum apoſtolo illi tribuẽdum eſſe cuius pia dignatio & fida dilectio, ne in perſona quidem imparis tepeſcit hæredis.Quid quod aliquando quum acri libidinis æſtu diſcrutiaretur, quando deoſculata ſibi manus fortè fuiſſet muliercula, vt in ſacra communione feſto paſchæ moris erat,tanto zelo à ſe ſponte ſumpſit ſupplicium,vt manum ſcandalizantem amputarit penitus,veluti noxium peſtilensque membrum excindens? Hinc, quemadmodum Damaſcenus ille Ioannes deſectam manum ſuſis ad beatam virginem Mariam precibus rurſum recuperauit, (vt eſt idoneus teſtis Ioannes patriarcha Hieroſolymi tanus)ita non diſsimili ratione per eiuſdem ſacroſanctæ virginis ſuffragia,quæ ſummo cum animi mœrore tum expetebat Leo, detruncatam manum denuo recepit, receptam obmurmuranti populo, quod non ſacrificaret, lætè protulit,acceptumq; tantũ diuinitùs beneficium publicis laudibus cohoneſtauit. Neq; verò fidem excedit aut pietati refragatur, quòd omniũ peccatorũ veniam ſemel cõſequutus dicitur, præſertim ieiunando &precando diebus quadraginta,quibus apud beatiſsimi Petri corpus diuinam expetens miſericordiam,hoc tandem reſponſi lætiſsimus tulit: Deprecatus ſum pro te dominũ,remiſit ille tibi peccata,vt ſolùm hoc expendendum & à te poſtulandum ſuperſit,quibus aduerſus apoſtolicam legem temere manus impoſueris.Breuiter his præſertim armis omniũ valentiſsimis cõtinenter vſus eſt, vigilijs, ieiunijs,lachrymis, & quib. rebus potiſsimum Leoninas vires collegit,conſtanti in Deum fiducia,nec non ardenti in precando inſtantia.Sic vrbem defendit, Italiã ſeruauit,Imperium Romanum erexit,dum placato Attila tyranno tam ſęuum Hunnorum iugum à ſuorum ceruibus excuſsit.Sed quale illi quæſo certamen cum Genſerico Barbarorum omnium immaniſsimo? Is Alanorum & Vandalorum Imperator præterquàm quòd Arianæ factioni patrocinaretur, expulſis paſsim Epiſcopis, nihil non iuris & bonorum Epiſcopalium ſibi vendicabat, ac præſertim Carthagine clericorum miniſteria, templorũ cultum, ſacra omnia prophanauit, corrupit, euertit, cùm in vniuerſum captiui populi ordinẽ ſæuus,tum præcipuè nobilitati & religioni infeſtus. Hinc ab Eudoxia in auxiliũ vocatus, vt eius defuncti cõiugis Valentiniani

Cæſaris

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæsaris mortem vlciſceretur, vacuam præſidio vrbem hoſtili manu inuaſit. Prodierat autem Leo pontifex obuiam venienti, non alijs quidem armatus præſidijs, quàm quæ talem decent pontificem, lingua, precibus & vitę ſanctimonia. Qui precatus eſt inflexibilem Tyrannum, vt ab ea vrbe prohiberet iniuriam, cui Attila omnium hominum immaniſsimus, victor pepercisſet: aut ſi vrbem ſuis diripiendam dare in animo haberet, parceret ſaltem templis, parceret ædificijs publicis & priuatis: vrbem no biliſsimam cunctisq; magna ex parte vacuam ab excidio ſeruaret. Ergo quanquam nec perſonæ dignitas Barbarorum, nec religionis pietas Arianum regem ſatis mitigaret, à cæde, tamen ſupplicijsque tyrannum auocauit, præda contentum abductiſque ſpolijs. Quo maiori deinde cura Leo tum ad reparandam vrbem, tum ad conſolandos afflictos conuerſus eſt. Templa diffracta reſtituit, ſacrorum vaſa vel à Barbaris comminuta vel ablata reformauit. Demetriam ad beato Stephano cōdendam in fundo ſuo Baſilicam impulit, aliam in Epiſcopi Cornelij honorem ipſe cōſtituit, apoſtolorum ſepulchris, clericos cubiculares addidit, ac præter alia religioni conſecrata loca & deputata officia, monaſteriū prope ſanctum Petrum extruxit. De Proſpero Aquitanico dicere ſuperſedemus, quando familiarem illius cum Leone conuictum Ant. Flaminius Imolenſis expoſuit. Neque Chalcedonenſe Concilium attingemus, quod abundè quidem Leonis exhauſtas pro Eccleſia curas, laboresque commendat. Niſi fortè parum ſit, à tot tantisque patribus ter ſanctum acclamari, & hoc à ſapientiſsimis elogium conſequi, Leo ſanctiſsimus, apoſtolicus, & œcumenicus ſeu vniuerſalis patriarcha per multos annos viuat. Vixit ad ætatem vſque decrepitam verè magnanimus ac planè glorioſus Leo: Sed vt non minus in huiſce ſuis monumentis orbi ſuperſit etiam defunctus.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN VTRIVSQVE LEONIS OPERA, QVEM VT LECTOR FACILIVS ASSEQVATVR, NOVERIT SINGVLA FOLIA IN QVATVOR partes imaginariè diſtributa, quarum primam a. alteram b. tertiam c. quartam d. ſibi vendicat, ſingulis paribus ſpacijs attributis.

A.

Abſolutio à peccatis multum vtilis ante mortem 143.c.d
Ager dominicus qui colendus 7.b
Alexandria prima ſedes D. Marci 115.c
Altarium conſecratio Chorepiſcopis vel presbyteris illicita 141.a.b
Ambitio quàm cauenda præſertim Epiſcopis 114.d
Amicitia hominum quæ firma 6.a
Amores duo 72.c
Amor vel Dei vel mundi non poteſt ab animo rationis participe diuelli 72.c
Anatolij Conſtantinopolitani Epiſcopi ambitus taxatur 115.a.b.116.a.b.d. & c. reſipiſcentia laudatur 126.a.b
Angelicus conuentus & ſanctorum corona, in venerabilium ſacerdotum frequentia 1.c
Angeli & Chriſto ſeruierint 61.c
Anima 170.d
Animam hominis diuinam eſſe ſubſtantiam dicebant hæretici 147.d
Animus quibus oblectare ſe debeat 74.c
Animus rationis compos non poteſt eſſe abſque amore 72.c
Antiſtitem non prærogatiua terrenæ originis, ſed dignatio cæleſtis gratiæ dignat 1.d.2.a
Apocryphæ ſcripturæ, non ſolùm interdicendæ ſed etiã auferendæ & ignibus concremandæ 149.c
Apoſtolicæ ſedis principatus 111.d. 112.a.c. 116.b. 121.a.b.137.c 141.c.d.
Arma Chriſtianorum 10.a.29.d.70.a
Armamur cruce dominica contra omnia aduerſa
Arriani qui 59.c
Arriani quid de Trinitate ſenſerint 62.c
Aſcenſio Chriſti vnde nobis cauſam lætandi præbeat 60.d.61.a
Aſcenſio Domini quantum Apoſtolos confirmarit 61.b
Aſtrologi taxantur
Auari quàm inopes 18.c
Auaritia morbus 5.c
Auaritia quàm pernitioſa 9.c
44.a

B.

Baptiſmus qui conferendus ijs de quibus non conſtat num ſint baptizati 106.a.146.b
Baptiſmus qui mutet hominem 52.d
Baptiſmus qui vel vi vel terrore coacti repetitſſent quomodo & quamdiu pœnitere debeant 131.c
Baptiſmum repetere quàm impium 106.a
Baptizari cur Chriſtus voluerit 84.b.c
Baptizati ab hæreticis quomodo tractandi 106.a 131.c
Baſilica D. Petri vni Deo viuo & vero eſt dedicata 18.c
Beneficia Dei non tacenda ſol 1.a
Benignitas Dei in homines 12.b
Benignitas in pauperes qualis eſſe debeat 71.b
Bigami ab Eccleſiaſticis functionibus, & ſacerdotali nomine arcendi 81.c

C.

Calicem vt Chriſtus à ſe transferri petierit 43.d
Canonibus niſi ſua reuerentia intemerata ſeruetur, non poteſt vniuerſæ pacis tranquillitas cuſtodiri 120.d
Carnis cum ſpiritu conflictus 72.b.c
Carnis cura quatenus habenda 58.d
Caro caſtiganda iugiter 66.c
Catholica fides oblatrantium hæreticorum ſpernat errores 19.c
Catholica fides vna tantum 108.b
Charitas omnium virtutum mater 29.a
Charitas virtus propria ſanctorum 171.b
Charitas ſi deſit nihil proderunt cæteræ virtutes 38.b
Charitate & miſericordia nihil contra diabolum efficacius 61.d
Charitatis laus 37.d.38.a
Chriſma conficere, aut chriſmate baptizatorum frontes ſignare non poſſunt presbyteri, ſed tantum Epiſcopi 141.b
Chriſma ſalutis in baptiſmo datur 15.b
Chriſmatis ſanctificatio 128.c
Chriſtiani omnes vt cum Chriſto renaſcantur 17.a
Chriſtiani omnes vt reges & ſacerdotes 2.d
Chriſtianis formido non pugna ſublata 10.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi cultor verus quis sit 57.b
Christi victoria & humilitas 28.a
Christus crucifixus vt omnia ad se traxerit 47.a
Christus cur homo factus 14.d
Christus cur in paschate passus 45.b
Christus cur natus ex virgine 12.c
Christus cur noluerit se plangi a mulieribus 48.c
Christus custodiam gregi suæ non reliquit 2.a
Christus ex duabus vt constet naturis & vna tantũ sit persona 11.d
Christus & diues & pauper 73.c
Christus omnium salus 49.c
Christus plus nobis contulit q̃ diabolus abstulit 60.d
Christus qua ratione cum diabolo conflixerit 11.d
Christus quod se à patre derelictum clamauit quid accipiendum 54.c. & cur in cruce clamauerit 55.a
Christus vt nobis gradus sit ad seipsum 16.a 54.c
Cibi potusq; facietate, acies mentis obtũditur 10.c
Clerici in hæresin lapsi si resipiscant vt tractandi 82.c
Clerici nec suo nec aliorum nomine fœnus exercere debent 81.d
Cogitationes Christianorum quales esse debeant 53.d
Colloquia hæreticorum vitanda 56.c
Conatum & studium requirit Deus 23.c
Concilia approbat Rom. Pontifex 119.a.c.d
Concilijs œcumenicis præsidet Rom. pont. 119.a.b.d
in Concilio semel definita, non in dubium reuocanda 108.a.c.111.a.37
Concionandi munus quibus permittendũ 120.d.39
Concupiscentia frenanda 10.c
Concupiscentia mala vnde 74.c
Confessio agricularis adstruitur 132.a
Confusio criminum 142.c.d
Confessio occultorum criminum non debet fieri publicè 132.a
Confessio Petri quid obtinuerit 2.b.76.b
Confirmatio seu manuum impositio 131.c
Conflictus Christianorum 68.d.69.a
Coniugium muliris alterius illicitum 145.b
Coniugium subdiaconis illicitum, multo magis diaconis, presbyteris & aut etiam episcopis 136.c
Conscientia vt excutienda 31.b
Consecratio presbyterorum, diaconorũ, virginum, altarium, &c. Chorepiscopis seu presbyteris nõ, sed tantum Episcopis permittenda 141.a.b.
Consensus Christianorum Deo gratissimus 71.a.b
Constitutiones Patrum non violanda 89.c.90.a
Consuetudine mala implicati quid agendum 27.d
Contemnendum nedum a cibis, sed etiam ab erroribus 73.b
Contentia mater virtutum 40.b
Cepta tam nocte quam pacietate consulitur 6.c
Cornus exanime Vincentij corpus tenetur 80.b
Corpus Domini accepit Iudas 4.a.45.c
Creatoris vt vtendum 18.d
Cruce dominica contra omnia aduersa vt armari debeamus 59.c
ad Crucem Christi vt confugiendum 57.b
Crucem suscipere quid sit 59.d
Cruces mysterium 46.d
Crux Christi apud quos quid effecerit 57.a
Crux Christi cum rei sacramentum 43.a
Crux Christi & sacramentum est & exemplum 59.a
Crux Christi quantæ efficaciæ 47.a
Crux ferenda perpetuo 57.b
Cultor Christi verus quis sit 57.b
Curatio vulnerum efficacissima quæ sit 30.a
D. Cyrillus Alexandrinus & Leo contemporanei 104.a.120.d

D.

Dæmonis callidit as 30.c.37.d
Decreta patrum seruanda 126.b.c
Definita semel in Concilio non sunt in dubium reuocanda 108.a.c.111.a.130.b
Degradatio 118.b
Deo omnia præsentia 53.d
Deo vt efficiamur assimiles 6.b
Deus est remunerator us etiam affectum operantis 7.c
Deus quomodo colendus 11.a
Diaboli astus & insidiæ 18.b
Diabolus acrius sæuit quando sacratiora sunt peragenda mysteria 31.d.39.a
Diabolus bene operantibus magis insidiatur 7.b. 37.b
Diabolus cur instigarit Iudæos vt Christus crucifigeretur 56.a.b
Diabolus duplici ratione impugnat nos 10.a.27.c
Diabolus ignorauit quod sumendo in Christum sum perderet principatum 47.d.49.c.56.b 48.d
Diabolus in cruce victus
Diabolum nunquam fuisse bonum, nec naturam eius esse opificium Dei, sed ex chao & tenebris emersisse nugabantur hæretici 148.a
Diabolus quare tentarit Christum 30.d.32.c
Dignitates Ecclesiasticæ à quo potissimum cõferantur & ad quid valeant 1.a
Dilectionis proximi causa maiores Christianis data 6.b
Discipuli cur primũ hæsitare de resurrectione Christi 60.c
Dissensio inter nos & dæmones 29.d
Diuitiæ per se bonæ 5.b
Dominicæ dies insignia 132.c
Dona Dei à nostris operibus non dependent 1.b
Donum Dei præcipuum quod sit 17.b
Duritia Iudæorum 17.b
55.b.c

E.

Ecclesia creuit persecutionib. tyrannorũ 27.c
Ecclesia nihil à nobis supra vires exigit 71.b
extra Ecclesiam Catholicam nihil integrum nihil castum 65.d
Ecclesia persecutionibus non minuitur sed augetur 67.c
Ecclesia quæ generatim obseruat, apostolicæ sunt traditionis 65.d
Ecclesia septiformem donorum Spir. S. accepit largitatem 63.d.64.a
Ecclesiæ stabilitas 2.a
Eleemosynæ extinguntur peccata 3.d
Eleemosynarum meritum & virtus 3.c.d.5.d
Eleemosynæ præstant ieiunio 66.b
Elementa voluntatem Dei nobis declarant 10.b
Ephesina secunda synodus prophana 99.a.b.2.c.100. a.&c.101.a.&c.126.c.b.27.d
Epiphania quid significet 22.d.23.a
Episcopi cur alij alijs sint sublimiores 137.b.c
Episcopi quibus locũ præfici debeant 140.b
Episcopi vt constituendi 142.b.c
Episcopo præsente quæ munia non possunt obire presbyteri 141.b
Episcopus qualis eligendus 136.c.139.a.b.c
Episcopus spretæ suæ sedes, si ad aliam ampliorem se transferat qui puniendus 137.a
Esurire iustitiam quid sit 78.b
Eucharistia verum corpus Christi 45.b
Eucharistia, hoc est, verum corpus & verus sanguis Christi, quid in nobis efficiat 99.c
Eucharistiæ perceptio quid efficiat 52.d
Eutyches abbas Constantinop. 19.d.90.c.109.c
Eutychetis impia persuasio 90.c.d.91.a.b.94.a.c. 95.c.133.d.151.d
Eutyches quid senserit 73.b
Eutychetis versutia 98.a
Execatio Iudæorũ illuminatio fuit gentiũ 23.a.b
Excommunicatio 89.c.d.90.d
Excommunicatio merito propter grauitatem extimescenda 142.d
Excommunicatio non temerè ferenda 142.d
Exercitia Christiana cur nobis tradita 72.a
Exercitia pietatis publica priuatis præstãt 70.d.71.c

F.

Festiuitas dedicationis Eccl. & martyrũ 68.d
Fiat voluntas tua quã sit efficax ea vox Christi 15.d (46.a
Fides difficultas
Fide in Christũ etiã veteris legis patres saluari 22.a
Fidei Romanæ explicatio 170.c.d
Fideles & pios discipulos veritatis nihil ita cõmendat & munit, quam perseverans in Deum & inde fessa laudatio 6.c
Fides Catholica omnibus resilit erroribus 73.b
Fides Ecclesiæ Rom. extollitur 2.b. eam nec hæretica prauitas corrũpere nec pagana perfidia superare potuit ibid.
Fides eadem nostra & antiquorum 51.a.62.a
Fides euangelica & apostolica omnes expugnat errores 109.d
Fides operantium secura 78.c
Fides Petri nec hactenus defecit nec vnquam deficiet 160.b.166.d.170.b
Fides operibus declaranda 27.d
Fides quæ non nisi vna est in nullo potest esse sui dissimilis 95.b
Fides sine charitate esse potest 4.c
Fides S. Trinitatis 63.b
Fides vna quæ? 27.d
Fides vna saluandorum 52.a
Fides vna tantum 15.c
Filij persona cur incarnata 50.b
Forma viuendi vnde petenda fidelibus 35.b
Fruges terræ Deo adscribendæ & pro eis honorãdus & laudandus 8.a

G.

Gradus ascensionis ad beatitudinem 77.d
Grates & laudes in omnib. Deo agendæ 6.c
Gratia 170.d

H.

Hæreses circa incarnationem domini 19.a
Hæresi confirmatur Ecclesia 116.a
in Hæresim metu lapsi, si conuertantur, vt recipiendi 107.a.b
Hæresis non potest latere 75.c
Hæreses omnes profligauit Rom. Ecclesia 160.b
Hæreses vnde 21.a.92.a
Hæretici alij alios damnant, & simul omnes ab Ecclesia damnantur 120.b
Hæreticorum cauenda hypocrisis 15.b
Hæreticorum conuictus & cõuersatio quare fugienda 8.d
Hæretici corrumpunt scripturas 149.b.c
Hæretici de fide agere non debent 128.a.b
Hæretici diabolo aguntur 8.c
Hæreticorum hypocrisis 25.d
Hæreticorum immanis sæuitia 128.b.c
Hæretici longissimè absunt à celebratione paschæ 59.d
Hæretici ministri diaboli 8.c
Hæreticorum mores 8.c
Hæreticorũ nõla ad altare non recitãda 107.b.109.d
Hæretici non possunt dare spiritum S. 131.c 146.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreticos optimus docendi modus 125.b
Hæretici phantastici 53.c
Hæretici perdendi 5.a.9.a
Hæretici solo nomine sunt Christiani 56.c
Hæretici tot species habent diaboli, quot simulacra mendacij 56.c
Hæretici veritatis studium mentiuntur 128.a
Hæreticorum vitanda colloquia 56.c
Hæretici vitandi 25.c.33.a.75.c.d.164.c
Herodes cuius typus 27.b
Homo ad imaginem Dei conditus, quæ est si in Adam corrupta in Christo tamen est reformata 18.d
Homo cur ad imaginem Dei conditus 6.a
Horreum illud fœlix ex quo egeno debili & infirmo consulitur 8.b
Hostiæ spirituales 2.d
Hostibus nostris non possumus prævalere nisi prævalerimus nobis 29.b
Humana natura per Christi natiuitatem restaurata 13.a
Humilitas est obedientia Christi, & Adæ superbia & inobedientia 16.c

I.

Ieiunandum cur etiam in nouæ legis 7.d
Ieiunare non valentes quid agere debeant 70.c
Ieiunandum vt sit 10.d30.a.75.a
Ieiunium absque eleemosyna non est efficax 7.d
Ieiunia Christianorum alia atq; Iudæorum 71.c
Ieiunium Christianorum quid sit 32.b.72.b
Ieiunia Ecclesiæ spiritusancto authore instituta 65.b.d.
Ieiunij efficacia 7.a.10.d.66.b.69.d.70.b
Ieiunio Hebrei & vires animi & corporis reparauere 29.b
Ieiuniorum laus 40.a.69.d.70.b
Ieiunium mensis decimi Apostolica traditio 6.d.
cur institutum 7.a
Ieiunium 4. temporum Apostolicæ sunt traditionis 64.b 74.d
Ieiunium 4. temporum cur institum 75.b
Ieiunium quatuor temporum, ex sancti spiritus doctrina manarunt 10.d.62.d
Ieiunio quæ iungenda 7.a.10.b.34.c.66.a
Ieiunio quod sibi quis detrahit egenis elargiendum 39.c.2.b
Ieiunia salubriter instituta 65.c
Ieiunium septimi mensis 70.a
Ieiunium spirituale quod 36.a
Ieiunium verum quod 30.d
Ieiunium vtriq; testamento congruit 72.b
Iesus infans cur Ægypto illatus 24.b
Imperatoribus regia potestas non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, collata 128.b
Impium est negligere prædicatum, quod pium est agere non inditum 7.b
Incarnatio Christi multis significationibus & figuris prædicta 14.c
Incarnatio Christi quàm sit incomparabilis 21.c
Incarnatio Christi tam superioribus quam posterioribus seculis profuit 14.a
Incarnationis mysterium diabolo occultatum 49.c
incarnationis necessitas 12.b. 14.c. eiusdem vtilitas 13.a
Infantia quàm Christo grata 28.b
Infidelitas, errorum mater 55.d
Ingratitudo quàm pernitiosa 68.b
Ingratitudinis est beneficia Dei tacere fol.1.a
Innocentes martyres 22.c.23.b
Inscitia vix in laicis tolerabilis multo minus in ijs qui præsunt 99.c
Intemperantia malum 10.c
Intercessio sanctorum 8.a.9.a.d.11.a.26.d.65.c.66.d.67.c 68.69.d.71.c.72.b.73.a.74.a.75.b
Israelita veri qui sint 17.a
Iudas accepit corpus domini 42.a.45.c
Iudæorum punitio 42.c
Iudicij extremi forma 4.c
Iustificatio in baptismo gratis confertur 39.a
Iustitia vera perfectorum quæ sit 30.b

L.

Latronum in cruce significatio 42.d
D. Laurentij martyrium 69.b.c.d
Legis veteris quæ Christus mutarit & quæ non 9.b.52.c
Legis veteris quænam Ecclesia retinuerit quæ non 9.b.52.c.73.d
Lex vetus figuras nouæ res ipsas habet 55.d.
Liberum arbitrium 170.d
Liberum arbitrium non tollit præscientia Dei 54.a
Ligandum & soluendum quomodo 3.b
Luctus sanctorum quis sit 72.a

M.

Macedoniani qui 62.c
Magi cur per aliam viam reuersi 24.a
Magis cur stella apparuerit 23.d
Magi diuinitus docti 25.a
Magorum munera quid mystice 22.c.23.d.25.a.27.b
Magi tres vbi stellam viderint 22.b
Mali cur oderint bonos 37.a.b
Manes siue Manichæus quando extiterit 63.d
Manichæi dominica die & secundis feriis ieiunarunt 32.d
Manichæorum errores 5.a.15.a.25.b.c.63.d
Manichæorum impietas 8.c
Manichæi multa sub Christi & Apostolorum nomine scripserunt 25.c
Manichæi quàm sublimiter de secta sua autore senserint 63.d
Manichæorum sacrificia impudica 8.d
Manichæorum sacrilegæ opiniones 25.b
Manichæorum simulata communio 33.a
Martyres vniuersis hominibus plurimum contulere 69.b
Martyrum festa qui verè celebrent 78.d
Matris virginis immolata integritas 13.c
Mendacio omnis vis diaboli nititur 4.b
Mens beata quæ sit 39.a
Miraculum de baptismo 122.d.123.a
Misericordia & charitate nihil efficacius cõtra diabolum 61.d
Misericordia in pauperes quam grata Deo 38.c.d
Misericordiæ opera exercenda 34.a
Missæ sacrificium quando eodem die repetendum 132.d
Missio filij quæ sit 16.b
Modus in omnibus etiam virtutibus seruatu difficilis 33.c
Modus optimus docendi hæreticos 125.b
Monachus a proposito, proprio arbitrio & voluntate susceptο, non potest resilire 146.a
Monacho non sacerdoti concionãdi munus non permittendum 133.b
Moriendum idemque viuendum cui sit 58.a.b
Moses & Elias cur in transfiguratione Christi discipulis apparuerint 76.d
Mulier, quæ, marito priori in captiuitatem abducto, ex qua eum liberatum vri desperabat, aut alioquin interemptum existimabat, alteri nupsisset, priorque reuertatur quid agere debeat 130.d.131.a. maritus secundus non culpabilis & tanq; alieni iuris peruasor iudicandus 131.a. si nolit mulier ad priorem redire quomodo punienda 131.a
Muneribus Dei iuste & sapienter vtendum 5.b
Murmurare audet humana insipientia contra suum conditorem 6.c

N.

Natiuitas Christi non tanquã præterita recolẽda, sed quasi præsens inspicienda 20.b
Natiuitate Christi diabolus illusus 12.d
Natiuitatis Christi quæ fuerit necessitas, qualitas & vtilitas 12.b
Naturæ duæ in Christo 18.a.36.b
Naturæ humanæ infirmitas 9.d
Naturæ nostræ a Christo assũptæ non peccatũ 92.d
Nero primus persecutor Christianorum 67.b.c
Nestorius episcopus Constantinopolitanus 19.d
Nestorij error 13.b.120.c.151.c.d
Nestorius quid senserit 73.b.95.c
Nuptias & procreationem filiorum damnant cum Manichæis Priscillianistæ 148.b

O.

Oblatio sacrificij intercepta 128.a
Opera bona excruciant diabolum 4.a
Opera bona quid præstant 72.d
Operibus bonis quid consequamur 74.d
Opera misericordiæ Dei misericordiam promerentur 33.a
Opera misericordiæ Deum conciliant 4.c.d
Opera necessaria 23.c.26.b.27.d
Operantium fides secura 78.c
Operum bonorum Deus autor 28.d
Opes cum bene eroganter, augentur 9.c
Orandum pro hæreticis 25.d
Oratio Christi in cruce quàm efficax 49.c
Oratio, eleemosyna & ieiunium maximè ad religiosas actiones pertinent 6.d
Oratio vnde sit efficax 8.b
Ordines sacri etiam minoris officij, bigamis nõ permittendi 143.a
Ordinibus sacris quales præficiendi 81.b
Organa Satanæ quæ 27.b
Origenis error de animabus 95.a

P.

Pacem habere cum Deo quid sit 17.b
Pacifici qui sint verè 78.d
Pacis commendatio 17.b
Pacis tempore quibus modis Satan homines tentet
Partus diuini qualitas 12.c (27.c
Paruuli quomodo originali vitio obnoxij 138.b.c.d
Paruulos si absq; baptismo de seculo exijssent, Pelagiani impiè asserebant non posse dãnari, neque eos in peccato Adæ teneri &c. 138.b.c
Pascha celebraturi quomodo se præparabunt 24.a.d.36.a.38.b
Pascha Domini qui non celebrent 59.d
Paschalis festi supputatio 122.c.d 123.a.b.c.d
Paschalis solennitas cæteris præstantior 31.d.37.d
Paschali tempore cur Christus passus 45.b
Pascha quid significet 60.a
Pascha domini vt celebranda 32.a
Passionis Christi contemplatio quid præstet 49.b
Patrum traditiones 5.b
Pauor discipulorum excusabilis 47.c
Pauperes cur Deus esse permittat 72.a
Pauperes spiritu qui sint 77.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pauperibus omnibus subueniendum, sed maximè catholicis 72.a
Pauperibus verecundis subueniendum 4.d
Paupertatis exempla 77.d.78.a
Pax Christiana omnibus vehementer commendata 158.c.d
Pax ecclesiastica vt seruetur 119.a
Pax & libertas vera hominis 29.c
Pax mundi qualis 17.d
Pax vera quid poscat 17.d
Pelagianorum hæresis 138.a.b
Peccatum in spiritum sanctum cur non remittatur 62.c.d,63.b.c
Persecutio piorum multiplex 37.a
Petri in ligando & soluendo priuilegium 3.b
Petri prærogatiua 60.c
Petri priuilegium 67.d.68.a.b
Petrus aliis apostolis prælatus 163.a.b
Petri conuersio 42.b.c
Pijs cur maximè insidietur diabolus 7.b.37.b
Petrus cur negare permissus 48.a
Petrus cur voluerit capite deorsum verso crucifigi 160.a
Petrus etiamnum pascit Ecclesiam 68.a.b
Petrum in Petri sede Ecclesia suscipit 1.c
Petrus in Pontifice ceu legitimo hærede venerandus 2.b
Petrus omnium Episcoporum primas 2.b.3.a
Petrus, petra, fundamentum, cœli ianitor 2.a.3.a
Pœnitentia & communio in periculo mortis neminì neganda 143.d
Pœnitentia post baptismum lapsis necessaria 143.c
Pœnitentia restaurantur lapsi 39.a
Pontifex Rom. à quo coronam aliaq; diademata & insignia acceperit 162.a.b.c.d.&c.
Præcepta Dei quibus non sunt difficilia 26.c
Præceptorum Dei scopus 74.a
Præcepta Dei speculum humanæ mentis 39.b
Prædestinatio 170.d
Presbyteri quæ non possint facere 141.b
Priscilianorum errores 146.d.& deinceps
Proximus noster quis 6.b
Publica pietatis exercitia priuatis præstant 70.d.71.c
Pueri vt effici debeamus 28.b
Pugna perpes Christianorum 7.c.10.a

Q.

Quadragesima ab apostolis instituta 34.c.37.a
Quadragesimæ dies sacratissimi 29.c.32.a.38.c
Quadragesimæ ieiunium cur pascha præcedat 36.d.37.a.d.39.d
Quadragesimæ ieiunium omnibus amplectendum 33.d.38.c
Quadragesimale ieiunium doctrina spiritus S. 31
Quadragesimali tempore quib. studijs vacandũ 35.d
Quadragesimali tempore viuendum religiosius 29.c.30,c.31.b.34.b.36.d

R.

Redimere cur nos iustitia potius quã potentia voluerit Deus 12.d.19.b.32.a.33.b
Remedium nobis duplex in Christo 54.c
Reparatio hominis maior quam creatio 51.a
Resurgendum quomodo cum Christo 39.d
Romæ quid contulerit Petrus & Paulus 66.d
Romanæ Ecclesiæ fides quam efficax 2.b
Romana Ecclesia hæreses omnes profligauit 160.b
Romana fides nunquam violata 76.a
Romanam sedem caput esse omnium Ecclesiarum multæ Synodi approbarunt 161.b.&c.
Roman. Pontificiu aut horitas 117.b.116.d
Romani Pontifices idem quod Petrus docent 2.a
Rom. imperium cur diuinitus præparatum 67.a
Roma per B. Petri sedem caput orbis effecta 67.a
Romanus Pontifex approbat Concilia 119.a.c.d
Rom. pontifex formam præscribit Synodo 111.b
Rom. Pontifex præsidet Ecclesiæ 103.d
Rom. Pont. præsidet œcumenicis Concilijs 110 a.b.d
Rom. Pont. totius Ecclesiæ curam ex diuina institutione gerit 135.d.139.a

S.

Sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech 1.d
Sacerdos Deivt nullo errore implicari, sic etiã nulla cupiditate violari debet 114.d
Sacerdotem nunquã licet ignorare, quod canonum regulis est definitum 81.c
Sacerdotes quomodo eligantur 1.d
Sacerdotes flexanimis & vitijs non resistunt consensisse censendi sunt 149.c.d
Sacerdoti non licet nescire quod prædicat 126.c
Sacerdotib. & diaconis lapsis quid faciendũ 145.a
Sacerdotium supremum quare D. Petro & eius successoribus collatum. 2.c
Sacrificia legis priscæ quid significarint 41.d
Sacrificiæ veteris legis per oblationem corporis & sanguinis Christi sublatæ 47.b
Sacrificij oblatio intercepta 128.c
Sacrificij oblatio quando iteranda 132.d
Sancti orant pro nobis 3.c.9.a
Sanctorum suffragia ambienda 26.d
Sanguinem Christi sumere volunt Manichæi 33.a
Sanguinis Christi virtus 50.b
Sapientia Christiana summa quæ sit 28.b
Satisfactio etiam pars pœnitentiæ 143.c.d
Schismatum mater superbia, eiusq; proles inuidia & vana gloria 168.a
Sedes Apostolica approbat Synodum Chalcedonensem 129.c
Sedis Apostolicæ auctoritas 81.c.89.c.d
Sedis Apostolicæ consensus in conuocandis Synodis 120.a
Sedes Apostolica consulenda 141.c.d
Sedes Apostolica magnas & arduas quæstiones dissoluit 130.d
Sedis Apostolicæ dignitas 111.d.112.a.c
Sedis Apostolicæ temperantia 96.a.97.d
Sedes B. Pet. sacerdotalis mater est dignitatis 83.a
Sedes Rom. à nemine iudicanda 161.b.etc.170.a.b
Sedes Romana caput omnium Ecclesiarũ 161.b.etc.
Sedi Romanæ quam ingentia priuilegia dederit Constantius 162.b.c.d
Signa facta in morte Christi 41.c
Simonis Cyrenæi mysterium 46.d
Spiritualibus sapius diuitijs quàm carnalib. vocandum 10.c
Spiritus sanctus cur quinquagesimo die missus 62.a
Spiritus S. dona septem Ecclesiæ data 63.d.64.a
Spiritum sanctum habuerunt Discipuli etiam ante Christi passionem 63.b
Spiritus sancti natura inuisibilis 62.b
de Spiritu sancto quid sentiendum 63.a
Stella cur Magis apparuerit 23.d
Stella Magi Herodes quid mysticè 26.a.28.c
Stella quæ Magis apparuerit, etiam nobis quotidie apparere non desinit 24.b
Subdiaconis coniugium illicitum 136.c
Superbia bonis operibus insidiatur 32.c
Superstitio 18.c
Supplicia in hæreticos constituta 147.a
Symbolum Apostolorum omnium hæreticorum opiniones facilè potest detruncare 96.b
Synodum Chalcedonensem approbauit Apostolica sedes 129.c

T.

Tela dæmonis cuiusmodi sint 7.d
Tentari cur Christus voluerit 29.c
Tentationes diabolicæ quibus nihil noceant 17.c
Tentationes necessariæ 29.d
Tentationibus non caremus in hac vita 31.c.38.d
Terra mitibus promissa quæ sit 78.b
Terrenarum facultatum non iam possessio quàm dispensatio nobis commissa est 5.b
Thesaurus hominis quis sit 74.a.b
Traditionis Apostolicæ sunt quæ Ecclesia generatim obseruat 65.d
Transfiguratus cur Christus coram discipulis 76.c
Trinitatis opera communia 50.b.62.c.64.b
de Trinitate qui sit cogitandum 64.d
in Trinitate sancta nulla diuersitas 62.c
Tristitia religiosa aut alienum aut proprium peccatum luget 78.a

V.

Vana gloria in rectè factis cauenda 74.a
Veli templi scissio mysticè quid 55.b
Velum templi scissum quid significet 48.d.49.a
Verbum caro factum est qui accipiendum 18.a.21.b
Veritas corporis Christi & sanguinis in Eucharistia 73.c.99.c
Veritas semper sui similis 55.d
Veteru legis quænam abolita sint, & quæ seruentur 9.b.52.c.73.d
Via salutis quæ 58.d
Vicarios ad Synodale Concilium mittit Leo 95.b.97.a.98.b
D. Vincentij vita & passio describitur 79.d
Virgo Barbarica vi oppressa quomodo tractanda 140.b.d
Virtutes aliæ absq; misericordiæ operibus non prosunt. 5.c
Virtutum voluptas maior quàm vitiorum 74.d
Vita hæc plena periculis 33.c.38.d
Vita præsens tempus est sationis futuræ messis 5.d
Voluntas bona remuneratur 31.a.34.d
Voluntas nostra vt Dei voluntati conformanda 17.c.d
Voluptas virtutum maior quàm vitiorum 74.d
Vota reddenda 146.a.b
Vsuram nec Clerici nec Laici exercere debent 81.c
Vsura quam perniciosa, quamque fugienda 9.c.d

Z.

Zelus pius contra hæreticos assumendus 9.a

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. LEONIS, HVIVS NOMINIS PAPAE PRIMI, SERMONES IN PRAECIPVIS ANNIS TOTIVS FESTI VITATIBVS, AC DE SERIIS QVIBVSDAM alijs negotijs, habiti ad fidelem plebem.

IN ANNIVERSARIO DIE ASSVMPTIO-nis eius ad summi Pontificis Romani culmen & onus, sermo primus.

Dignitates Ecclesiasticæ à quo potissimùm conferantur & ad quid valeant.

LAVDEM Domini loquatur os meum, & nomen sanctũ eius anima mea ac spiritus, caro & lingua benedicat. Quia nõ verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est, beneficia tacere diuina: & satis dignum est à sacrificijs dominicæ laudis, obsequium consecrati Pontificis inchoare. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, & benedixit nobis: quia fecit mihi mirabilia magna solus, vt præsentem me cerneret vestræ sanctitatis adfectio, quem fecerat necessitas longæ peregrinationis absentem. Ago igitur Deo nostro gratias, & semper acturus sum pro omnibus, quæ tribuit mihi. Vestri quoque fauoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, euidenter intelligens quantum mihi possint reuerentiæ, amoris & fidei, studia vestræ dilectionis impendere, animarum vestrarum salutem pastorali solicitudine cupienti, qui tam sanctum de me nullis admodum præcedentibus meritis iudicium protulistis. Obsecro igitur per misericordias Domini, iuuare votis quem desiderijs expetistis, vt & spiritus gratiæ maneat in me, & iudicia vestra non fluctuent. Præstet in commune nobis omnibus pacis bonum, qui nobis vnanimitatis studia infudit, vt omnibus diebus vitæ meæ, in omnipotentis Dei seruitiũ: & ad vestra paratus obsequia cum fiducia possim dominum deprecari: Pater sancte, conserua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, semperque proficientibus vobis ad salutem, magnificet anima mea dominum, & in futuri retributione iudicij ita mihi apud iustũ iudicem sacerdotij mei ratio subsistat, vt vos mihi per bona opera vestra sitis gaudium, vos corona, qui bona volũtate syncerum præsentis vitæ testimonium præstitistis. Honorabilem igitur mihi, dilectissimi hodiernum diem fecit diuina dignatio. quæ dum humilitatem meam in summum gradum prouehit, quod neminẽ fuorum sperneret, demonstrauit. Vnde etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamẽ gaudere de dono, quoniã qui mihi * honoris est autor, ipse mihi fiet administrationis adfutor: & ne sub magnitudine gratiæ succũbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Recurrente igitur per suum ordinem die, quo me dominus Episcopalis officij voluit habere * principium, vera mihi in gloriam Dei causa est lætandi, qui mihi, vt multum à me diligeretur, multa dimisit. Et vt mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia nõ inuenit. Quo opere suo dominus, quid cordibus nostris insinuat, quidue commendat, nisi vt de iustitia sua nemo præsumat, & de ipsius misericordia nemo diffidat? Quæ tunc euidentius præeminet, quando peccator sanctificatur, & obiectus erigitur. Neque enim de qualitate nostrorum operum pendet cœlestium mensura

Ingratitudinis est beneficia Dei tacere.

Ioan. 17.

1. Thes. 2.

** oneris*

** Videnũ principatum legẽdum.*

Quid nos moneat Deus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

honorum collationi.

Iob 7.

ſura donorum: aut in iſto ſeculo, in quo tota vita tentatio eſt, hoc vnicuique retribuitur, quod meretur, vbi ſi iniquitates dominus obſeruaret, nullus iudicium ſuum ſuſtineret. Magnificate ergo dilectiſsimi dominum mecum, & exaltemus nomen eius inuicem, vt tota ratio celebritatis hodiernæ ad laudem ſui referatur autoris. Nã quod propriè ad adfectum animi mei pertinet, confiteor me plurimum de omnium veſtrum deuotione gaudere. Cumque hãc venerabilium conſacerdotum meorum ſplendidiſsimam frequentiam video, angelicum nobis in tot ſanctis ſentio intereſſe conuentum. Nec dubito nos abundantiore hodie diuinæ præſentiæ gratia viſitari, quando ſimul adſunt, & vno lumine micant tot ſpecioſiſsima tabernacula Dei, tot membra excellentiſsima corporis Chriſti. Nec abeſt, vt cõfido, ab hoc cœtu etiam beatiſsimi apoſtoli Petri pia dignatio & fida dilectio: nec veſtram deuotionem ille deſeruit, cuius nos reuerentia cõgregauit. De veſtro itaque & ipſe gaudet affectu, & in conſortibus honoris ſui, obſeruantiam dominicæ inſtitutionis amplectitur, probans ordinatiſsimam totius Eccleſiæ charitatem, quæ in Petri ſede Petrum ſuſcipit, & à tanti amore paſtoris, nec in perſona tam imparis tepeſcit hæredis. Vt ergo hæc pietas dilectiſsimi, quam erga humilitatem meam vnanimiter exhibetis, frugo ſui ſtudij conſequatur, miſericordiſsimam Dei noſtri clemẽtiam ſupplices obſecrate, vt in diebus noſtris expugnet impugnantes nos, muniat fidem veſtram, multiplicet deuotionem ac dilectionem, augeat pacem, meque ſeruulum ſuum, quem ad oſtendendas diuitias gratiæ ſuæ, gubernaculis Eccleſiæ voluit præſidere, ſufficientem tanto operi, & vtilem veſtræ defenſioni dignetur efficere, & ad hoc, tempora noſtræ ſeruitutis extendere, vt proficiat deuotioni, quod fuerit largitus ætati, per Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

Sermo ſecundus in anniuerſario die aſſumptionis eiuſdem ad ſummi Pontificis munus.

Pontificatus qualitas ſecundum ordinem Melchiſedech quæ ſit.

OVoties nobis miſericordia Dei donorum ſuorum dies renouare dignatur, iuſta dilectiſsimi & rationabilis cauſa eſt lætandi, ſi officij origo ſuſcepti, ad laudem ſui referatur authoris. Hanc enim obſeruantiam omnibus quidem ſacerdotibus congruam, ſed mihi neceſſariam maximè eſſe cognoſco, qui reſpiciens ad exiguitatis meæ tenuitatem, & ad ſuſcepti muneris magnitudinem, etiam ego illud propheticum debeo proclamare: Domine audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui. Quid enim tam inſolitum, tam pauendum, quàm labor fragili, ſublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non deſperamus, neque deficimus, quia non de nobis, ſed de illo præſumimus, qui operatur in nobis. Vnde & *Pſal. 103* Dauidicum Pſalmum dilectiſsimi non ad noſtram elationem, ſed ad Chriſti domini gloriam conſona voce cantauimus. Ipſe eſt enim, de quo propheticè ſcriptum eſt: *Sacerdos eſt Chriſtus ſecũdum ordinem Melchiſedech.* Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, non ſecundum ordinem Aaron, cuius ſacerdotium per propaginem ſui ſeminis currens, temporalis miniſterij fuit, & cum veteris teſtamenti lege ceſſauit: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, in quo æterni Pontificis forma præceſſit. Et dum quibus parentibus ſit æditus, non refertur, in eo ille intelligitur oſtendi, cuius generatio non poteſt enarrari. Denique cum huius diuini ſacerdotij ſacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis creauit, eligitur: ſed ceſſante priuilegio patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos rectores Eccleſia accipit, quos ſpiritus ſanctus præparauit: vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuerſitas ſacerdotalis atque regalis eſt, non prærogatiua terre-

terrenæ originis obtineat vnctionem, ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat antiſtitẽ. Quamuis ergo dilectiſsimi nos ad explendã noſtri officij ſeruitutem & infirmi inueniamur, & ſegnes, dum ſi quid deuotè & ſtrenuè agere cupimus, ipſius noſtræ cõditionis fragilitate tardamur, habentes tamen inceſſabilem propiciationem omnipotentis & perpetui ſacerdotis, qui ſimilis noſtri, æqualis patri, diuinitatem vſque ad humana ſubmiſit, humanitatem vſque ad diuina prouexit, dignè & piè de ipſius conſtitutione gaudemus: quoniam etſi multis paſtoribus curam ſuarum ouium delegauit, ipſe tamen dilecti gregis cuſtodiam non reliquit. De cuius principali æternoque præſidio, & apoſtolici operis munimen accepimus, quod vtique ab opere ſuo non vacat: & firmitas fundamenti, cui totius Eccleſiæ ſuperſtruitur altitudo, nulla incumbentis ſibi templi mole laſſeſcit. Soliditas enim illius fidei, quæ in apoſtolorũ principe eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit. Cùm enim, ſicut Euangelica lectione reſeratum eſt, interrogaſſet dominus diſcipulos, quem ipſum (multis diuerſa opinantibus) crederent, reſpondiſſetque beatus Petrus, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui: dominus ait: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Manet ergo diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumque arbiter manſura etiam in cœlis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus. Qui nunc plenius & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorũ atque curarum in ipſo & cum ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur. Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèque diſcernitur: ſi quid à miſericordia Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur, illius eſt operum atque meritorum, cuius in Sede ſua viuit poteſtas, & excellit authoritas. Hoc enim obtinuit dilectiſsimi illa confeſsio, quæ à Deo patre apoſtolico inſpirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta tranſcendit: & firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit. In vniuerſa namque Eccleſia: Tu es Chriſtus filius Dei viui, quotidie Petrus dicit: & omnis lingua, quæ cõfitetur dominum, magiſterio huius vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captiuorum eius vincula diſſoluit. Hæc erutos mundo, inſerit cælo, & portæ inferi aduerſus eam prævalere non poſſunt. Tanta enim diuinitùs ſolliditate munita eſt, vt eam neque hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia. His itaque modis dilectiſsimi rationabili obſequio celebratur hodierna feſtiuitas, vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſolicitudo cum commẽdatarum ſibi ouium cuſtodia perſeuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Vnde venerabilium quoque fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mihi & honoranda præſentia hinc ſacratior eſt & deuotior, ſi pietatem huius officij, in quo adeſſe dignati ſunt, ei principaliter deferunt, quem non ſolùm huius Sedis præſulem, ſed & omnium Epiſcoporum nouerunt eſſe primatem. Cùm ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, ipſum vobis, cuius vice fungimur, loqui credite: quia & illius vos affectu monemus, & non aliud vobis, quàm quod docuit, prædicamus, obſecrantes, vt ſuccincti lumbos mentis veſtræ, caſtam & ſobriam vitam in timore Dei ducatis, nec concupiſcentijs carnis, mens principatus ſui oblita, conſentiat. Breuia & caduca ſunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos à ſemitis vitæ conantur auertere. Fidelis ergo & religioſus animus ea

Eccleſiæ ſtabilitas.

Matt. 16.

Petrus, petra, fundamentũ, cœli ianitor.

Fidei Eccleſiæ Romani præconium.

Petrus omniũ Epiſcoporum primus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ ſunt cæleſtia concupiſcat, & diuinarum promiſsionum auidius, in amorem ſe
incorruptibilis boni, & in ſpem veræ lucis attollat. Certi autem eſtote dilectiſsimi,
quod labor veſter, quo vitijs reſiſtitis, & carnalibus deſiderijs repugnatis, placens in
conſpectu Dei eſt atq; precioſus, nec ſolùm vobis, ſed etiam mihi apud Dei miſeri-
cordiam profuturus: quia de profectu dominici gregis gloriatur cura paſtoris. Co-
1. Theſ. 2. rona mea, ſicut Apoſtolus ait, & gaudium vos eſtis: ſi fides veſtra, quæ ab initio Eu-
Rom. 1. angelij in vniuerſo mundo prædicata eſt, in dilectione & ſanctitate permanſerit.
Nam licet omnem Eccleſiam, quæ in toto eſt orbe terrarum, cunctis oporteat flo-
rere virtutibus, vos tamen præcipuè inter cæteros populos decet meritis pietatis ex-
cellere, quos in ipſa apoſtolicæ petræ arce fundatos, dominus noſter Ieſus Chriſtus
cum omnibus redemit: & beatus Apoſtolus Petrus præ omnibus erudiuit, per eun-
dem Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

Sermo tertius in anniuerſario die eiuſdem ad-ſumptionis.

Sacerdotium ſupremum quare beato Petro & eius collatum ſucceſſoribus.

GAudeo dilectiſsimi de religioſo veſtræ deuotionis affectu, & Deo
gratias ago, quòd in vobis pietatem Chriſtianæ vnitatis agnoſco. Si-
cut enim ipſa frequentia veſtra teſtatur, intelligitis huius diei recur-
ſum ad communem lætitiam pertinere, & honorem celebrari totius
gregis, per annua feſta paſtoris. Nam licet vniuerſa Eccleſia Dei di-
ſtinctis ordinata ſit gradibus, vt ex diuerſis membris, ſacrati corporis
1. Cor. 12. ſubſiſtat integritas: nos tamen omnes, ſicut ait Apoſtolus, in Chriſto Ieſu vnum ſu-
mus, nec quiſquam ab alterius ita eſt diuiſus officio, vt non ad connexionem perti-
neat capitis, cuiuſlibet humilitas portionis. In vnitate igitur fidei atq; baptiſmatis,
indiſcreta nobis ſocietas dilectiſsimi, & generalis eſt dignitas, ſecundum illud bea-
1. Pet. 2. tiſsimi Petri Apoſtoli ſacratiſsima voce dicentis: Et ipſi tanquam lapides viui ſuper-
ædificamini in domos ſpiritales ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias,
acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et infrà. Vos autem genus electum, regale
ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Omnes enim in Chriſto regenera-
Chriſtiani omnes vt reges & ſacerdotes. tos, crucis ſignum efficit Reges: Sancti verò ſpiritus vnctio conſecrat ſacerdotes, vt
præter iſtam ſpecialem noſtri miniſterij ſeruitutem, vniuerſi ſpiritales & rationales
Chriſtiani agnoſcant ſe regij generis & ſacerdotalis officij eſſe cõſortes. Quid enim
Hoſtiæ ſpiritales. tam regium, quàm ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe rectorem? Et quid tam
ſacerdotale, quàm vouere domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis
noſtras de altari cordis offerre? Quod cùm omnibus per Dei gratiam commune ſit
factum, religioſum tamẽ nobis atq; laudabile eſt, de die prouectionis noſtræ, quaſi
de proprio honore gaudere, vt vnum celebretur in toto Eccleſiæ corpore Pontifi-
cij ſacramentum, quod effuſo benedictionis vnguento, copioſius quidem in ſupe-
riora profluxit, ſed non parcè etiam in inferiora deſcendit. Quum itaq; dilectiſsimi
de conſortio iſtius muneris magna ſit nobis materia communium gaudiorum, ve-
rior tamen vobis & excellentior erit cauſa lætandi, ſi non in noſtræ humilitatis con
ſideratione remoremini, cùm multò vtilius multoq; ſit dignius, ad beatiſsimi apo-
ſtoli gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potiſ-
ſimùm veneratione celebrare, qui ab ipſo omnium chariſmatum fonte, tam copio-
ſis eſt irrigationibus inundatus: vt cùm multa ſolus acceperit, nihil in quenquam ſi-
Ioan. 1. ne illius participatione tranſierit. Verbum enim caro factum fuerat, & habitabat
iam in nobis, vt reparando humano generi totum ſe Chriſtus impenderet. Nihil indiſpo-

indiſpoſitum ſapientiæ, nihil erat arduum poteſtati. Famulabantur elementa, mi-
niſtrabant ſpiritus, angeli ſeruiebant, nec vllo modo poterat inefficax eſſe ſacramen
tum, quod ſimul ipſius deitatis vnitas operabatur & Trinitas. Et tamẽ de toto mun-
do vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus apo- *Petrus prin ceps paſto-*
ſtolis, cunctiſq; Eccleſiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi ſa- *rũ d Chri-*
cerdotes ſint, multiq; paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principali- *ſto conſti-*
ter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile dilectiſsimi huic viro conſortium poten- *tutus.*
tiæ ſuæ tribuit diuina dignatio: & ſi quid cum eo commune cęteris voluit eſſe prin-
cipibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit. Omnes deniq;
apoſtolos Dominus, quid de ſe homines opinentur, interrogat: & tamdiu ſermo
reſpondentium communis eſt, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas expli-
catur. At vbi quid habeat ſenſus diſcipulorum, exigitur, primus eſt in Domini con-
feſsione, qui primus eſt in apoſtolica dignitate. Qui cum dixiſſet: Tu es Chriſtus fi- *Matth. 16.*
lius Dei viui: reſpondit ei Ieſus: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non
reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Id eſt, ideo beatus es, quia pater meus
te docuit, nec terrena opinio te fefellit, ſed inſpiratio cœleſtis te inſtruxit: & non ca-
ro & ſanguis, ſed ille me tibi, cuius ſum vnigenitus filius, indicauit. Et ego, inquit,
dico tibi: hoc eſt, ſicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam: ita & ego ti-
bi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus: Id eſt: cum ego ſim inuiolabi- *1. Cor. 3.*
lis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum, ego fundamentũ, præter quod *Petrus di-*
nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt *citur pe-*
quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſu- *tra, ſuper*
per hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ad- *quam fun-*
uerſus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Ec- *datur Ec-*
cleſiæ meæ cœlo inferenda ſublimitas, in huius fidei firmitate conſurget. Hanc con *cleſia.*
feſsionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim iſta
vox vitæ eſt. Et ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia prouehit, ita negatores ad inferna
demergit. Propter quod dicit beatiſsimo Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum.
Et quæcunq; ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunq; ſolueris
ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Tranſiuit quidem in alios apoſtolos vis pote-
ſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius cõſtitutio commeauit, ſed
non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſin- *Petri in li-*
gulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Ma- *gando &*
net ergo Petri priuilegium, vbicunq; ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec nimia *ſoluendo*
eſt vel ſeueritas vel remiſsio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus *priuilegiũ.*
Petrus aut ſoluerit, aut ligauerit. Inſtante autem paſsione ſua dominus, quæ diſci-
pulorum erat turbatura conſtantiam, Simoni, inquit: Simon, ecce Satanas expoſtu- *Luc. 7.*
lauit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides
tua, Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, vt non intretis in tentatio-
nem. Commune erat omnibus apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & di-
uinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagita-
re, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro *Chriſtus*
fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens *ſpecialiter*
principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gra- *pro Petro*
tiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrũ *rogauit.*
apoſtolis conferatur. Cùm itaq; dilectiſsimi tantum nobis videamus præſidium di-
uinitus inſtitutum, rationabiliter & iuſtè in ducis noſtri meritis & dignitate læta-
mur, gratias agẽtes ſempiterno Regi, redemptori noſtro Domino Ieſu Chriſto, qui
tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ principem fecit: vt ſi quid etiã no-
ſtris temporibus rectè per nos agitur, rectèq; diſponitur, illius operibus, illius ſit gu-
bernaculis deputandum, cui dictum eſt: Et tu conuerſus, confirma fratres tuos. Et *Luc. 22.*
cui poſt reſurrectionem ſuam dominus ad trinam æterni amoris profeſsionem my-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 21. Orant sancti pro nobis.

stica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas. Quod nunc quoq; proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis,& pro nobis orare non cessans,vt nulla tentatione superemur.Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei,sicut credendum est,vbiq; prætendit,quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro beatæ dormitionis thoro,eadem qua præsedit carne,requiescit? Illi ergo huic seruitutis nostræ natalitium diem, illi adscribamus hoc festum, cuius patrocinio Sedis ipsius meruimus esse consortes, auxiliãte nobis per omnia gratia Domini nostri Iesu Christi,qui viuit & regnat cum Deo patre & spiritu sancto in secula seculorum,Amen.

SERMO PRIMVS DE COLLECTIS.

Eleemosyna quid prosit,& vti præstetur.

Eleemosynarũ meritum & virtus.

MVLTIS diuinarum scripturarum testimonijs edocemur,quãtum eleemosynarum meritum,& quanta sit virtus. Certum est enim,vnumquenq; nostrũm animę suę benefacere,quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis dilectissimi apud nos largitas esse debet, si credimus sibi vnumquenq; id pręstare,quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cœlo, qui Christũ pascit in paupere. Benignitatem itaq; in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce.Idcirco enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui,pauperem ab egestatis labore,teq; à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas creatoris, vt vno facto duobus vellet esse succursum.Ventura igitur dominica dies,collectarum futura est.Hortor & moneo sanctitatem vestram, vt singuli quiq; & pauperum memineritis & vestri, & pro possibilitate virium vestrarum intelligatis in egentibus Christum, qui tantùm nobis pauperes commendauit, vt se in ipsis vestiri ac suscipi testaretur & pasci Christus Dominus noster, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo secundus de collectis.

Eleemosyna vt sit secundum lauacrum à peccatis, & opus maximæ charitatis.

NOtum vobis dilectissimi & familiare mandatum pastorali prædicamus hortatu, vt in opere misericordiæ studeatis esse deuoti, quod etiamsi nunquam à vestra sanctitate negligitur,nunc tamen promptius est & impensius exequendum, quia primus collectarum dies saluberrimè à sanctis patribus institutus hoc exigit, vt vnusquisq; prout votiuum atq; possibile est, in vsus atq; alimoniam pauperum de vestris facultatibus conferatis: scientes præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuersorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitùs esse donatum, vt si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur,eleemosynis deleatur. Eleemosynæ enim opera charitatis sunt, & scimus, quòd charitas operit multitudinem peccatorum. Proinde dilectissimi in secundam feriam spõtaneas * collectas vestras solicitè præparate, vt quicquid vobis de temporalibus substantijs dempseritis,id multiplicatum in æterna retributione sumatis.

Eleemosynis extinguuntur peccata. 1.Cor. 13. 1. Pet. 4.

** collectiones.*

Sermo

Sermo tertius, de collectis.

Eleemosyna quantùm excruciet dæmones,quidúe sentiendum de collectis.

CHristianæ pietatis est dilectissimi, vt quæ apostolicis sunt traditionibus instituta,perseueranti deuotione seruentur. Nam illi beatissimi discipuli veritatis, hoc diuinitùs inspirata commendauere doctrina, vt quoties cæcitas paganorum in superstitionibus suis esset intentior, tunc præcipuè populus Dei, orationibus & operibus pietatis instaret. Quoniam immundi spiritus,quantùm gentilium errore lætantur,tantùm veræ religionis obseruantia atteruntur, & augmenta iustitiæ vrunt impietatis authorem.Cuius impia & prophana commenta, ne sacratis Deo vero cordibus aliquid pollutionis inferrent, beatus magister gentium præcauebat,cùm voce apostolica diceret:Nolite iugum cum infidelibus ducere. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Et deinde vocem prophetici spiritus addidit, dicens: Exite, exite de medio eorum, & separamini,dicit Dominus,& immundum ne tetigeritis. Vnde quoniam ad destruendas antiqui hostis insidias in die, quo impij sub idolorum suorum nomine diabolo seruiebant,prouidentissimè in sancta Ecclesia prima est instituta collectio, volumus dilectionem vestram tertia feria per omnes regionum vestrarum Ecclesias cum voluntarijs oblationibus eleemosynarum conuenire. In quo opere, etsi non est omnium æqualis facultas,debet esse par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere,sed de beneuolentiæ quantitate. Habeant in hoc misericordiæ commertio etiam pauperes lucrum, & ad sustentationem egentium de quantacunq; substantia aliquid,quod eos non contristet, excerpant. Sit diues munere copiosior,dum pauper animo non sit inferior. Quamuis enim maior speretur reditus de maiore semente,potest tamen de exigua satione multus fructus prouenire iustitiæ.Iustus enim est iudex & verax, qui neminem fraudat mercede meritorũ. Et ideo nos curam pauperum vult habere, vt in futuræ retributionis examine, misericordibus,quam promisit,misericordiã largiatur Christus Deus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Opera bona excruciant diabolum.

2.Cor. 6.

Sermo quartus, de collectis & eleemosyna.

Eleemosyna vt saluet hominem.

MIsericordia dilectissimi & iustitia DEI, formam retributionum suarum à mundi constitutione dispositam, per doctrinam domini nostri Iesu Christi benignissima nobis expositione reserauit, vt acceptis rerum significationibus,quę futura credimus,iam quasi gesta nosceremus.Sciebat enim redemptor noster atque seruator, quantos fallacia diaboli per totum mundum sparsisset errores,& quàm multis superstitionibus maximam sibi partem humani generis subdidisset. Sed ne vltra per ignorantiam veritatis,creatura ad imaginem Dei condita,in præcipitia perpetuæ mortis ageretur,Euangelicis paginis iudicij sui inseruit qualitatem,quæ omnem hominem à calidissimi hostis reuocaret insidijs: quum iam nulli esset incognitum, quæ bonis speranda præmia, & quæ malis essent inferenda supplicia. Incensor nanque authorque peccati,primùm superbus vt caderet, deinde inuidus vt noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocauit, omniaque deceptionum genera de hoc veneratissimo artis suæ fonte produxit, vt ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ deuotionis nititur.

Ioan.8. Vis omnis diaboli mendacio nititur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excluderet,eosq; in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset. Quicquid igitur hominum quibuslibet impietatibus Deum læsit,huius fraude traductum, huius est nequitia deprauatum. Facile enim in omnia flagitia impulit,quos religione decepit. Sciens autem Deum non solùm verbis,sed etiam factis negari,multis quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem: & agro cordis ipsorum auaritiæ radicibus occupato,spoliauit fructu operum,quos non priuauit confessione labiorum.Propter has ergo dilectissimi versutias hostis antiqui,scire nos voluit ineffabilis benignitas Christi, qui in die retributionis de vniuersitate hominum esse decernendum, & dum in hoc tempore legitimorum remediorum medicina præbetur,dum elisis reparatio non negatur, & qui diu fuerunt steriles,possint tandem esse fœcundi, præueniatur disposita censura iustitiæ,& nunquam à cordis oculis,diuinæ discretionis imago discedat. Veniet enim in maiestatis suæ gloria Dominus, sicut ipse prædixit, aderitq; cum eo radians in splendoribus suis,innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiæ eius omnium gentium populi, & quicquid hominum vniuersis seculis toto orbe terrarum progenitum est, in conspectu iudicantis adstabit.Separabuntur ab iniustis iusti,à nocentibus innocentes: & cum præparatum sibi regnum recensitis misericordiæ operibus, filij pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis iniustis:& nihil habentes sinistri commune cum dextris, in ignem ad diaboli & angelorum eius tormenta dispositum, omnipotentis iudicis damnatione mittentur,cum illo habituri pœnæ communionem,cuius elegerunt facere voluntatem.Quis igitur istam sortem æternorũ cruciatuum nõ paueſcat? Quis mala nunquam finienda non timeat?Sed cum ideo denunciata sit seueritas,vt misericordia quæreretur,in diebus præsentibus cum mericordiæ est largitate viuendum, vt homini post periculosam negligentiam, ad pietatis opera reuertenti, possibile sit ab hac sententia liberari.Hoc enim agit potentia iudicis,hoc gratia seruatoris,vt relinquat impius vias suas,& iniquitatis suæ consuetudine peccator abscedat.Miserentur pauperum,qui sibi volunt parcere Christum.Faciles sint in alimenta miserorum,qui cupiunt ad societatem *peruenire fidelium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura,quam rerum conditor suam fecit.Cui enim laborantium licet negare,quod Christus sibi profitetur impendi? Iuuatur conseruus,& gratiam refert dominus.Cibus egeni,regni cælestis est precium: & largitor temporalium,hæres efficitur æternorum. Vnde autem exigua ista impendia, tanta æstimari taxatione meruerunt,nisi quia pondera operum charitatis lance pensantur,& quum amatur ab homine, quod Deus diligit, meritò in eius ascenditur regnum,in cuius transitur affectum? Ad horum ergo operũ dilectissimi piam curam dies nos apostolicæ institutionis inuitat,in quo sanctarum collectionum prima collectio est prudenter à patribus & vtiliter ordinata: vt quia in hoc tempore gentilis quondam pppulus superstitiosius dæmonibus seruiebat, contra prophanas hostias impiorum, sacratissima à nobis nostrarum eleemosynarum celebraretur oblatio. Quod quia incrementis Ecclesiæ fructuosissimum fuit, placuit esse perpetuum. Vnde hortamur sanctitatem vestram,vt per ecclesias regionum vestrarum quarta feria de facultatibus vestris,quantum suadet possibilitas & voluntas, expensas miseriæ conferatis,vt possitis illam beatitudinem promereri,in qua sine fine gaudebit,qui intelligit super egenum & pauperem.Ad quem intelligendum dilectissimi, solita benignitate vigilandum est,vt quem modestia tegit, & verecundia præpedit, inuenire possimus.Sunt enim qui palam poscere ea,quibus indigent,erubescunt,& malunt miseria tacitæ egestatis affligi,quàm publica petitione confundi.Intelligendi ergo isti sunt,& ab occulta necessitate *subleuandi, vt hoc ipso amplius gaudeant,quum & paupertati eorum consultum fuerit & pudori.Rectè enim in egeno & paupere,ipsius Iesu Christi domini nostri persona sentitur,qui cum esse diues, fecit dicit Apostolus,inops factus est,vt nostua paupertate ditaret.Et ne deesse nobis sua

Fides sine charitate esse potest Ad Tit.1.

Matt.19.

Iudicij extremi forma.

Opera misericordiæ Deum cõciliant.

**pertinere*

Psal.40.

Pauperibus verecundis subueniendũ.

**releuãdi.*

2.Cor.8.

sua præsentia videretur,ita humilitatis & glorię suę temperauit mysterium,vt quem regem & dominum in maiestate patris adoramus,eundem in suis pauperibus pascremus,liberandi ob hoc in die mala à damnatione perpetua,&pro intellecti pauperis cura,regni cœlestis consortijs inserendi.Vt autem in omnibus dilectissimi placeat domino vestra deuotio, etiam ad hanc vos hortamur industriam, vt Manichæos vbicunque latentes vestris presbyteris publicetis.Magna est enim pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis cui seruiunt, diabolum debellare. Contra istos enim dilectissimi omnem quidem orbem terrarum,& totam vbique Ecclesiam decet fidei arma arripere.Sed vestra in hoc opere deuotio debet excellere, qui in progenitoribus vestris Euangelium crucis Christi ab ipso beatissimorum apostolorum Petri & Pauli ore didicistis.Non sinantur latere homines,qui legem per Mosen datam,in qua Deus vniuersitatis conditor ostenditur, recipiendam esse non credunt, prophetis & sancto spiritui contradicunt, Psalmos Dauidicos, qui per vniuersalem Ecclesiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate ausi sunt refutare, Christi domini natiuitatem secundum carnem negant, passionem & resurrectionem eius simulatam dicunt fuisse,non veram, baptismum regenerationis totius gratiæ virtute dispoliãt. Nihil est apud eos sanctum,nihil integrum, nihil verum. Cauendi sunt,ne cuiquam noceant: prodendi sunt, ne in aliqua ciuitatis nostræ parte consistant.Vobis dilectissimi ante tribunal domini proderit quod indicimus,quod rogamus.Dignum est enim,vt eleemosynarum sacrificio & huius operis palma iungatur,auxiliante nobis per omnia domino IESV Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

Hæretici prodendi.

Manichæorum errores.

Sermo quintus de collectis & eleemosynis.

Eleemosynæ ac temperantiæ bona quæ,virtutesq; omnes non prodesse sine misericordiæ operibus.

Apostolicæ traditionis dilectissimi instituta seruantes, pastorali vos solicitudine cohortamur, vt diem, quem illi ab impiorum superstitione purgatum, misericordiæ operibus consecrarunt, deuotione religiosæ consuetudinis celebremus, ostendentes apud nos autoritatem patrum viuere,eorumq; doctrinam in nostra obedientia permanere.Quoniam sancta tantæ constitutionis vtilitas,non præterito tantùm tempori,sed etiam nostræ prospexit ætati: vt quod illis profuit ad destructionem vanitatum,hoc nobis proficeret ad incremẽta virtutum. Quid autem tam aptum fidei,quid tam conueniens pietati,quàm egentium iuuare paupertatem? infirmorum curam recipere? fraternis necessitatibus subuenire? & conditionis propriæ in aliorum labore meminisse? In quo opere, quantum quis possit, quantumq; non possit,solus veraciter ille discernit,qui nouit,quid quibusque contulerit. Non solùm enim spiritales opes & dona cœlestia Deo donante capiuntur,sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipsius largitate proueniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit,quàm dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei iustè & sapienter vtendum est,ne materia boni operis fiat causa peccati. Nam diuitiæ quidem,quantùm ad ipsas species earum atque substantias pertinet,bonæ sunt, & humanæ societati plurimùm prosunt, cùm à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit,vt tam pereant malè conditæ, quàm insipienter. Quamuis autem laudabile sit, intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multiq; magnificè dedignentur facultates suas occulere,& in copias affluentes vilem atque sordentem horreant parcitatem: non est tamen talium aut felix abundantia aut probanda fruga-

Patrũ traditiones.

Terrenarũ facultatũ non tam possessio quàm dispensatio nobis commissa est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

frugalitas, si ipsis tantùm propriæ opes seruiunt, si eorum bonis nulli iuuantur pauperes, nulli fouentur infirmi: si de magnarum abundantia facultatum non captiuus redemptionem, non peregrinus solatium, non exul sentit auxilium. Huiusmodi diuites, egentiores sunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos possunt habere perpetuos: & dum breui nec semper libero incumbunt vsui, nullo iustitiæ cibo, nulla misericordiæ suauitate pascuntur, foris splendidi, intus obscuri abundãtes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant: qui de ijs, quæ terrenis horreis commendarũt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt. Sed fortè sunt aliqui diuitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adiuuare, alia tamẽ mandata Dei custodiunt, & inter diuersa fidei & probitatis merita, venialiter sibi æstimant vnam deesse virtutem. Verùm hæc tanta est, vt sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamuis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & alijs moribus ornatus insignibus, misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Ait enim Dominus: Beati misericordes, quoniam ipsorũ miserebitur Deus. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & sederit in throno gloriæ suæ: & congregatis omnibus gentibus, bonorum & malorum fuerit facta discretio, in quo laudabuntur qui ad dexteram Dei stabunt, nisi in operibus beneuolentiæ & charitatis officijs, quæ Iesus Christus sibi impensa reputabit? Quoniam qui naturã hominis suam fecit, in nullo se ab humana humilitate discreuit. Sinistris verò quid obijcietur, nisi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus misericordia denegata? quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeãt sinistri. Sed illo magno summoq; iudicio tãti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omniũ virtutũ, & pro summa omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur dilectissimi de vllis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis: nec de sui corporis qualitate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. Eleemosynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extingunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus: dicente Salomone: Qui obturat aures, ne audiat imbecillem, & ipse vocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum. Vnde & Tobias filium suum præceptis pietatis instituens: Ex substantia, inquit, tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet, vt nec à te auertatur facies Dei. Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes, quæ ipsam quoq; fidem, ex qua iustus viuit, & quæ sine operibus mortua nominatur, sui admixtione viuificat. Quia sicut in fide operum ratio est, ita in operibus fidei fortitudo. Dum ergo tempus habemus, sicut ait Apostolus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Præsens itaque vita tempus est sationis, & retributionis tempus est messis, quando vnusquisque seminum fructus secundum sationis suæ percipiet quantitatem. De prouentu autem istius segetis nemo falletur, quia animorum ibi magis, quàm impendiorum mensura taxabitur: & tantum reddent exigua de exiguis, quantum magna de magnis. Et ideo dilectissimi satisfiat Apostolicis institutis. Et quia die dominica prima est futura collectio, omnes vos deuotioni voluntariæ præparate, vt vnusquisq; secũdum sufficientiã habeãt in sacratissima oblatione consortiũ. Exorabunt pro vobis & ipsæ eleemosynę & ij qui vestris muneribus iuuabuntur, vt ad omne opus bonum idonei semper esse possitis, in Christo IESV Domino nostro, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Auari quàm inopes.

Matt. 5. Virtutes aliæ absque misericordiæ operibus nõ prosunt.

Matt. 25.

Eleemosynæ bona.

Prou. 21. Tobiæ 4.

Fides sine operibus mortua est.

Iacob. 2. Galat. 6.

SERMO

SERMO PRIMVS DE IEIVNIO
decimi mensis & collectis.

Creatio hominis vt fuerit ad Dei imaginem, quantumq; oratio, ieiunium & eleemosyna nos Deo commendent.

SI fideliter dilectissimi atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordiũ, inueniemus hominẽ ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset autoris: & hãc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quã quotidiè nos vtiq; reparat gratia seruatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostræ nõ est, nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi priùs nos ipse diligeret, & tenebras ignorãtię suę veritatis luce discuteret. Quod per sanctum Esaiam Dominus denuntiãs, ait: Adducam cæcos in viam, quam ignorabant, & semitas quas nesciebant faciã illos calcare. Faciam illis tenebras in lucẽ, & prauа in directa. Hæc verba faciã illis, & non relinquã eos. Et iterũ: Inuentus sum, inquit, à non quærentibus me, & palàm apparui ijs, qui me non interrogabãt. Quod quo modo impletum sit, Ioannes apostolus docet, dicẽs: Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum, & simus in vero filio eius. Et iterum: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Diligendo itaq; nos Deus ad imaginem suam nos reparat & vt in nobis formam suæ bonitatis inueniat, dat vnde ipsi quoque, quod operatur, operamur: accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, & igne nos suæ charitatis inflammans, vt non solùm ipsum, sed etiã quicquid diligit, diligamus. Nã si inter homines ea demũ firma amicitia est, quã morũ similitudo sociarit, cùm tamen parilitas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus: quantũ nobis optandũ atq; nitendũ est, vt in nullo ab ijs, quę Deo sunt placita, discrepemus? De quo dicit Propheta: Quoniã ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius: quia nõ aliter in nobis erit dignitas diuinæ maiestatis, nisi imitatio fuerit volũtatis. Dicente itaq; Domino: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo & ex tota mẽte tua, & diliges proximũ tuũ sicut teipsum, suscipiat fidelis anima authoris sui atque rectoris immarcessibilem charitatem, totamque se etiam eius subijciat voluntati, in cuius operibus atque iudicijs nihil vacat à veritate iustitiæ, nihil à miseratione clementiæ. Quoniam etsi magnis quis laboribus & multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se aduersis vel corrigi intelligat, vel probari. Charitatis verò istius pietas perfecta esse non poterit, nisi diligatur & proximus. Quo nomine non ij tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitia & propinquitate iunguntur, sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est, siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui. Vnus enim nos conditor finxit, vnus nos creator animauit, eodem cuncti cœlo & aëre, eijsdem vtimur diebus & noctibus. Quumque alij sint boni, alij mali, alij iusti, alij iniusti, Deus tamen omnibus largitor, omnibus est benignus, sicut Lycaonijs à Paulo & Barnaba apostolis dicitur de prouidentia Dei, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens eis de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, & implens cibo & lætitia corda nostra. Dedit autem nobis maiores diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens, neminem despectat, dum docet neminem negligendum. Et meritò etiam inimicos diligi, & pro persequutoribus sibi præcipit supplicari, qui ex omnibus quoti-

Esai. 42.

Esai. 65.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 4.

Psal. 29.

Deo vt efficiamur essimiles. Matt. 22.

Proximus noster quis sit.

Actor. 14.

Matt. 5. Rom. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quotidiè gentibus fractis oliuæ suæ ramis, germen inserens oleastri, de inimicis re-
Philip.2. conciliatos, de alienis adoptiuos, de impijs facit iustos, vt omne genu flectatur, cœ-
lestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ie-
sus Christus in gloria est Dei patris. Cùm ergo Deus bonos nos esse velit, quia bo-
In omnibus laudes gratesque agẽda Deo. nus est, nihil nobis debet de eius iudicijs displicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid est aliud, quàm ex quadam eum parte reprehendere? Audet plerunq; hu-
mana insipientia aduersus creatorem suum, non solùm de inopia, sed etiam de copia murmurare, vt & quum aliquid nõ suppetit, quærula, & quum quædam exuberãt,
Matt. 9. sit ingrata. Multæ messis dominus horreorum suorum plenitudinem fastidiuit, &
Luc. 16. ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit: nec de magnitudine fructuum gratulatus, sed de vilitate conquestus est. Si autem parcior fuerit in susceptis terra semini-
bus, & castigatiore prouentu vites oleæq; defluxerint, accusatur annus, arguuntur elementa, & nec aëri parcitur nec cœlo, quum fideles & pios discipulos veritatis ni-
hil magis commendet & muniat, quàm perseuerans in Deum indefessa laudatio, di-
1.Thess. cente Apostolo: Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agi-
te. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Iesu in omnibus vobis. Huius autẽ deuo-
tionis quemadmodùm poterimus esse participes, nisi rerũ varietas cõstantiam men-
tis exerceat? vt amor directus in Deũ, nec inter secunda superbiat, nec inter aduersa deficiat. Quod placet Deo, placeat & omnibus nobis, de omni mensura munerum
eius gaudeamus. Qui bene vsus est magnis, vtatur bene & modicis. Tam nobis co-
pia, quàm parcitate consulitur. Nec in spiritalibus lucris angustia grauabimur fru-
ctuum, si fœcunditas non arescat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra nõ
dedit. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Ad omnia igi-
tur dilectissimi opera pietatis, omnium nobis qualitas profit annorum, nec beneuo-
4.Reg.4. lentiam Christianam difficultas temporalis impediat. Nouit Dominus vasa hospi-
Ioan.2. tali viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere: nouit aquas in vina conuertere:
Ioan.6. nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare populorum. Et
ille, qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando, potest multiplicare fumẽdo. Tria
verò sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium, &
eleemosyna, quibus exercẽdis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studio-
sius obseruandum, quod apostolicis accepimus traditionibus cõsecratum, sicut eti-
am decimus hic mensis morem refert veteris instituti, vt tria illa, de quibus locutus
sum, diligentiùs exequamur. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, ieiunio con-
cupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulq; per omnia
Dei in nobis imago renouatur, si & in laudem eius semper parati, & ad purificatio-
nem nostram sine cessatione soliciti, & ad sustentionem proximi indefinẽter simus
intenti. Hæc triplex obseruantia dilectissimi, omnium virtutum comprehendit effe-
ctus. Hæc ad imaginem & similitudinem Dei peruenit, & à spiritu sancto insepara-
biles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in ieiunio innocẽs vita, in elee-
mosynis mens benigna. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem apud
beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus: qui & orationes, & ieiunia,
& eleemosynas nostras, precibus suis dignabitur adiuuare per dominum nostrum
Iesum Christum, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculo-
rum, Amen.

Sermo secundus de ieiunio decimi mensis & collectis eiusdem.

Ieiunium mensis Septembris cur institutum, de eiusque efficacia.

Quod

QVod temporis ratio & deuotionis nostræ admonet consuetudo, pastorali vobis dilectissimi solicitudine prædicamus, decimi men-
sis celebrandum esse ieiunium, quo pro consummata perceptione omnium fructuum, dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid enim potest efficacius esse ieiunio? cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistẽtes diabolo, vitia blã- *Ieiunij efficacia.*
da superamus. Semper virtuti cibus, ieiunium fuit. De abstinẽtia prodeunt castæ co-
gitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictio-
nes caro concupiscentijs moritur, virtutibus spiritus innouatur. Sed quia non solo *Ieiunio*
ieiunio animarum nostrarum salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordijs pau- *quæ iungenda.*
perum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio
pauperis, abstinentia ieiunantis. Studeamus viduarũ defensioni, pupillorum vtilita-
ti, lugentium consolationi, dissidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adiuuetur op-
pressus, vestiatur nudus, foueatur ægrotus: vt quicunque nostrum de iustis labori-
bus authori bonorum omnium Deo sacrificium huius pietatis obtulerit, ab eodem
regni cœlestis præmium percipere mereatur. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus,
sabbato autem apud beatum Petrum apostolum pariter vigilemus, cuius suffragan-
tibus meritis, quæ poscimus impetrare possimus, per dominum nostrũ Iesum Chri-
stum, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo tertius de ieiunio decimi mensis & de eleemosynis eiusdem.

Ager dominicus vt fide muniatur, ieiunijs exerceatur eleemosyna seratur, orationibusq; fœcundetur.

IN dominico agro dilectissimi, cuius operarij sumus, oportet nos prudenter atq; vigilanter spiritalem exercere culturam, vt perseue- *Ager dominicus qui colendus.*
ranti industria, quæ legitimis temporibus sunt exequenda curantes, de sanctorum operũ fruge lætemur. Quæ si pigro ocio & inerti desidia negligantur, terra nostra nihil generosi germinis pariet, spi-
nis ac tribulis subdita, non producet quæ cõdenda sint horreis, sed
quæ vrenda sint flammis. Ager autem iste dilectissimi, rorante desuper gratia Dei,
fide munitur, ieiunijs exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fœcundatur, vt in-
ter plantationes rigationesq; nostras, nullius amaritudinis radix pullulet, nec se in-
crementa cuiusquam noxiæ turpis attollant, sed enecato omni semine vitiorum, cõ-
ualescat seges læta virtutum. Ad quam diligentiam omni quidem nos tempore pie-
tatis magister adhortatur, sed in his diebus qui huic operi sunt specialibus præstitu-
ti, maior animositas & cura est excitãda feruentior, ne quod pium est agere non in-
dictum, impium sit negligere prædicatum. Decimi itaq; mensis ieiunium, ad quòd
charitatem vestram religioso proposito nouimus præparatam, vnanimiter auxilian-
te Christo celebrantes, hortamur monentes, vt vnusquisque secundum mensuram
possibilitatis, quàm accepit à Deo, in bonis operibus enitescat: quia & inimici no- *Diabolus bene operantibus*
stri, qui nostra sanctificatione torquentur, in his diebus, quos ad maiorem obseruã- *magis inuidiatur.*
tiam nobis dispositos esse nouerunt, vehementiùs sæuiunt, & subtiliore insidiantur
astutia, vt alijs immittendo metum inopiæ de largitatis expensis, alijs immittendo
tristitiam de labore ieiunij, quàm plurimos à consortio huius deuotionis abducant.
Contra quas tentationes dilectissimi, vigilet in nobis pij cordis intentio, & à Chri-
stianis mentibus cogitationes diffidentiæ repellantur. Modicum est enim, quod
pauperi satis est, nec victus illius, nec vestitus onerosus est. Vile enim est, quod esu- *Matt. 20.*
rit: vile est, quod sitit: & nuditas, quæ indiget operiri, non poscit ornari. Et tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominus noster tam pius operum nostrorum arbiter, tam benignus est æstimator, vt etiam pro calice aquæ frigidæ sit præmium redditurus. Et quia iustus inspector est animorum, non impendium solum operis, sed etiam affectum est remuneraturus operantis, per Christum Dominum nostrum.

Sermo quartus de ieiunio decimi mensis, & de eleemosynis eiusdem.

Ieiunium in vtroq; testamento obseruatum quid valeat contra peccatum.

COnfidenter vos dilectissimi ad opera pietatis hortamur, quia experimentis didicimus libenter vos suscipere, quod monemus. Scitis namq;, & Deo docente cognoscitis, ad æternum vobis gaudiũ profuturam diuinorum obseruantiam mandatorum. In quibus exequendis quia humana fragilitas plerunque lassescit, & in multis per lubricũ suæ infirmitatis offendit, misericors & pius dominus remedia nobis & adiutoria dedit, per quæ veniã obtinere possimus. Quis enim tot illecebras mundi, tot insidias diaboli, tot deniq; pericula suæ mutabilitatis euadere, nisi clementia æterni regis mallet nos reparare, quàm perdere? Nam & qui iam redempti, iam regenerati filij lucis effecti sunt, quàm diu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno positus est, detinentur, quamdiu infirmitati carnis corruptibilia & temporalia blandiuntur, nõ possunt istos dies sine tentatione transire. Nec facile prouenit cuiquam tam incruenta victoria, vt inter multos hostes frequentesq; conflictus, etiamsi sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere. Curandis igitur læsionibus, quas sæpe incidunt, qui cum inuisibili hoste cõfligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina in orationis instantia, in castigatione ieiunij, in eleemosynæ largitate. Quæ cùm pariter exercentur, Deus propiciatur, cuipa deletur, tentator eliditur. Et ijs quidem præsidijs semper fidelis anima debet accingi, sed tunc studiosius præparari, cum ij adsunt dies, qui propriè sunt ad hæc pietatis officia præstituti. De quorum ordine est etiam decimi huius mensis solenne ieiunium, quod non ideo negligendum est, quia de obseruantia veteris legis adsumptum est, tanquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & auium pecudumq; hostias esse desiterunt. Illa enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis quæ significauere, finita sunt. Ieiuniorum verò vtilitatem, noui testamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atque animæ semper profuturam, pia obseruatione suscepit. Quoniã sicut permanet apud intelligentiam Christianam, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: & diliges proximum tuum sicut teipsum, & cætera talium mandatorum: ita quod in eijsdem libris de ieiuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tẽpore omniq; vita huius seculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia contra concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant & omnes bonæ voluntatis affectus, ad maturitatem totius virtutis enutriunt: si tamen in societatem sibi beneuolentiam charitatis adsumant, & in operibus misericordiæ se prudenter exerceant. Ieiunium enim sine eleemosyna, non tam purgatio animæ, quàm carnis afflictio est: magisq; auaritiam, quàm ad continentiam referendum est, quando aliquis sic à cibo abstinet, vt etiam à pietate abstineat. Nostra ergo ieiunia dilectissimi abundent fructibus largitatis, & in pauperes Christi benignis sint fœcunda muneribus. Nec tardentur in hoc opere mediocres, quia parum sit, quod possint de sua facultate decerpere. Nouit dominus omnium vires, scit iustus inspector, de qua mensura quisque quid tribuat. Dissimiles quidem substantiæ, similes erogationes habere non possunt:

Pugna per pes Christianorum. 1. Ioan. 5.

Ieiunandũ cur sit etiam in noua lege.

Ieiunij vis & energia.

possunt: sed æquatur plerunq; merito, quod distat impendio: quia potest esse par animus, etiam vbi impar est sensus. Hæc itaque, vt adiuuante Deo, pia deuotione curentur, quarta & sexta feria ieiunemus: sabbato verò apud beatum Petrum, Apostolorum vigilias celebremus, cuius orationibus adiuti in omnibus misericordiam Dei mereamur.

D *SERMO QVINTVS DE IEIVNIO DECIMI MENSIS & eleemosynis eiusdem.*

Ieiunij & eleemosynarum fructus, ac hæreticorum prodigiosa seruitus.

SVblimitas quidẽ (dilectissimi) gratiæ Dei, hoc quotidie operatur in cordibus Christianis, vt omne desiderium nostrum à terrenis ad cœlestia transferatur. Sed & præsens vita per creatoris opem ducitur, & per ipsius prouidentiam sustinetur: quia idem est largitor temporalium, qui promissor est æternorum. Sicut enim pro spe felicitatis, ad quam per fidem currimus, gratias Deo agere debemus, quòd ad præceptionem tantæ ad præparationis euehimur: ita pro ijs quoque commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, Deus à nobis honorandus atque laudandus est, qui sic terræ fœcũditatem ab initio dedit, sic pariendorum fructuum leges in quibusque germinibus & seminibus ordinauit, vt nunquam sua instituta desereret, sed in rebus conditis benigna conditoris administratio permaneret. Quicquid ergo ad vsus hominum segetes, vineæ, oleæq; pepererint, totũ hoc diuinæ bonitatis largitate profluxit: quę elementorum qualitate variata, dubios agricolarum labores clementer adiuuit, vt vtilitatibus nostris venti & imbres, frigora & æstus, dies noctesque seruirent. Non enim sibi ad effectus operum suorum humana ratio sufficeret, nisi plantationibus & rigationibus solitis Dominus incrementa præberet. Vnde plenum pietatis & iustitiæ est, & de ijs, quæ nobis cælestis pater misericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus. Sunt enim plurimi, qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam in oleis habent portionem, quorum inopiæ, de ea, quam dominus dedit copia, consulendum est, vt & ipsi nobiscum Deo pro terræ fœcunditate benedicant, & gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis fuerint facta communia. Fœlix est illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium & debilium saturatur esuries, de quo releuatur peregrini necessitas, de quo desiderium fouetur infirmi. Quos ideo sub diuersis molestijs iustitia Dei laborare permisit, vt miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret. Huic autem operi (dilectissimi) cùm omnia opportuna sint tempora, hoc nunc præcipuè aptum atq; conueniens, in quo sancti patres nostri diuinitus inspirati, decimi mensis sanxere ieiunium, vt omnium fructuum collectione conclusa, rationabilis Deo abstinentia dicaretur, & meminisset quisque ita vti abundantia, vt & circa se abstinentior, & circà pauperes esset effusior. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque ieiunijs, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragijs. Quoniam sicut scriptum est, animæ suæ benefacit vir misericors, & nihil vniuscuiusque tam proprium quàm quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in diuitias transit æternas: & illę opes de hac largitate patiuntur, quę nullo vsu minui, nulla poterunt corruptione violari. Beati autem misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus & ipse erit illis summa præmij, qui est forma præcepti. Inter hæc autem dilectissimi opera pietatis, quæ nos Deo magis magisq; commendant, dubium non est, quin hostis no

Profrugibus terræ vt laudandus Deus.

Oratio vnde sit efficax. Prouer. 1.

Matt. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ster, nocendi cupidus & peritus, acrioribus, inuidæ stimulis incitetur, vt quos apertis & cruentis persecutionibus impugnare non finitur, sub falsa Christiani nominis professione corrumpat, habens hæreticos huic operi seruientes, quos à catholica fide deuios, sibique subiectos, militare in castris suis sub diuersis erroribus fecit. Et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis adsumpsit, ita horum linguas ad seducendos rectorum animos veneno suæ falsitatis armauit. Sed ijs insidijs (dilectissimi) pastorali solicitudine, in quantũ dominus auxiliatur, occurrimus: & ne quid de sancto grege pereat præcauentes, paternis vos denũciationibus admonemus, vt labia iniqua & linguam dolosam, à quibus animam suam Propheta liberari postulat, declinetis quoniam sermo eorum, sicut ait Beatus Apostolus, serpit vt cancer. Humiliter irrepunt, blandè cupiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim, sicut seruator prædixit, sub vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces: quia non possent veras & simplices oues fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiẽ bestialem. In ijs autẽ omnibus operatur, qui cum sit veræ illuminationis inimicus, in lucis se angelum transfigurat. Huius arte Basilides, huius Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, huius potestati famulatur Arius, huius spiritui seruit Eunomius. Tota denique bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ vnitate discessit, hoc magistro à veritate defeciuit. Sed cùm in cunctis peruersitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, & latissimam in eis aulam, in qua se exultantius iactaret, inuenit, vbi non vnius prauitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret. Quod enim in paganis prophanum, quod in Iudæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos, quasi in sentinam quandam cum omnium sordium concreatione confluxit. Vnde vniuersas eorum impietates ac turpitudines enarrare perlongum est, superat enim verborum copiam, criminum multitudo. Ex quibus ad iudicandum pauca sufficiunt, vt de ijs quæ audieritis, etiam illa, quæ verecundè prætermittimus, æstimetis. De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam obscœna sunt, quàm nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestare voluit, non tacemus, ne quisquam putet nos de hac re dubiæ famæ & incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum Episcopis ac presbyteris, ac in eundem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum iussimus præsentari. Qui quum de peruersitate dogmatis sui & de festiuitatum suarum consuetudine multa referarent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tanta diligentia inuestigatum est, vt nihil minùs credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas nefandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet vt multùm decennis, & duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant, & huic sceleri præpararant. Præstò erat etiam adolescentulus vitiator puellæ, & Episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & vna confessio, & patefactum est execratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertiùs loquentes, castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficiunt: quibus plenissimè docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castitatem. In qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Hos ideo homines (dilectissimi) per omnia execrabiles atque pestiferos, quos aliorum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitus abdicate, vosque præcipuè mulieres à talium notitia & colloquijs abstinete: ne dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis. Qui sciens, quòd primum virum mulieris ore seduxerit, & per fœmineam credulitatem omnes homines à paradisi felicitate deiecerit, vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutia, vt eas, quas sibi potuerit per ministros suæ falsitatis illicere, & fide spoliet & pudore. Illud quoque vos

Hæretici ministri diaboli.

Gene. 3.

Psal. 119. 2. Tim. 2.

Manichæorum impietas.

Manichæorũ sacrificia.

vos (dilectissimi) obsecrans moneo, vt si cui vestrum innotuerit, vbi habitent, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostri solicitudini fideliter indicetis. Quia parùm prodest vnicuique, quòd protegente spiritu sancto ab istis ipse non capitur, si cum alios capi intelligit, non mouetur. Contra communes hostes pro salute communi, vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi. Et qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inuenientur rei de silentio, etiamsi non contaminantur assensu. Adsumite igitur religiosæ solicitudinis pium zelum, & contra sæuissimos hostes animarum, omnium fidelium cura consurgat. Ideoq; enim misericors Deus quandam nobis partem prodidit hominum noxiorum, vt manifestato periculo, excitaretur diligentia cautionis. Non sufficiat quod actum est, sed eadem inquisitio perseueret: quæ hoc auxiliante Deo consequitur, vt non solùm qui recti sunt, incolumes perseuerent, sed etiam multi, qui diabolica seductione decepti sunt, ab errore reuocentur. Vestræ autem orationes & eleemosynę atq; ieiunia, misericordi Deo per hanc ipsam deuotionem sacratiùs adferentur, cum etiam hoc opus fidei ad omnia officia pietatis accesserit. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud præsentem beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus: qui sicut experimur & credimus, pro commendatis sibi ouibus indesinenter pastorales prætendit excubias, exoraturus deprecationibus suis, vt Ecclesia Dei, quæ ipsius est prædicationibus instituta, ab omni errore sit libera, per Christũ Dominũ nostrũ, Amen.

prodendi.

Intercessio sanctorũ.

Sermo sextus de ieiunio decimi mensis & de misericordiæ operibus.

Morbus auaritiæ quis, & fructus eleemosynarum ac ieiuniorum Christianorum.

EVangelicis sanctionibus (dilectissimi) multum * autoritatis præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad nouam obseruantiam transferuntur: & ex ipsa Ecclesiastica deuotione demonstratur, quòd dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nunciabatur aduentus: & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum, ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseuerant: & quę vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. Ex ijs autem est etiam decimi mensis solenne ieiunium, quod à nobis nunc est annua consuetudine celebrandum. Quia plenum iustitiæ est atque pietatis, gratias agere diuinæ largitati pro fructibus, quos in vsus hominum secundum summæ prouidentiæ temperamentum terra produxit. Quod vt prompto animo nos facere monstremus, nõ solùm continentiam ieiunij, sed etiam eleemosynarum curam oportet adsumi: vt de terra quoque cordis nostri, germen iustitiæ & fructus charitatis oriatur, & misericordiam Dei pauperum ipsius miserendo mereamur. Efficacissima enim est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui suum ab inope non auertit animum, citò ad se domini conuertit auditum, dicente Domino: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Dimittite, & dimittetur vobis. Quid hac iustitia benignius? Quid hac retributione clemẽtius, vbi sententia iudicaturi in potestate ponitur iudicandi? Date inquit, & dabitur vobis. Quam citò diffidentiæ solicitudo & auaritiæ est amputata cunctatio, vt quod redditurã se promittit veritas, secura expendat humanitas. Constans esto Christiane largitor: da quod accipias, fere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, no

** vtilitatis*

Matth. 5.

Veterũ legũ quædã abolita sint, & quæ seruentur?

Luc. 6.

Eleemosynarũ vtilitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

li de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua cùm bene erogatur, augetur: & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari comertium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat, vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſsionis iſtius gratulanda cõditio. *Luc. 6.* Quamuis enim non habeas, niſi quod acceperis, non potes tamen nõ habere, quod *1.Cor.4.* dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmẽtis, hoc potiùs ſanctum fœnus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat, vt non hominum laborantium captet neceſsitates, ne per doloſa officia laqueos incidat inſolubilium debitorum, ſed illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, & dabitur vobis. Et qua menſura mẽſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, nõ vult habere perpetuũ. Quantalibet adijciat, quantalibet condat & congreget inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente Dauid Propheta: Quoniam cùm interierit, non accipiet omnia, *Pſal.48.* neque deſcendet cum eo gloria domus eius. Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus fideiuſſor eſt pauperum, & largiſsimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cùm decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti: dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri non iniuſti cauſa ſit damni. Vnde quilibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt: vt aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo, quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ. Quid *Pſal.14.* enim de huiuſmodi ſentiat Deus, ſacratiſsimus propheta Dauid manifeſtat. Qui cùm diceret: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo? reſponſo diuinæ vocis inſtruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoſcit, qui inter alias piæ conuerſationis regulas, pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: & à tabernaculo Dei oſtenditur alienus, & à ſancto monte eius extraneus, qui doloſum quæſtum de pecuniæ ſuæ captat vſuris: & dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus eſt egeſtate puniri. Vos itaque (dilectiſsimi) qui ex toto corde promiſsionibus Domini credidiſtis, fugientes auaritiæ lepram immundiſsimam, donis Dei piè & ſapienter vtimini. Et quoniam de ipſius largitate gaudetis, date operam, vt poſsitis gaudiorum veſtrorum habere conſortes. Multis enim quæ vobis ſuppetunt deſunt: & in quorundam indigentia, vobis materia data eſt diuinæ bonitatis imitandæ, vt per vos & in alios diuina beneficia tranſirent, & bene diſpenſantes temporalia, acquireretis æterna. Quarta igitur & ſexta feria ieiunemus, ſabbato autem apud beatiſsimum apoſtolum Petrum vigilemus, cuius orationibus nobis per omnia obtineatur diuina protectio, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Auaritiæ morbus.

Vſura quã pernicioſa, quamque fugienda.

Sermo ſeptimus de ieiunio decimi menſis & eleemoſynis.

Vt homo Chriſtianus impugnetur aſsiduè, quæq; ſint pijs arma contra inuiſibiles hoſtes.

Naturæ humanæ infirmitas.

PRæſidia militiæ Chriſtianæ (dilectiſsimi) ſanctificandis mentibus noſtris atq; corporibus diuinitùs inſtituta, ideo cùm dierum temporumq; curriculis ſine ceſſatione reparantur, vt infirmitatum noſtrarum ipſa nos medicina commoneat. Natura quippe mutabilis & de peccati labe mortalis, licet etiã iam redempta & ſacro baptiſmate ſit

ſit renata, in quãtum eſt paſsibilis, in tantum eſt ad deteriora procliuis. Corrumperetur carnali deſiderio, niſi ſpiritali muniretur auxilio: quia ſicut illi nunquam deeſt, vnde corruat, ita ſemper præſtò eſt, vnde ſubſiſtat, dicente apoſtolo: Fidelis Deus, *1.Cor.10.* qui vos non patietur tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. Quamuis ergo Dominus protegat bellatores, & milites ſuos ille qui po- *Pſal.23.* tens eſt in prælio, cohortetur & dicat. Nolite timere, quia ego vici mundum, ſcien- *Ioan.16.* dum tamen eſt (dilectiſsimi) hoc incitamẽto formidinem ſublatam eſſe non pugnã, & retuſo aculeo timoris, cauſam manere certaminis: quod ab hoſte verſuto, terribiliter quidem furore perſecutionis mouetur, ſed innocentibus ſpecie pacis infertur. *Diabolus duplicat tione impugnat nos.* Vbi enim in aperto ſunt pugnæ, in manifeſto ſunt & coronæ. Et hoc ipſum alit atq; accendit patientiæ fortitudinem, quòd ſicut proxima eſt tribulatio, ita eſt & vicina promiſsio. Ceſſantibus verò publicis impugnationibus impiorum, & à cædibus ac ſupplicijs fidelium diabolo continente, ne pertinacia crudelitatũ, multiplicatio noſtrorum fieret triumphorum, fremit aduerſarius, & cruentas inimicitias ad quietas conuertit inſidias, vt quos vincere fame & gelu, flammis ferroq; non poterat, ocio tabeſceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrũperet. Sed ijs malis atq; alijs omnibus deſtruendis habet acies Chriſtiana potentes munitiones & *Arma Chri ſtianorum.* arma victricia, Deo ſcilicet inſtruente milites ſuos, vt ſpiritu veritatis, manſuetudo iram, largitas auaritiam, benignitas extinguat inuidiam. Cõmutante enim dextera excelſi corda multorũ, redijt in nouitatem vetuſtas, & de iniquitatis famulis miniſtri, prodiere iuſtitiæ. Subegit luxuriam cõtinentia, humilitas arrogantiam propulſauit: & qui impudicitia ſorduerant, caſtitate nituerunt. His autẽ conuerſionibus (dilectiſsimi) prouidente gratia Dei, addita ſunt ſancta ieiunia, quæ in quibuſdam diebus, ab vniuerſa Eccleſia deuotionẽ obſeruantiæ generalis exigerent. Quamuis enim pulchrũ ſit atq; laudabile, vt ſingula quæq; membra corporis Chriſti, proprijs ornentur officijs, excellentioris tamen eſt actionis ſacratiorisq; virtutis, cùm in vnũ propoſitũ, piæ plebis corda concurrunt: vt illi cui ſanctificatio noſtra ſuppliciũ eſt, nõ ſolum à patre, ſed etiã à ſoliditate ſuperetur. Cui nũc operi (dilectiſsimi) decimus menſis offertur, admonens quodãmodò pro qualitate temporis ſui, ne quiſquã frigore infidelitatis obtorpeat, ſed potius charitatis ſpiritu cõcaleſcat. Quoniã & per ipſa elemẽta mundi, tãquàm per publicas paginas, ſignificationẽ diuinæ voluntatis accipimus, nec vnquã ceſſat ſuperna eruditio, quando etiã de ijs, quæ nobis famulãtur, imbuimur. Præter illam nanq; apoſtolicã ſententiã, qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus cõparantur, etiam illa ſicus nobis cauenda eſt de ſuæ in- *Matt.3.* fœcunditatis exemplo, quã dominus Ieſus, ſicut Euangeliũ refert, nihil habentem *Matt.21.* quod eſuriens ſumeret, perpetua ſterilitate damnauit: vt intelligeremus, quoniam *Pœna eorum, qui eleemoſynas non fecerunt.* qui eſurientem non reſouet egenũ, illi denegat cibũ, qui quod pauperi eſt datũ, ſibi dixit impenſum. Et huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur: *Matt.25.* Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ, quẽ præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & non dediſtis mihi bibere, &c. Quæ ideo ſingula recoluntur, vt aduertamus non futurum extra miſericordiam, qui vel partem horum operum fuerit executus. Anima aũt neminem iuuans, erit arbor nõ habens poma, cùm totius fructus pietatis inuenietur aliena. Decimi ergo menſis ieiunium, quod eſt hyemalis temporis, ad agriculturam nos myſticam vocat, qua ſegentes & palmitum atq; arborũ vires, quibus humana ſuſtentatur infirmitas, ſpiritualibus ſtudijs excolantur, vt dominicus ager ſuis ditetur impẽdijs, & quem nunquã expedit eſſe ſine fructu, de propria ſiat vbertate fœcundior. Quod vtiq; intelligit ſanctitas veſtra, ad totius Eccleſiæ profectũ eſſe referẽdum, quorũ in fide germẽ eſt, in ſpe incrementũ, in charitate maturitas. Quia caſtigatio corporis, & inſtantia orationis, tunc verã obtinent puritatem, cùm eleemoſynarũ ſanctificatione niteſcunt, dicente Domino: Date eleemoſynã, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quarta igitur & ſexta feria ieiunemus: ſabbato autem apud beatiſsimum Petrum *Luc.11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

apostolum vigilias celebremus, ipso præstante & adiuuante, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

SERMO OCTAVVS DE IEIVNIO DECIMI MENSIS & ELEEMOSYNIS.

Ieiuniorum Christianorum tempora quæ sint, deque duplici ieiunio.

Luc.21.

CVm de aduentu regni Dei, & de mundi fine ac temporum discipulos suos seruator instrueret, totamque Ecclesiam suam in apostolis suis erudiret: Cauete, inquit, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate & cogitationibus secularibus. Quod vtique præceptum (dilectissimi) ad nos specialius pertinere cognoscimus, quibus denunciatus dies etiam si est occultus, non dubitatur esse vicinus. Ad cuius aduentum omnem hominem conuenit præparari, ne quenquam aut ventri deditum, aut curis secularibus inueniat implicatum. Quotidiano enim (dilectissimi) experimento probatur, potus satietate, aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati. Quamuis enim sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit & motus, eiusdem tamen est animæ quædã sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab incõuenientibus, exteriora frenare, vt à corporeis cupiditatibus sæpiùs libera, in aula mentis possit diuinæ vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrenarum silente curarũ, in meditationibus sanctis & in delicijs lætetur æternis. Quod si in hac vita difficile est continuari, potest tamen frequenter adsumi, vt sæpius ac diutiùs spiritualibus potiùs quàm carnalibus occupemur. Et cùm melioribus curis impendimus maiores moras ad incorruptibiles diuitias etiam temporales transeunt actiones. Huius obseruantiæ vtilitas (dilectissimi) in Ecclesiasticis est præcipuè constituta ieiunijs, quæ ex doctrina sancti spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Si quidem ieiunium verum in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autẽ in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuũ esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostrã omnia elemeuta seruire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Euangelia, incessabili tuba discimus, quod & prædicemus & agamus. Dicente enim Propheta: Cœli enarrãt gloriã Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentũ. Dies diei eructat verbũ & nox nocti indicat scientiã. quid est, per quod veritas nobis nõ loquitur? Ipsius voces in die, ipsius audiuntur in nocte: & pulchritudo rerum vnius Dei opificio conditarũ, non desinit cordis auribus magistrã insinuare rationem, vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, & non creaturis, sed creatori omnium seruiatur. Cùm ergo vniuersa vitia per continentiam destruantur, & quicquid auaritia sitit, quicquid superbia ambit, quicquid luxuria cõcupiscit, huius virtutis soliditate superetur, quis nõ intelligat, quantũ nobis per ieiunia cõferatur? in quibus indicitur, vt non solùm à cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desiderijs temperetur. Alioqui superfluum est suscipere esuriem, & iniquam non deponere voluntatem: recisso affligi cibo, & à concepto non desilire peccato. Carnale est, nõ spirituale, ieiunium, vbi soli corpori nõ parcitur, & in ijs, quæ omnibus delicijs sunt nocentiora, permanetur. Quid prodest animæ fortis agere quasi dominã, & intus seruire captiuã? membris proprijs imperare, & ius propriæ libertatis amittere? Et merito plerunq; patitur famulam rebellantẽ, quę non reddit Domino debitã seruitutẽ. Ieiunet ergo corpus ab escis, meus ieiunet à vitijs, & curas cupiditatesq; terrenas, regis sui lege dijudicet. Meminerit primam dilectionem Deo, secundam deberi proximo, omnesque affectus suos hac regula dirigendos, vt nec à cultu recedat Domini, nec ab vtilitate conserui. Quomodo autem Deus colitur, nisi vt quod ipsi placet, placeat & nobis, nec ab eius imperio noster vnquam resultet affectus? Quoniam si hoc quod ille vult, volumus, ab illo sumet infirmitas nostra virtutem, à quo ipsam accipimus voluntatem. Deus est enim sicut ait Apostolus, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Nec superbia denique homo inflabitur, nec desperatione frangetur, si bonis diuinitus datis in gloriam dantis vtantur, & ab ijs desideria sua reuocet, quæ sibi nocitura cognoscit. Abstinens enim ab inuidiæ malignitate, à luxuriæ dissolutione, à perturbatione iracundiæ, à cupiditate vindictæ, purificabitur veri sanctificatione ieiunij, & incorruptibilum deliciarum voluptate pascetur, vt per vsum spiritualem etiam terrenas copias in cœlestem nouerit transferre substantiam, non sibi condendo quæ acceperit, sed magis magisque multiplicando quod dederit. Vnde paternæ charitatis affectu dilectionem vestram monemus, vt ieiunium decimi mensis fructuosum vobis, eleemosynarum largitate faciatis, gaudentes quòd per vos Dominus pauperes suos pascit, & vestit. Quibus vtique posset eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordia sua & illos iustificare vellet de patientia laboris, & vos opere charitatis. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus, qui & orationes & ieiunia & eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adiuuare præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum,

A M E N.

Intemperantiæ malum.

Concupiscentia frenanda.

Ieiunia quatuor temporum ex sancti spiritus doctrina manarunt.

Psal. 18.

Rom. 1.

Ieiunandũ vt sit.

Philip.2.

Intercessio sanctorũ.

D. LEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. LEONIS PAPAE ET PONTIFICIS MAXIMI, HVIVS NOMINIS PRIMI, IN PRAECIPVIS TOTIVS ANNI SOLENNITATIBVS, SERMONES, AD FIdelem plebem habiti.

In solennitate Natiuitatis Domini nostri IESV Christi Sermo primus.

De lætitia in hac solennitate habenda, & quid Christus sua natiuitate nobis attulerit.

SALVATOR noster dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ: quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam. Nullus ab huius alacritatis participatione secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia dominus noster peccati mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei nanque filius secundum plenitudinem temporis, quã diuini consilij scrutabilis altitudo disposuit, reconciliandã authori suo naturam generis adsumpsit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipsam quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens dominus cum fæuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac natiuitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Nihil ergo in istam singularem natiuitatem de carnis concupiscentia transiuit, nihil de peccati lege manauit. Virgo regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et ne superni ignara consilij ad inusitatos pateret effectus, quod in ea operandum erat à spiritu sancto, colloquio didicit angelico. Nec damnum credidit pudoris, Dei genetrix mox futura. Cur enim de conceptionis nouitate desperet, cui efficentia de altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiã præeuntis attestatione miraculi. Donatur Elizabeth inopinata fœcunditas, vt qui conceptum dederat sterili, daturus nõ dubitaretur & virgini. Verbum igitur Dei Deus, filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factũ est nihil, propter liberãdum hominem ab æterna morte factus est homo: ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ maiestatis inclinãs, vt manens quod erat, adsumensq; quod non erat, veram serui formã ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, veniret: & tanto fœdere naturã vtranq; consereret, vt nec inferiorẽ consumeret glorificatio, nec superiorẽ minueret adsumptio. Salua igitur proprietate vtriusq; substantiæ, & in vnam coëunte personã, suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendũ nostræ conditionis debitũ, natura inuiolabilis naturę est vnita passibili, Deusq; verus & homo verus, in vnitatem Domini temperatur, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atq; idem Dei

Christus qua ratione cũ diabolo cõflixerit.

Ioan. 1.

Philip. 2. In Christo gemina natura & vna persona.

Dei hominumq; mediator, & mori posset ex vno, & resurgere posset ex altero. Meritò igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris æditio veritatis. Talis igitur dilectissimi natiuitatis decuit Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset verus Deus, non adferret remedium: nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Ab exultantibus ergo angelis nascente Domino gloria in excelsis Deo canitur, & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur. Vident enim cœlestem Hierusalem ex omnibus gentibus mundi fabricari, de quo inenarrabili diuinæ pietatis opere quantùm lætari debet humilitas hominũ, quum tantùm gaudeat sublimitas angelorum? Agamus ergo dilectissimi gratias Deo patri per filium eius in spiritu sancto, qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri. & cùm essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo, vt essemus in ipso noua creatura, nouumq; figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione recidere. Memento, cuius capitis & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus depotestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum. Per baptismatis sacramentum, spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum subijcere seruituti: quia precium tuum sanguis est Christi, qui veritate te iudicabit, & misericordia te redemit, qui cum patre & sancto spiritu regnat in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 1.

Luc. 2.

Ephe. 2.

Ephe. 4.

Coloss. 3.

Sermo secundus in eadem solennitate.

Natiuitatis Christi quæ fuerit necessitas, qualitas & vtilitas.

EXultemus in Domino dilectissimi, & spiritali iucunditate lætemur: quia illuxit nobis dies redemptionis nostræ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua reuolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos erectis sursum cordibus, diuinũ adorare mysterium, vt quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudijs celebretur. Deus enim omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxij capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominemq; significans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur Diabolus sua fraude deceptum hominem diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum duram mortis subijsse sententiã, seq; in malis suis quoddam de præuaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoq; iustæ seueritatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit dilectissimi, secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas nõ potest sua benignitate priuari) primã pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret. Aduenientibus ergo tẽporibus dilectissimi, quę redẽptioni hominũ fuerãt præstituta, ingreditur hæc infima Iesus Christus dominus noster, de cęlesti sede descendẽs, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis visibi-

Dei in homines benignitas.

Gene. 3.

Incarnationis necessitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

visibilis factus est in nostris: incompræhensibilis voluit comprehendi: ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis dominus seruilem formam obumbrata maiestatis dignitate suscepit. Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate genitus est, conceptus à virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria: quia futurum hominum saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Author enim in carne nascenti Deus est, testante angelo ad beatam
Luc. 1. virginẽ Mariam: Quia spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano vsu & consuetudine, quod credimus, caret, sed diuina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, virgo pepererit, virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, vt volebat & poterat. Si veritatem quæris humanæ naturæ, cognosce ma-
Partus diuini qualitas. teriam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere diuinam. Venit enim Dominus Iesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti, nec succumbere vitijs, sed mederi. Venit, vt omnem langorem corruptionis & vniuersa vulnera sordentium curaret animarum: propter quod oportuit vt nouo nasceretur ordine, qui nouam impolutę syncritatis gratiam humanis corporibus imferebat. Oportuit enim, vt primam genetricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris, mul tiplicatum pudicitiæ donare virtutem, vt virginitas, quę in alijs non poterat salua esse generando, fieret alijs imitabilis confitendo, renascendo. Hoc ipsum autem dile-
Christus cur natus ex virgine. ctissimi, quòd Christus nasci elegit ex virgine, nónne apparet altissimæ fuisse rationis? vt scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quem non alium videret quàm alios, nõ aliter crederet natum esse quàm cæteros. Cuius enim similem cum vniuersis aduertit naturam, parem habere arbitratus est cum omnibus causam. Necintellexit à transgressionis vinculis liberum,
Cur Deus nõ potentia sed iustitia nos redemerit. quem ab infirmitate mortalis non inuenit alienum. Verax nanque misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit: qua ad destruendum opus diaboli non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis allexerat. Non itaque iustè amitteret originalem deditiij generis seruitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod vt fieret, sine virili semine æditus est Christus ex virgine, quam non humanus coitus, sed spiritus sanctus fœcundauit. Et cùm in omnibus matribus non fiat sine peccati sorte conceptio, hæc inde purgationem traxit, vnde concepit. Quò enim paterni seminis transfusio non peruenit, peccati se illic origo non miscuit. Inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, substantiam ministrauit. Adsumpta est de matre hominis natura nõ culpa, creata est forma serui sine conditione virili: quia nouus homo sic contemperatus est veteri, vt & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis. Quum igitur misericors omnipotẽsq; saluator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inseparabilis à
Luc. 2. suo homine deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui natiuitatem pueri, in salutem generis humani procreati, non aliter sibi quàm omnium nascentium putauit obnoxiam. Vidit enim vagientem atque lachrymantem, vidit pannis inuolutum, circumcisioni subditum, & legalis sacrificij oblatione perfunctum. Agnouit deinceps solita pueritiæ incrementa, & vsque in viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, conui-

conuitia: omnem postremô in ipsum vim sui furoris effudit. Omnia tentamentorum genera percurrit, & sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgressionis exortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo & auarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere: & dum vitiatæ originis præiudicium generale persequitur, chirographum, quo nitebatur, excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque letiferæ pactionis malesuada conscriptio, & per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille vinculis nectitur suis, & omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captiuitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagijs purgata natura: mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur: quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem. Quisquis igitur Christiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio. Tibi enim quondam ab-
Christi incarnatio quid homini conduxerit. iecto, tibi extruso paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in puluerem & cinerem dissoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi, per incarnationem Verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris authorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium: vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam: vt sic te Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare: malæ conscientiæ reatu absolutus, ad cœlestia regna suspires: voluntatem Dei facias diuino fultus auxilio: imiteris angelos super terram: immortalis substantiæ virtute pascaris: securus aduersus inimicas tentationes pro pietate confligas: & si cœlestis militiæ sacramenta seruaueris, non dubites te in castris triumphalibus Regis æterni pro victoria coronandum, cumque te resurrectio pijs parata susceperit, in regni cœlestis consortium prouehendum. Habentes ergo tantæ spei fiduciam (dilectissimi) in fide, qua fundati estis, stabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam à vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidijs, & hæc ipsa præsentis diei gaudia fallaciæ suæ arte corrumpat, illudens simplicioribus animis de quorundam * persuasione pestifera, quibus * *præsumptione* hæc dies solennitatis nostræ, non tam de natiuitate Christi, quàm de noui, vt dicũt, solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obuoluta & ab omni incremento veræ lucis aliena sunt. Trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus: & quia supra id, quod carnali intuentur aspectu, nequeunt aciem mẽtis erigere, ministra mundi luminaria diuino honore venerantur. Absit ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosumque mendacium. Vltra omnem modum distant à sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à dominatore subiecta. * Quæ etsi mirandã habent pulchritudinẽ, adorandam tamen non habent deitatẽ. **Quia* *Adorandus solus Deus.*
Illa ergo virtus, illa sapiẽtia, illa est colẽda maiestas, quæ vniuersitatẽ mundi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas atq; mensuras, terrenam cœlestemq; substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol & luna & sidera, sint commoda vtentibus, sint speciosa cernentibus, sed ita, vt de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura quæ seruit. Laudate igitur Deum (dilectissimi in omnibus operibus eius atque iudicijs. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis & partus. Reformationis humanæ sacrum diuinumque mysterium sancto atque syncero honorate famulatu. Amplectimini Christum in nostra carne nascentem, vt eundem Deum gloriæ videre mereamini in sua maiestate regnantem. Qui cum patre & spiritu sancto manet in vnitate deitatis in secula seculorum, Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sermo tertius in eadem solennitate.

Vt sentiendum sit de Christi diuinitate & humanitate, & quare eius incarnatio tam diu dilata fuit.

NOta quidem sunt vobis (dilectissimi) & frequenter audita, quæ ad sacramenta pertinent solennitatis hodiernæ. Sed sicut illæsis oculis voluptatem adfert lux ista visibilis: ita cordibus sanis æternum dat gaudium nauitas saluatoris, quæ à nobis nunquam est reticenda. Non enim ad illud tantummodò sacramentum, quo filius Dei coæternus est patri, sed etiam ad hunc ortum, quo verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est: Generationem eius quis enarrabit? *Esai.55.* Deus itaq; Dei filius, par atq; eadem de patre & cũ patre natura, vniuersitatis creator & Dominus, totus vbiq; præsens, & vniuersa excedẽs, in ordine temporum, quæ ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in salutem mundi ex beata virgine nasceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis. Cuius virginitas sic non est violata partu, vt non fuerat temerata conceptu, vt impleretur, sicut ait Euangelista, quod dictum est à Domino per Esaiam prophetam: Ecce virgo cõcipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Hic enim mirabilis sacræ virginis partus, verè humanam, verè diuinam vna ædidit prole naturam: quia non ita proprietates suas tenuit vtraq; substantia, vt personarum in eis posit esse discretio: nec sic creatura in societatem sui creatoris est adsumpta, vt ille habitator & illa habitaculũ esset, sed ita vt naturæ altera alteri misceretur. Et quamuis alia sit, quæ suscipitur, alia verò, quæ suscipit: in tantam tamen vnitatam conuenit vtriusq; diuersitas, vt vnus idemq; sit filius, qui se, & secundum quod verus est homo, patre dicit minorem: & secundum quod verus est Deus, patri *Ioan.14.* profitetur æqualem. Hanc vnitatem (dilectissimi) qua creatori creatura conseritur, *Ioan.10.* intelligẽtię oculis cernere cæcitas Ariana nõ potuit, quę vnigenitũ Dei, ciusdem cũ patre gloriæ atq; substantiæ esse non credens, minorem dixit filij deitatem, de ijs argumenta sumens, quæ ad formam sunt referenda seruilem, quam idem filius Dei, vt *Ioan.10.* ostendat in se non discretæ, neque alterius esse personæ, sic cum eadem dicit: Ego & pater vnum sumus. In forma enim serui, quam nostrę reparationis causa in fine seculorum suscepit, minor est patre: in forma autem Dei, in qua erat ante secula, æqualis *Galat.4.* *Ioan.1.* est patri. In humilitate humana factus est ex muliere, factus sub lege: in maiestate diuina, manens Dei verbum, per quod facta sunt omnia. Proinde qui in forma Dei fecit hominem, in forma serui factus est homo, sed vtrunque Deus de potentia suscipientes, vtrunque homo de humilitate suscepti. Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut formam serui, forma Dei non adimit: ita formam Dei, serui forma non minuit. Sacramentum itaque vnitæ cum infirmitate virtutis, propter eandem hominis naturam minorem patre dici filium sinit. Deitas autem, quę vna est in Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, omnem opinionem inęqualitatis excludit. Nihil enim ibi habet æternitas temporale, nihil natura dissimile: vna illic voluntas est, eadem substantia, par potestas, & non tres dij, sed vnus est Deus: quia vera & inseparabilis est vnitas, vbi nulla potest esse diuersitas. In integra igitur veri hominis perfectaq; natura, verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Nam illa, quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in saluatore vestigiũ. Nec quia communionem humanarum subijt infirmitatum, ideo nostrorum particeps fuit delictorum. Adsumpsit formam serui sine sorde peccati, humana prouehens, diuina non minuens. Exinanitio enim illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Vt ergo ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, & à mũdanis reuocemur erroribus,

Matris virginis inuiolata integritas. *Esai.7.*

Christus quã maior & minor sit patre.

Christus cur ad nos venerit.

roribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascendere: quia etsi multis inerat amor veri, incertarum tamẽ opinionum varietas, fallentium dæmonũ decipiebatur astutia, & falsi nominis scientia in diuersas compugnantesq; sententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferẽdum autem hoc ludibrium, quo captiuæ mentes superbienti diabolo seruiebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari, sed adijcienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem nouis renasci oportebat exordijs. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostrę contaminationis aliena, vt hoc propositũ Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertineret: nec turbarent nos sed potiùs confirmarent mysteria, pro tẽporum ratione variata, quum fides qua viuimus nulla fuerit ætate diuersa. Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de dominicę natiuitatis tarditate causantur, tanquàm præteritis temporibus non sit impensum, quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & sacramentũ salutis humanæ in nulla vnquã antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt apostoli, hoc annunciauerunt prophetæ, nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia & benignitas Dei ac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multisq; mysterijs per tot fuerat secula prænunciatũ in his diebus Euangelij nõ esset ambiguũ: & natiuitas quæ omnia miracula, omnẽq; intelligentiæ erat excessura mensuram tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prędicatio eius & antiquior præcessisset & crebrior. Non itaq; nouo cõsilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit, sed à constitutione mundi vnam eãdemq; omnibus cautam salutis instituit. Gratia autẽ Dei, qua semper est vniuersitas iustificata sanctorũ, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentũ, quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minùs adepti sint, qui in illud credidere promissum, quàm qui suscepere donatum. Vnde cum manifesta pietate (dilectissimi) tantæ in nos diuinæ bonitatis effusæ sint gratiæ, quibus ad æternitatem vocandis non solùm exemplũ præcedentium vtilitas ministrauit, sed etiam ipsa veritas, visibilis & corporalis apparuit, non segni neq; carnali lætitia diem dominicæ natiuitatis celebrare debemus: quod dignè ac intelligẽter fiet à singulis, si meminerit quisq; cuius membrum sit, & cui corpori coaptatum, ne sacræ ædificationi discors cõpago non hæreat. Considerate (dilectissimi) & secundum illuminationem spiritus sancti prudenter aduertite, quis nos in se susceperit, & quẽ susceperimus in nobis. Quoniã sicut factus est dominus caro nostra nascendo: ita & nos facti sumus ipsius renascendo: ideo & membra Christi, & templũ sumus spiritus sancti. Et ob hoc beatus Apostolus dicit: Glorificate & portate Deũ in corpore vestro, qui formam nobis suæ mansuetudinis & humiliatis insinuans, ea nos virtute imbuit, qua redemit, ipso Domino pollicente: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Suscipiamus ergo regentis nos veritatis non graue nec asperum iugum, & simus eius humilitati similes, cuius gloriæ volumus esse conformes, ipso auxiliante, & perducente nos ad promissiones suas, qui secundum magnam misericordiam suam potens est peccata nostra delere, & sua in nobis dona perficere, Iesus Christus dominus noster, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Christi incarnatio profuit superiori bus quam posteriori bus seculis.

1.Cor.6.

Matt.11.

Sermo quartus in eadem solennitate.

Rationem incarnationis Christi explicat, erroresq; circa eandem quorundam hæreticorum refellit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi incarnatione quantum homini Deus gratificatus sit.

SEmper quidem (dilectissimi) diuersis modis multisq; mensuris humano generi bonitas diuina consuluit, & plurima prouidentiæ suæ munera omnibus retrò seculis clementer impartijt. Sed in nouissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, vt verbum illud coæternum & coæquale genitori in vnitatem deitatis suæ, naturam nostræ humilitatis adsumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Promissum quidem hoc à constitutione mundi, & multis significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetarum, sed quantam hominum portionem figuræ illæ & mysteria obumbrata saluarent, nisi longa & occulta promissa aduẽtu suo Christus impleret? & quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris iam fidelibus prodesset effectum? Iam ergo nos non signis, neque imaginibus ad fidem ducimur, sed Euangelica historia confirmati, quod factum credimus, adoramus, accedẽtibus ad eruditionem nostram propheticis instrumentis, vt nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis scimus esse prædictum. Hinc enim est, quòd dominus Abrahæ ait: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hinc Dauid promissionem Dei prophetico spiritu canit, dicens: Iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hic idem Dominus per Esaiam: Ecce virgo, inquit, in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Et iterum: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. In qua virga, nõ dubiè beata virgo Maria prædicta est, quę de Iesse & Dauid stirpe progenita, & spiritu sancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ, vtero quidem materno, sed partu est enixa virgineo. Exultent ergo in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum: quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eã suus conditor æstimarit. Qui cùm origini humanæ multum dederit, quòd nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longè ampliùs tribuit, cùm seruili formæ ipse se Dominus coaptauit. Quãuis enim ex vna eademq; pietate sit, quicquid creaturæ creator impendit, minùs tamẽ mirum est hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere. Hoc autem nisi facere dignaretur omnipotens, nulla quenquam species iustitiæ, nulla forma sapientiæ à captiuitate diaboli, & profundo æternæ mortis erueret. Condemnatio enim ex vno in omnes cum peccato transiens permaneret, & letali vulnere tabefacta natura nullum remediũ reperiret, quia conditionem suam suis viribus mutare nõ posset. Primus nanque homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem & similitudinem sui authoris viuens, formam Dei bonitatis atque iustitiæ in splendore imitationis tanquam in speculi nitore seruaret. Quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem si per obseruantiam legis datæ perseueranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cęlestem gloriam mens incorrupta perduceret. Sed quia inuido & deceptori temerè atque infeliciter credidit, & superbiæ consilijs acquiescens, repositum honoris augmentum occupare maluit quàm mereri, non solùm ille homo, sed etiam vniuersa in illo posteritas eius audiuit: Terra es, & in terram ibis. Qualis ergo terrenus, tales & terreni: & nemo immortalis, quia nemo cælestis. Ad hunc itaque peccati & mortis vinculis resoluendum, omnipotens filius Dei omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia patri, & in vna ex ipso & cum ipso consempiternus essentia, naturam in se suscepit humanam, & creator ac dominus omnium rerum, dignatus est vnus esse mortalium, electa sibi matre quam fecerat: quæ salua integritate virginea, corporeæ esset tantùm ministra substantiæ, vt humani seminis cessante contagio, nouo homini & puritas inesset & veritas. Non ergo in Christo ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est

Gene. 22. Psal. 130. Esaiæ 7.

Esai. 12.

Christi incarnatio quàm necessaria. Gene. 2.

Gene. 3. 1. Cor. 15.

Christus cur homo factus.

est in vtraq; substantia mendacium. Verbum caro factum est prouectione carnis, nõ defectione deitatis, quæ sic potentiam suam bonitatemq; moderata est, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando nõ perderet. In hac natiuitate Christi secundum prophetiam Dauid, veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. In hac natiuitate etiam Esaiæ sermo completus est, dicentis: Producat terra, & germinet saluatorem, & iustitia oriatur simul. Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo beatæ virginis partu germen ędidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Cuius spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua bapsismatis instar est vteri virginalis, eodem spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & virginem, vt peccatum, quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Ab hoc sacramento (dilectissimi) insanus Manichæorum error alienus est, nec vllum habent in Christi regeneratione consortium, qui eum de Maria virgine negant corporaliter natum: vt cuius nõ credunt veram natiuitatem, nec veram recipiant passionem, & quem non confitentur verè sepultum, abnuant veraciter suscitatũ. Ingressi enim præruptam execrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebrosum, nihilq; non lubricum est, ruunt in profunda mortis per præcipitia falsitatis: nec aliquid solidum, cui innitantur inueniunt, qui præter omnia diabolici probra commẽti, in ipso præcipuo obseruantiæ suæ festo, sicut proxima eorum confessione patefactũ est, vt animi, ita & corporis pollutione lætantur, neque in pudore neque in fide integritatem seruantes, vt & in dogmatibus suis impij, & in sacris inueniantur obscœni. Aliæ hæreses (dilectissimi) licet meritò omnes in sua peruersitate damnãdæ sint, habent tamen singulæ in aliqua sua parte, quod verum sit, Arius Dei filium minorem patre & creaturam esse definiens, & ab eodem inter omnia creatum putans spiritum sanctũ, magna impietate se perdidit, sed sempiternam atq; incommutabilem deitatem, quã in trinitatis vnitate non vidit, in patris essentia non negauit. Macedonius à lumine veritatis alienus diuinitatem sancti spiritus non recepit, sed in patre & filio vnam potentiam, & eandem confessus est esse naturam. Sabellius in explanabili errore cõfusus vnitatẽ substantiæ in patre & filio & spiritu sancto inseparabilem sentiens, quod æqualitati tribuere debuit, singularitati dedit: & cùm veram trinitatem intelligere non valeret, vnam eandemq; credidit sub triplici appellatione personam. Photinus mentis cæcitate deceptus, in Christo verum & substantiæ nostræ confessus est hominem, sed eundem Deum de Deo ante omnia sęcula gentium esse non credidit. Appollinaris fidei soliditate priuatus, filium Dei ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, vt in illa carne diceret animam non fuisse, quia vicem eius exple-uerit ipsa diuinitas. Hoc modo si omnes quos catholica fides damnat, retractentur errores, in alijs atq; alijs quiddam inuenitur, quod à damnabilibus possit abiungi. In Manichæorum autem scelestissimo dogmate prorsus nihil est, quod vlla ex parte possit tolerabile iudicari. Sed vos (dilectissimi) quos nullis dignius quàm beati Petri alloquor verbis, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ædificati super inuiolabilem petram Christum, ipsiq; domino saluatori nostro per veram susceptionem nostræ carnis inserti, permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & spiritũ sanctum accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ. Si quis autem vobis aliud annunciauerit præter id quod didicistis, anathema sit. Nolite impias fabulas præponere lucidissimæ veritati, & quicquid contra regulam catholici & apostolici symboli aut legere aut audire contigerit, id omnino mortiferum & diabolicum iudicate. Non vos seducant deceptorijs artibus ficta & simulata ieiunia, quæ non ad purificationem, sed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem sibi pietatis & castitatis adsumunt, sed hoc dolo actuum suorum obscœna circumtegunt, & de prophani cordis penetralibus iacula, quibus simplices vulnerentur, emittunt, vt sicut ait Propheta, sagittent in obscuro rectos corde. Magnum præsidium est fides integra,

Virginem Mariã omnis peccati expertem fuisse iampridem Ecclesia definiuit.

Manichæorum error.

Arius.

Macedonius.

Sabellius.

Photinus.

Apollinarius.

1. Pet. 2.

Ioan. 3.

Galat. 1.

Hereticorum cauẽda hypocrisis.

Psal. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

integra, fides vera, in qua nec augeri ab vllo quicquam, nec minui potest: quia nisi
Ephe.4. vna est, fides non est, dicente Apostolo, Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma,
vnus Deus, & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.
Heb.10. Huic vnitati (dilectissimi) inconcussis mētibus inhærete, & in hac omnem sectamini sanctitatem, & in hac præceptis domini deseruite: quia sine fide impossibile est placere Deo, & nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil viuum. Iustus enim ex
Abac.9. fide viuit. Quam qui diabolo decipiente perdiderit, viuens mortuus est. Quia sicut per fidem iustitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente Domino
Ioan.17. saluatore: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscāt te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: Qui vos proficere & perseuerare faciat vsque in finem, qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Sermo quintus in eadem solennitate.

Humanitas Christi vt fuerit ad credendum difficilis, deq; stulta sapientia mundi, quidq; obedientia & humilitas Christi nobis attulerint.

QVamuis (dilectissimi) ineffabilis sit natiuitas Domini nostri Iesu Christi, in qua se naturę nostræ carne vestiuit, audeo tamen non de facultate mea, sed de ipsius inspiratione præsumere, vt in die, qui in sacramentum humanæ restaurationis electus est, aliquid à nobis, quod audientes possit ædificare, promatur. Non enim quia maior pars Ecclesiæ Dei, quod credit intelligit, ideo necessarium non est etiam quæ dicta sunt dicere, cum vtiq; nunc multis ad fidē primùm venientibus oris nostri officium debeamus, meliusq; sit doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare discendis. Quòd ergo filius Dei, qui cum patre & spiritu sancto non vnius est personæ, sed vnius essentiæ, dignatus est humanitatis nostræ particeps fieri, & vnus passibilium, vnus voluit esse mortalium, tam sacratum tamq; mirabile est, vt ratio diuini consilij sapientibus mundi patere non possit, nisi humanæ ignorātiæ tenebras
Fidei difficultas. lux vera discusserit. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola obseruantia man-
Matt.7. datorum, sed etiam in tramite fidei angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & magni laboris est magniq; discriminis, inter dubias imperitorum opiniones & verisimiles falsitates per vnam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & cum vndique se laquei erroresq; opponant, omne periculum deceptionis euadere.
1.Cor.2. Quis autem ad hæc idoneus, nisi qui spiritu Dei & docetur & regitur? dicente Apo-
Psal.39. stolo: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Canente etiam Dauid: Beatus quē tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Habentes itaque (dilectissimi) inter pericula erroris præsidia veritatis, & non humanæ sapientiæ verbis, sed doctrina spiritus sancti eruditi, quod didicimus: quod credimus prædicamus. Dei filiū Deum ante secula genitum, & patri sempiterna & consubstantiali æqualitate coæternum vesse in hunc mundum per vterum virginis, in hoc sacramentum pietatis electæ, in
Rom.1. qua & ex qua ædificauit sibi sapientia domum, & formam sibi & serui in similitudinem carnis peccati incommutabilis Verbi deitas coaptauit, in nullo apud se & patrem & spiritum sanctum minor gloria sua, quia diminutionem & varietatem summæ & æternæ essentiæ natura non recepit: propter nostram autem infirmitatem exinanuit se in capacibus sui, & velamine corporis splendorem maiestatis suæ, quem
Philip.2. vsus hominum non ferebat, obtexit. Vnde etiam exinanisse se dicitur, tanquàm se propria virtute euacuauerit, dum in ea humilitate, qua nobis consuluit, non solùm patre, sed etiam se ipso factus est inferior: nec aliquid illi hac inclinatione decesit, cui

cui cum patre & spiritu sancto hoc quod est, commune est, vt hoc ipsum intelligamus ad omnipotentiam pertinere, quòd qui secundum nostra minor est, secundum propria minor non est. Quia enim lux ad obcæcatos, virtus ad imbecilles, misericordia respexit ad miseros, de magna factum est potestate, vt Dei filius substantiam humanam causamque susciperet, qui & nostram naturam quam condidit reformaret: & mortem quam non fecit aboleret. Repudiatis igitur longæq; abiectis omnibus opinionibus impiorum, quibus aut stultitia est crux Christi aut scandalum, exultet rectarum mentium fides, & verum vnūq; Dei filium, non solùm secundū deitatem, qua à patre genitus, sed etiam secundum humanitatem, qua de matre virgine est natus, intelligat. Ipse est enim in humanitate nostra, qui est in maiestate diuina, verus homo & verus Deus, sempiternus in suis, temporalis in nostris: vnum cum patre in substantia, quæ nunquam fuit minor patre: vnū cum matre in corpore, quod creauit. In adsumptione enim naturæ nostræ nobis factus est gradus, quo ad ipsum *Christus vt nobis gradus sit ad seipsum* per ipsum possimus ascendere. Nam illa essentia, quæ semper vbiq; tota est, locali descensione non egu.it, & tam ei proprium fuit totam homini inseri, quàm ei proprium est totam à patre non diuidi. Manet ergo quod in principio erat verbum, & non est ei accidens, vt quod est aliquando non fuerit. Sempiternè enim filius, filius est, & sempiternè pater, pater est. Vnde cum ipse filius dicat. Qui videt me, videt & *Ioan.14.* patrem: excæcauit te ô hæretice impietas tua, vt qui filij maiestatem non vidisti, patris gloriam non videres. Dicendo enim genitum esse qui non erat, filium adseris tēporem: & dum filium adseris temporalem, credidisti patrem esse mutabilem. Mutabile enim est, non solùm quod minuitur, sed etiam quicquid augetur, & si ideo patri impar est genitus, quia vt tibi videtur, generando eum qui non erat genuit, imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ ad habendum quod non habuit generando profecit. Sed hanc impiam peruersitatem tuam fides catholica execratur & damnat, quæ in deitate vera nihil temporalitatis agnoscit, sed vnius sempiternitatis & patrem confitetur & filium, quia splendor ex luce ortus, non est luce posterior: & lux vera, nunquam est sui splendoris indiga: sic substantiale semper habens fulgere, sicut substantiale habet semper existere. Huius autem splendoris manifestatio, *Missio filij* missio dicitur, qua Christus mūdo apparuit: & cùm omnia inuisibili maiestate sua *quæ sit.* semper impleret, tamē quasi de remotissimo altissimoq; secreto, ijs quibus erat ignotus aduenit, cùm cæcitatē ignorantiæ sustulit, sicut scriptū est: Sedentibns in tene- *Esai.9.* bris & in vmbra mortis lux orta est eis. Quāuis enim etiam prioribus seculis ad illuminationem sanctorum patrū & prophetarum lumen veritatis emissum sit, dicente Dauid: Emitte lucem tuā & veritatem tuā: & diuersis modis multisq; signis opera *Psal.42.* præsentiæ suæ deitatis filij declarauit, oēs tamen illæ significationes cunctaq; miracula, testimonia fuerūt istius missionis, de qua dicit Apostolus. Cùm ergo venit ple- *Galat.4.* nitudo tēporis, misit Deus filium suū, natum ex muliere, factū sub lege. Quid verò hoc est, nisi Verbū carnem fieri? conditorē mundi per vterū virginis nasci? Dominū maiestatis, humanis se coaptare primordijs? Et licet cōceptui spiritali nulla sint terreni seminis mixta contagia, ad susciendā tamē veræ carnis substantiā, solam sumpsit de matre naturam. Hac missione, qua Deus vnitus est homini, filius impar est patri, non in eo, quod ex patre, sed in eo, quod est factus ex homine. Aequalitatē enim *2.Cor.1.* inuiolabilem, quam habet deitas, non corrumpit humanitas: & creatoris ad crea- *Sapientia* turam descensio, credentium est ad æterna prouectio. Nam quia, sicut ait Apostolus, in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per *mūdi. Deū cognosce-* stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Mundo ergo, id est, prudentibus *re non po-* mundi, sapientia sua cæcitas facta est, nec potuerunt per illam cognoscere Deum, *tuit.* ad cuius notitiam non nisi in sapientia eius acceditur. Et ideo quia mundus de vanitate suorum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus saluandorum fidem, quod & indignum videretur & stultum, vt & deficientibus omnibus opinionum præsumptionibus, sola Dei gratia reuelaret, quod comprehendere

Universidad de Deusto
Biblioteca

humana intelligentia non valeret. Agnoscat igitur catholica fides in humilitate domini gloriam suã, & de salutis suæ sacramẽtis gaudeat Ecclesia, quæ corpus est Christi: quia nisi Verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis, nisi in communionẽ creaturæ creator ipse descenderet, & vetustatem humanam ad nouum principium sua
Rom.5. natiuitate reuocaret, regnaret mors ab Adam vsq; in finem, & super homines condemnatio insolubilis permaneret, cùm de sola conditione nascendi, vna cunctis esset causa pereundi. Solus itaq; inter filios hominum dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus. Factus est itaq; ho
Luc.1. mo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in vtero virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri.
Ioan.3. Virtus enim altissimi & obumbratio spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret saluatorem, eàdem fecit, vt regeneret vnda credentem. Quid enim sanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit, quàm vt superbiæ vulnera, humilitatis
Christi obedientia & humilitas. Adæ inobedientia & superbia. remedijs curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem: Iesus factus sub lege, reddidit iustitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans vsque ad præuaricationẽ, meruit vt in ipso omnes morerentur: hic patri obediens vsq; ad crucem, fecit vt in ipso omnes viuificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ suæ perdidit dignitatem. Hic infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cœlestibus collocauit. Postremò illi per elationem
Gene.3. lapso dictum est: Terra es, & in terram ibis: huic per subiectionem exaltato dictum
Psal.109. est: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hæc Domini nostri opera (dilectissimi) non solùm sacramento nobis vtilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferatur, quodq; impensum est mysterijs, prosit & moribus: vt meminerimus nobis in humilitate & man-
Rom.8. suetudine redemptoris nostri esse viuendum, quoniam sicut ait Apostolus: Si compatimur, & conregnabimus. Frustrà enim appellamur Christiani, si imitatores non
Ioan.14. simus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri, forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus, Qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo sextus in eadem solennitate.

Filius Dei quare factus sit filius hominis, & opera bona quid prosint.

OMnibus quidem diebus (dilectissimi) atq; temporibus, animis fidelium diuina meditantium, domini & saluatoris nostri ex matre virgine ortus occurrit, & mens ad confessionem sui autoris erecta, siue in gemitu supplicationis, siue in exultatione audis, siue in sacrificij oblatione versetur, nihil crebriùs, nihilq; magis fideiter spiritali attingit intuitu, quàm quòd Deus Dei filius, genitus de patre coæterno, idem etiam partu est natus humano. Sed hanc adorandam in cœlo & in terra natiuitatẽ nullus nobis dies magis quàm hodiernus insinuat, & noua etiam in elementis luce radiante, totam sensibus nostris mirabili sacramentis ingerit claritatem. Non solùm enim in memoriam, sed in conspectum quodammodo redit angeli Gabrielis cum Maria stupente colloquium, & conceptione de spiritu sancto tam mirè promissa quàm credita, author mundi æditus est vtero virginali, & qui omnes naturas condidit, eius est factus filius quam creauit. Hodie verbum Dei carne apparuit vestitum, & quod nunquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam manibus esse tractabile. Hodie genitum in nostræ carnis animæque substantia saluatorem angelicis vocibus didicere pastores, & apud dominicorum præsules gregũ
Luc.2. hodie euangelizandi forma præcondita est, vt nos quoque cum cœlestis militiæ

dicamus

dicamus exercitu: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quamuis igitur illa infantia, quam filij Dei non est dedignata maiestas, in virum perfectum ætatis adiectione prouecta sit, & consummato passionis & resurrectionis triumpho, omnes susceptæ pro nobis humilitatis transierint actiones, renouat tamen nobis hodierna festiuitas nati Iesu ex Maria virgine sacra primordia, & dum saluatoris nostri adoramus ortum, inuenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi, origo est populi Christiani, & natalis capitis, natalis est *Christiani* corporis. Habeant licet singuli quique vocatorum ordinem suum, & omnes Eccle- *omnes vt*
siæ filij temporum sint successione distincti, vniuersa tamen summa fidelium fonte *cum Chri-*
orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscita- *sto renasti*
ti, in ascentione ad dexteram patris collocati, ita cum ipso sumus in hac natiuitate *cantur.*
congeniti. Quicquid enim hominum, in quacunque mundi parte credentium regeneratur in Christo, interciso originalis tramite vetustatis, transit in nouum hominem renascendo: nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine saluatoris. Qui ideo filius hominis est factus, vt nos filij Dei esse possimus. Nisi enim ille ad nos hac humilitate descenderet, nemo ad illum vllis suis meritis peruenire. Nihil hic vocatorum cordibus caliginis inferat terrena sapientia, nec se contra altitudinem gratiæ Dei, mox in ima rediturus terrenarum cogitationum puluis attollat. Impletum est in fine seculorum, quod erat ante tempora æterna dispositum: & sub præsentia rerum signis cessantibus figurarum, lex & prophetiæ veritas facta est, vt Abraham fieret omnium gentium pater, & in semine eius daretur promissa benedictio, ne ij tantum essent Israel, quos sanguis & caro genuisset, sed in possessi- *Verì Israe-*
onem hæreditatis fidei filijs præparatæ, vniuersitas adoptionis intraret. Nec obstre- *lita qui*
pant ineptarum calumniæ quæstionum, nec effectus diuini operis ratiocinatio hu- *sint.*
mana discutiat. Nos cum Abraham credimus Deo, nec hæsitamus diffidentia, sed *Rom.4.*
plenissimè scimus, quoniam quod promisit dominus, potens est & facere. Nascitur ergo non de carnis semine (dilectissimi) sed de spiritu sancto saluator, quem primæ transgressionis condemnatio non teneret. Vnde ipsa collati muneris magnitudo dignam à nobis exigit suo splendore reuerentiam. Ideo enim, sicut beatus Apostolus docet, non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo *1.Cor.2.*
est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis: qui nõ aliter piè colitur, nisi id ei quod ipse tribuit offeratur: Quid enim in thesauro dominicæ largitatis ad honorem præsentis festi tam congruum possumus inuenire, quàm pacem, quæ in natiuitate Domini prima est angelico prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ parit filios Dei, nu- *Pacis com-*
trix dilectionis, & genitrix vnitatis, requies beatorum, & æternitatis habitaculum: *mendatio.*
cuius hoc opus proprium & speciale beneficium est, vt iungat Deo, quos se cernit è mundo. Vnde ad hoc bonum nos incitat Apostolus, dicens: Iustificati ergo ex fide, *Rom.5.*
pacem habeamus ad Deum: cuius sententiæ breuitate, omnium ferè mandatorum continetur effectus: quia vbi fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid *Pacem cũ*
est autem (dilectissimi) pacem habete ad Deum, nisi velle quod iubet, & nolle quod *Deo habe-*
prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos & similes expetunt voluntates, nec vnquam diuersitas morum ad firmam potest venire concordiam: quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent quæ Deo displicent, & ijs appetit delectari, quibus illum nouit offendi? non est iste animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiua nobilitas. Genus electum & regium regenerationis suæ respondeat dignitati. Diligat, quod diligit pater, & in nullo ab authore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus: Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt *Esai.1.*
me. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Magnum est (dilectissimi) hu- *Præcipuũ*
ius muneris sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem *Dei donũ*
vocet filium, & homo Deum nominet patrem. Per has enim appellationes sentitur *quod sit.*
& discitur, quis ad tantam altitudinem ascẽdat effectus. Nam si in progenie carnali

& stirpe

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ſtirpe terrena claris parentibus genitos vitia malæ conuerſationis obſcurant, & ipſo maiorum ſuorum lumine ſoboles indigna confunditur: in quem exitum venient, qui propter amorem mundi à generatione Chriſti non metuunt abdicari? Si autem ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole reſplendeat, quanto magis glorioſum eſt, ex Deo natos in authoris ſui imaginem refulgere, & illum in ſe, qui illos generauit oſtendere, dicente Domino: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt? Scimus quidem quòd, ſicut Ioannes Apoſtolus dicit, Totus mundus in maligno poſitus eſt, & inſidiante diabolo & angelis eius, hoc innumeris tentationibus laboratur, vt hominem ad ſuperna nitentem aut aduerſa terreant, aut ſecunda corrumpant: ſed maior eſt, qui in nobis eſt, quàm qui aduerſum nos eſt: & pacem cum Deo habentibus. ac ſemper patri toto corde dicentibus, Fiat voluntas tua, nulla præualere certamina, nulli poſſunt nocere cõflictus. Accuſantes enim noſmetipſos confeſsionibus noſtris, & conſenſum animi carnis concupiſcentijs denegantes, inimicitias quidem aduerſum nos eius qui peccati author eſt commouemus, ſed inexpugnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipſius ſeruiendo firmamus, vt regi noſtro non ſolùm obedientia ſubijciamur, ſed etiam iudicio copulemur. Quoniã ſi in eadem ſententia ſumus, ſi quod vult volumus, & quod improbat improbamus, ipſe iam pro nobis omnia bella conficiet, ipſe qui dedit velle, donabit & poſſe, vt ſimus cooperatores operum eius, & propheticum illud cum fidei exultatione dicamus: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quẽ timebo? Dominus defenſor vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui ergo non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, offerant patri pacificorum concordiam filiorum, & in primogenitum nouæ creaturæ, qui venit nõ ſuam ſed mittentis facere voluntatem, vniuerſa adoptionis membra concurrant: quoniam gratia patris non diſcordes neque diſsimiles, ſed vnum ſentientes, vnumque amantes adoptauit hæredes: ad vnam reformatos imaginem, oportet animum habere conformem. Natalis Domini, natalis eſt pacis. Sic enim ait Apoſtolus: Ille eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum: quoniam ſiue Iudæus, ſiue gentilis, per ipſum habemus acceſſum ad patrem: qui ante paſsionis diem, voluntaria diſpotione præelectum, diſcipulos ſuos hac præcipuè doctrina ſua informauit, vt diceret: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et ne ſub nomine generali pacis ſuæ qualitas lateret, adiecit: Non quemadmodum mundus dat, ego do vobis: Non habet, inquit, mundus amicitias veras, & multos facit peruerſo amore concordes. Sunt etiam in vitijs pares animi, & ſimilitudo deſideriorum æqualitatem gignit affectuum. Et ſi quidam forſitan reperiantur, quibus praua & inhoneſta non placeant, quique illicitas conſenſiones à ſcederе ſuæ charitatis excludant: tamen etiam tales, ſi vel Iudæi ſint, vel hæretici, vel pagani, non de amicitia Dei, ſed de pace ſunt mundi. Pax autem ſpiritualium & catholicorum, à ſupernis veniens, & ad ſuperna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos vult communione miſceri, ſed omnibus obſtaculis reſiſtere, & ad vera gaudia à pernitioſis delectationibus euolare, dicente Domino: Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Hoc eſt, Si deorſum ſunt quæ amas, ad ima deſcendes: ſi ſurſum ſunt quæ diligis, ad ſumma peruenies. Quò nos vnum volentes, vnum ſentientes, & in fide ac ſpe & in charitate cõcordes, ſpiritus pacis agat atque perducat: quoniam quicunque ſpiritu Dei aguntur, ij filij ſunt Dei, qui regnat cum filio & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Ioan. 5.

Tentationes diabolicæ quibus nil nocẽt. Matth. 6.

Pſal. 26.

Ioan. 1.

Ioan. 6.

Epheſ. 2.

Ioan. 14.

Pax mundi qualis.

Pax vera quid repoſcat.

Matt. 6.

Rom. 8.

Sermo ſeptimus in eadem ſolennitate.

Duarum naturarum in Chriſto rationem explicat, & quatenus creaturis vtendum.

Feſtiui-

FEſtiuitatis hodiernæ (dilectiſsimi) verus venerator eſt & pius cultor, qui nec de incarnatione Domini aliquid falſum, nec de deitate aliquid ſentit indignum. Paris enim periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum ſacramentũ natiuitatis Chriſti, qua de matre virgine eſt ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum cãligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat. Diuina eſt enim autoritas, cui credimus: diuina eſt doctrina, quam ſequimur. Quoniam ſiue legis teſtificationi, ſiue oraculis prophetarum, ſiue Euangelicæ tubæ interiorẽ admoueamus auditum, verum eſt quod Ioannes plenus ſpiritu ſancto intonuit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in priucipio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſe factũ eſt nihil. Et ſimiliter verum eſt, quod idem prædicator adiecit: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre. In vtraq; ergo natura idem eſt Dei filius, noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens: in homine hominem renouans, in ſe incommutabilis perſeuerans. Deitas enim, quæ illi cũ patre cõmunis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubijt, nec Dei formam ſerua forma violauit: quia ſumma & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani generis inclinauit ſalutem, nos quidẽ in ſuam gloriã tranſtulit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit. Vnde cum vnigenitus, Dei minorem ſe patre cõfitetur, cui ſe dicit æqualem, veritatem in ſe formæ vtriuſq; demonſtrat, vt & humanã probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Maieſtati igitur filij Dei, corporea natiuitas nihil abſtulit, nihil contulit: quia ſubſtantia incommutabilis nec minui potuit, nec augeri. Quòd enim verbũ caro factum eſt, non hoc ſignificat, quòd in carnem ſit Dei natura mutata, ſed quòd à verbo in vnitatem perſonæ ſit caro ſuſcepta. In cuius vtiq; nomine homo totus accipitur, cum quo intra virginis viſcera, ſancto ſpiritu fœcundata, & nunquam virginitate caritura, tam inſeparabiliter Dei filius vnitur, vt qui erat intemporaliter de eſſentia patris genitus, ipſe ſit tẽporaliter de vtéro virginis natus. Aliter enim ab æternæ mortis vinculis non poſſemus abſolui, niſi in noſtris fieret humilis, qui omnipotens permanebat in ſuis. Naſcens itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus homo verus, qui nunquam deſtitit eſſe Deus verus, nouæ creaturæ in ſe fecit exordium, & in ortus ſui forma dedit humano generi ſpiritale principium, vt ad carnalis generationis abolenda contagia, eſſet regenerandis origo ſine ſemine criminis, de quibus dicitur: Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Quæ hoc ſacramentum mens comprehendere? quæ hanc gratiam valet lingua narrare? Redit in innocentiam iniquitas, & in nouitatẽ vetuſtas: in adoptionem veniunt, alieni, & in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impijs iuſti, de auaris benigni, de incontinẽtibus caſti, de terrenis incipiũt eſſe cœleſtes. Quæ autem eſt iſta mutatio, niſi dextræ excelſi? Quoniam venit filius Dei diſſoluere opera diaboli: & ita ſe nobis, nos quoque inſeruit ſibi, vt Dei ad humana deſcenſio fieret, hominis ad diuina prouectio. In hac autem dilectiſsimi miſericordia Dei, cuius erga nos magnitudinem explicare non valemus, multa ſolicitudine præcauendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis iterum capiantur inſidijs, & eiſdem rurſus, quibus renuntiauerant, erroribus implicentur. Nõ enim deſinit hoſtis antiquus, transfigurãs ſe in angelum lucis, deceptionũ laqueos vbiq; prætendere, & vt quoquo modo fidẽ credentium corrumpat, inſtare. Nouit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit, quẽ mœrore conturbet, quẽ gaudio ſallat, quẽ metu opprimat, quẽ admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudinem, ventilat curas, ſcrutatur affectus. & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quenq; viderit ſtudioſius occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenacius obligauit, aptos ſuis artibus, quorum ad alios decipiendos & ingenijs vtatur & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placatio-

1. Ioan. 1.

Natura duæ in Chriſto.

Ioan. 14. Ioan. 10.

Verbum caro factum eſt, qui accipiendũ.

1. Ioan. 3.

2. Cor. 11.

Diaboli æſtus & inſidiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

placationes dæmonum,& depulsiones promittuntur vmbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod est aut diuinæ voluntatis aut nostræ,indeclinabilium dicunt esse fatorum. Quæ tamen vt cumulatius noceant,spondent posse mutari.si illis quæ aduersantur syderibus supplicetur. Vnde commẽtum impium sua ratione destruitur:quia si prædicta non permanent, non sunt fata metuenda: si permanent,non sunt astra veneranda.De talibus institutis etiam illa generatur impietas,vt sol inchoatione diurnæ lucis exurgens,à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant,vt priusquàm ad beati Petri Apostoli Basilicam,quæ vni Deo viuo & vero est dedicata,perueniant, superatis gradibus,quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur,conuerso corpore ad nascentem se solem reflectant,& curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinent.Quod fieri partim ignorantiæ vitio,partim paganitatis spiritu,multùm tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis,quàm ipsum lumen,quod est creatura, venerantur, abstinendum tamẽ est ab ipsa huiusmodi specie officij: quam cùm in nostris inuenit,qui Deorum cultum reliquit,nónne hanc secum partem opinionis vetustæ tanquàm probabilem retentabit,quam Christianis & impijs viderit esse communem? Abijciatur ergo à consuetudine fidelium damnanda peruersitas,nec honor vni Deo debitus, eorum ritibus qui creaturis deseruiunt misceatur.Dicit enim scriptura diuina:Dominum deum tuum adorabis,& illi soli seruies. Et beatus Iob, Homo sine querela, vt ait Dominus,& continens se ab omni re mala:Nunquid vidi, inquit, solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est cor meum in abscondito, & osculatus sum manum meam? quæ est iniquitas maxima,& negatio contra Deum altissimum. Quid autem est sol, vel quid est luna, nisi visibilis creaturæ & corporeæ lucis elementa? quorum vnum est maioris claritatis,& aliud minoris est luminis.Sicut enim alia diurna, alia nocturna sunt tempora: ita diuersam in luminaribus qualitatem creator instituit,cùm tamen priùs,quàm hæc fierent,& dies sine solis officio,& noctes sine lunæ ministerio præcessissent. Sed condita sunt ista ad faciendam hominis vtilitatem,vt rationale animal, nec in distinctione mensium, nec in recursu annorum,nec in dinumeratione temporum falleretur,cùm per æqualium horarum imparesmoras & dissimilium ortuum signa manifesta,& annos sol concluderet,& menses luna renouaret. Quarto nanque,vt legimus,die dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli,& luceant super terram,& diuidant inter diem & noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos: & sint in firmamento cœli,vt luceant super terram. Expergiscere ô homo,& dignitatem tuæ cognosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei: quæ etsi in Adam corrupta,in Christo tamen est reformata. Vtere quomodo vtendum est visibilibus creaturis,sicut vteris terra, mari,cælo,aëre,fontibus,atque fluminibus,& quicquid in eis pulchrum atque mirabile est,refer ad laudem & gloriam conditoris.Noli esse deditus illi lumini,quo vocem corpoream sensu tange corporeo, & toto mentis affectu illud verum lumen amplectere,quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & de quo dicit Propheta: Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.Si enim templum Dei sumus,& spiritus Dei habitat in nobis,plus est quod fidelis quisque habet in sua anima, quàm quod miratur in cœlo. Non vtique vobis (dilectissimi) hoc aut indicimus aut suademus,vt despiciatis opera Dei,aut contrarium aliquid fidei vestræ in ijs quæ Deus bonus bona condidit,æstimetis,sed vt omni creaturarum specie,& vniuerso huius mundi ornatu rationabiliter & temperãter vtamini. Quæ enim videntur,sicut ait Apostolus, temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt.Vnde quia ad præsentia sumus nati,ad futura autem renati,non temporalibus bonis dediti,sed æternis simus intenti. Et vt spem nostram

Astrologi taxantur.

Nota. abstinendum à specie officij.

Matth. 4. Iob 31.

Gene. 1.

Creaturis vt vtendũ.

Ioan. 1. Psal. 33. 1. Cor. 3.

2. Cor. 4.

posſimus propiùs intueri,in ipso sacramento natalis Domini cogitemus,quid naturæ nostræ gratia diuina contulerit.Audiamus Apostolum dicentem: Mortui enim estis,& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra,tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria:Qui viuit & regnat cum patre & sancto spiritu per omnia secula seculorum,Amen.

Coloſ. 3.

Sermo octauus in eadem solennitate.

Incarnationis Christi modum necessitatemq;, & hæreticorum circa eandem diuersorum mendacia explicat.

CVm semper nos (dilectissimi) gaudere in Domino, omnia diuina eloquia exhortentur,hodiè proculdubiò ad spiritalem lætitiã copiosiùs incitamur,natiuitatis dominicæ sacramento nobis clariùs coruscante,vt recurrentes ad illam diuinæ misericordiæ ineffabilem inclinationem,qua creator hominũ fieri homo dignatus est, in ipsius nos inueniamur natura,quem adoramus in * nostra. Deus enim Dei filius,de sempiterno & ingenito patre vnigenitus,sempiternus manens in forma Dei,& incommutabiliter atq; intemporaliter habens non aliud esse,quàm pater, formam serui sine suæ detrimento maiestatis accepit,vt in sua nos proueheret,non ipse in nostra deficeret.Vnde vtriq; naturæ in suis proprietatibus permanẽti,tanta est vnitatis facta cõmunio,vt quicquid ibi est Dei,non sit ab humanitate diiunctũ:quicquid aũt est hominis,non sit à deitate diuisum. Celebrantes igitur (dilectissimi) natalem diem domini saluatoris, partum beatæ virginis integrè cogitemus,vt carni animæq; conceptæ virtutẽ verbi nullo tẽporis puncto defuisse credamus,nec priùs formatum atq; animatum templũ corporis Christi, quod sibi superueniẽs vendicaret habitator,sed ipsum & in ipso, nouo homini datũ esse principiũ, vt in vno Dei atq; hominis filio,& sine matre deitas,& sine patre esset humanitas.Simul enim per spiritum sanctum fœcũdata virginitas,sine corruptionis vestigio ædidit & sui generis sobolem, & suæ stirpis authorem. Vnde & idem Dominus,sicut Euangelista cõmemorat,quæsiuit à Iudæis,cuius filium Christum scripturarum auctoritate didicissent,& eisdem respondentibus,quôd ex Dauid venturus semine traderetur.Quomodo,inquit,illum dominum suum Dauid in spiritu vocat,dicens:Dixit dominus domino meo,sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum?Nec potuerunt Iudæi propositam soluere quæstionẽ,quia non intelligebant in vno Christo & progeniem Dauidicam,& naturam prophetatam esse diuinam. Maiestas autem filij,æqualis patri,vestiens se humilitate seruili,nec metuebat minui,nec indigebat augeri: ipsumq; effectum misericordiæ suæ,quem restitutioni impendebat humanæ, sola exequi poterat virtute deitatis, vt creaturam ad imaginem Dei conditam,à iugo diræ dominationis erueret.Sed quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, vt eum in partes suas sine liberi arbitrij consensione transferret,sic destruendum peccatum fuerat voluntarium & hostile consilium,vt dono gratiæ non obesset norma iustitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, vnum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quod posset subuenire prostratis,si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus atque innocens nasceretur,qui cæteris exemplo prodesset & merito.Sed quia hoc naturalis generatio nõ sinebat,nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse,de quo scriptura dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nónne tu qui solus es? dominus Dauid,factus est filius Dauid,& de promissi generis fructu proles est orta sine vitio,in vnam personam gemina conueniente natura,vt eodem conceptu eodemq; partu gigneretur Dominus noster Iesus Christus,cui vera inesset deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tole-

Matt. 22.

Psal. 109.

Gene. 1.

Christus cur nos potentia redimere nolucrit.

Iob 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rantiam paſsionum. Fides igitur catholica (dilectiſsimi) oblatrantium hæreticorum ſpernat errores, qui mundanæ ſapientiæ vanitate decepti, à veritatis Euangelio receſſerunt, & incarnationem verbi intelligere non valentes de cauſa illuminationis fecerunt ſibi materiam cæcitatis. Nã omnium ferè falſa credẽtium opinionibus, quæ etiam in ſpiritus ſanẽti negationẽ proruunt, retractatis, neminẽ penè deuiaſſe cognoſcimus, niſi qui duarum in Chriſto naturarũ veritatẽ ſub vnius perſonæ confeſsione non credidit. Alij etenim domino ſolam humanitatẽ, alij ſolam adſcripſere deitatem. Alij veram quidem in ipſo diuinitatẽ, * ſed carnẽ dixerunt fuiſſe ſimulatã. Alij profeſsi ſunt verã eum ſuſcepiſſe carnẽ, ſed Dei patris nõ habuiſſe naturam: & deitati eius quæ erant humanæ ſubſtantiæ deputantes, maiorẽ ſibi Deũ minoremq; finxerunt, cùm gradus in vera diuinitate eſſe non poſsint. Quoniam quicquid Deo minus eſt, Deus non eſt. Alij cognoſcentes patris & filij nullam eſſe diſtantiam, quia non poterant vnitatem deitatis intelligere, niſi in vnitate perſonæ, eũdem adſeruerunt eſſe patrem quem filium, vt naſci & nutriri, pati & mori, ſepelire & reſurgere, ad eundem pertineret, qui per omnia & hominis perſonam impleret & verbi. Quidam putauerunt Dominũ Ieſum Chriſtum non noſtræ ſubſtantię corpus habuiſſe, ſed ab elementis ſuperioribus ac ſubtilioribus ſumptũ. Quidam aũt æſtimauerunt in carne Chriſti animã humanam nõ habitaſſe nec fuiſſe, ſed partes animę ipſam verbi impleſſe deitatem: quorũ impudentia in hoc tranſijt, vt animã quidem fuiſſe in Domino faterentur, ſed eandẽ dicerent mente caruiſſe, quia ſufficeret homini ſua deitas ad omnia rationis officia. Poſtremò, ijdem adſerere præſumpſerunt, partem quandam verbi in carnẽ fuiſſe cõuerſam, vt in vnius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantũ animęq; natura, ſed etiã ipſius verbi ſolueretur eſſentia. Multa ſunt & alia prodigia falſitatũ, quibus enumerãdis charitatis veſtræ nõ eſt fatigandus auditus: ſed poſt diuerſas impietates, quæ ſibi inuicem ſunt multiformiũ blaſphemiarũ cognatione connexæ, de ijs potiſsimum erroribus declinandis obſeruantiam veſtræ deuotionis admoneo, quorũ vnus dudum Neſtorio authore cõſurgere non impunè tentauit. Alius nuper pari execratione damnandus, Eutyche adſertore prorupit. Nã ille beatam Mariam virginẽ tantummodò auſus eſt hominis prædicare genitricem, vt in conceptu eius & partu nulla verbi & carnis facta vnitio crederetur. Quæ Dei filius non ipſe factus ſit hominis filius, ſed creato homini ſola ſe dignatione ſociauerit. Quod catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ ſic Euangelio veritatis imbutæ ſunt, vt firmiſsimè nouerint, nullam eſſe humano generi ſpem ſalutis, niſi ipſe eſſet filius virginis, qui creator eſt matris. Hic autem recentioris ſacrilegij prophanus adſertor, vnitionẽ quidem in Chriſto duarũ cõfeſſus eſt naturarũ, ſed ipſa vnitione id dixit effectum, vt ex duabus vna remaneret, nullatenus alterius exiſtente ſubſtantia, quæ vtiq; fieri niſi aut conſumptione aut ſeparatione non poſſent. Hæc verò tam inimica ſunt ſanæ fidei, vt nequeant recipi ſine excidio nominis Chriſtiani. Si enim verbi incarnatio nõ vnitio eſt diuinæ humanæq; naturæ, ſed hoc ipſo concurſu, quod erat geminum, factũ eſt ſingulare, ſola diuinitas vtero virginis nata eſt, & per ludificatoriam ſpeciem ſola ſubijt nutrimenta & incrementa corporea: vtq; omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, ſola diuinitas crucifixa, ſola diuinitas mortua, ſola diuinitas eſt ſepulta, vt iam ſecundum talia ſentientes ſperandæ reſurrectionis nulla ſit ratio, nec ſit primogenitus ex mortuis Chriſtus: quia non fuit qui deberet reſuſcitari, ſi non fuit qui poſſet occidi. Abſint à cordibus veſtris (dilectiſsimi) diabolicarum inſpirationum virulenta mendacia: & ſcientes, quòd ſempiterna filij deitas nullo apud patrem creuit augmento, prudenter aduertite, quòd cui naturæ in Adam dictum eſt: Terra es, & in terram ibis: eidem in Chriſto dicitur, Sede à dextris meis. Secundum illam naturam, qua Chriſtus æqualis eſt patri, nunquam inferior fuit vnigenitus ſublimitate genitoris, nec temporalis eſt ei cum patre gloria, quia eſt ipſa patris dextera. De qua in Exodo dicitur: Dextera tua Domine glorificata eſt in virtute. Et in Eſaia: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?

ſed carnẽ dixerunt eſſe aſſimilatam.

Neſtorius fuit Conſtantinopolitanus epiſcopus.

Eutyches verò abbas eiuſdem vrbis.

Rom. 8. Coloſ. 1.

Gene. 3. Pſal. 109.

Exod. 15.

Adſumptus igitur homo in filium Dei, ſic in vnitatem perſonæ Chriſti ab ipſis corporalibus eſt receptus exordijs, vt nec ſine deitate conceptus ſit, nec ſine deitate æditus, nec ſine deitate nutritus. Idem erat in miraculis, idem in cõtumelijs, per humanam infirmitatẽ crucifixus, mortuus & ſepultus, per diuinã virtutem die tertia reſuſcitatus, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextrã Dei patris, & in natura hominis accepit à patre, quod in natura deitatis etiam ipſe donauit. Hæc (dilectiſsimi) pio corde meditãtes, Apoſtolici ſemper memores eſtote præcepti, qui vniuerſos admonet, dicens: Videte, ne quis vos ſeducat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum: quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis repleti in illo: nõ dixit ſpiritaliter, ſed corporaliter, vt veram intelligamus ſubſtantiam carnis, vbi eſt plenitudine diuinitatis inhabitatio corporalis. Qua vtiq; tota etiam repletur Eccleſia, quæ inhærens capiti, corpus eſt Chriſti, qui viuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

Eſai. 53. Rom. 10.

Coloſ. 2.

Epheſ. 1. Coloſ. 1.

Sermo nonus in eadem ſolemnitate.

Diuinitas immutabilis vt noſtra infirma ſuſceperit, & quid libertatis nobis per hoc ipſum contulerit.

EXcedit quidem (dilectiſsimi) multumq; ſupereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo, & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi. Quia in Chriſto Ieſu filio Dei non ſolùm ad diuinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat natura, quod dictum eſt per prophetã: Generationem eius quis enarrabit? Vtranq; enim ſubſtantiam in vnam cõueniſſe perſonam, niſi fides credat, ſermo non explicat: & ideò nunquam materia deficit laudis, quia nunquàm ſufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur, quòd ad eloquendum tantæ miſericordiæ ſacramentum impares ſumus, & cum ſalutis noſtræ altitudinem promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe quòd vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiamſi multum proficiat ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id, in quod tendit, perueniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione defecit. Ne autem infirmitatis noſtræ perturbemur anguſtijs, euangelicæ nos & propheticæ adiuuant voces, quibus ita accendimur & docemur, vt nos natiuitatem domini, qua verbum caro factum eſt, non tam præteritam recolere quàm præſentem videamur inſpicere. Quòd enim paſtoribus pro gregum ſuorum cuſtodia vigilantibus nunciauit angelus, etiam noſtrum impleuit auditum: & ideo dominicis ouibus præſumus, quia verba diuinitus ædita cordis aure ſeruamus, tãquam & in hodierna feſtiuitate dicatur: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Cuius prædicationis ſummitati exultatio innumerabilium iungitur angelorum, vt excellentius fieret teſtimonium, cui militiæ cæleſtis multitudo concineret angelorum, in honorem Dei vna benedictione dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dei ergo gloria eſt ex matre virgine Chriſti naſcentis infantia, & reparatio humani generis meritò in laudem ſui refertur authoris, quia & ipſe beatæ Mariæ miſſus à Deo Gabriel angelus dixerat: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. In terra autem illa pax conceditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quo enim ſpiritu de intemeratæ matris viſceribus naſcitur Chriſtus, hoc de ſanctæ Eccleſiæ vtero renaſcitur Chriſtianus, cui vera pax eſt, à Dei voluntate non diuidi, & ijs ſolis, quæ Deus diligit, delectari. Natalem igitur (dilectiſsimi) diem domini

Eſai. 53.

Ieæu. 1. Luc. 2.

Ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

celebrantes,qui ex omnibus præteritorum temporum diebus electus est,licet dispē-
satio actionum corporalium, sicut æterno consilio fuerat præordinata, transierit,
totaq; redemptoris humilitas in gloriam paternæ maiestatis euecta sit,vt in nomine
Philip.2. Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua
confiteatur,quia Dominus Iesus in gloria est Dei patris: indesinenter tamen ipsum
partum salutiferæ virginis adoramus, & illam verbi & carnis indissolubilem copu-
lam non minus suscipimus in præsepe iacentem, quàm in throno paternæ altitudi-
nis considentem.Immutabilis enim deitatis quamuis intra semetipsam & claritatē
suam & potentiam contineret,non tamen ideo non erat conserta nascenti,quia hu
mano aspectui non patebat,vt per veri hominis inusitata primordia ille agnoscere-
tur genitus,qui regis Dauid & Dominus esset,& filius.Ipse enim prophetico spiritu
Psal.109. cantat: dicens: Dixit Dominus Domino meo,sede à dextris meis. Quo testimonio
Matt.22. sicut Euangelium refert confutata est impietas Iudæorum. Nam cum Iesu interro-
gante Iudæos,cuius filium dicerent Christum,respondissent Dauid, confestim do-
minus cæcitatem illorum arguens,ait: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum
Dominum,dicens: Dixit Dominus Domino meo,Sede à dextris meis? intercluſistis
vobis ô Iudæi intelligentiæ viam,& dum solam naturam carnis aspicitis,tota vos ve-
ritatis luce priuatis. Expectantes enim secundū vestræ persuasionis fabulosa figmē-
ta,Dauid filium de sola stirpe corporea,dum spem vestram in homine tantum con-
stituistis,Deum Dei filium repulistis,vt quod nobis confiteri gloriosum est, vobis
prodesse non possit.Nam & nos interrogati,cuius filius sit Christus,voce Apostoli
Rom.1. confitemur,quòd factus est ex semine Dauid secundum carnem:& de ipso initio E-
Matt.1. uangelicæ prædicationis instruimur, legentes: Liber generationis Iesu Christi filij
Dauid.Sed ideo à vestra impietate discernimur, quia quem ex progenie Dauid ho-
Ioan.1. minem nouimus natum, eundem secundum quod verbum caro factum est, Deum
Deo patri credimus coæternum. Vnde si teneres, ô Israel, tui nominis dignitatē,
& propheticas denunciationes non obcæcato corde percurreres, Esaias tibi Euan-
gelicam panderet veritatem, & non surdus audires diuina inspiratione dicentem:
Esai.7. Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel,
Matt.1. quod est interpretatum,Nobiscum Deus.Quem si in tanta proprietate sacri nomi-
nis non videbas,in Dauidica saltem voce didicisses, ne contra testificationem noui
& veteris testamenti,Iesum Christum Dauid filium denegares,quem Dauid domi-
num non fateris.Quapropter (dilectissimi) quoniam per ineffabilem gratiam Dei,
Ecclesia fidelium gentium consequuta est, quod carnalium Iudæorum synagoga
Psal.97. non meruit,dicente Dauid:Notum fecit dominus salutare suum,in conspectu gen-
Esai.9. tium reuelauit iustitiam suam. Et Esaia similiter prædicante: Populus, qui sedebat
Esai.53. in tenebris vidit lucem maguam: qui habitabant in regione vmbræ mortis,lux orta
est eis,& iterum:Gentes quæ te non nouerunt, inuocabunt te, & populi qui te ne-
sciunt,ad te cōfugient: exultemus in die salutis nostræ,& per nouum testamentū in
Psal.2. consortium eius adsumpti,cui dicitur à patre per Prophetam: Filius meus es tu,ego
hodie genui te: postula à me,& dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem
tuam terminos terræ: in adoptantis nos misericordia gloriemur:quia sicut Apostō-
Rom.8. lus ait:Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritū ad-
optionis filiorum,in quo clamamus,Abba pater.Dignum enim est atq; conuenies,
Ibidem. vt testantis patris voluntas ab adoptionis filijs impleatur,& dicente Apostolo: Si cō-
patimur,& conglorificabimur: sint humilitatis Christi cōparticipes,qui sunt futu-
Ibidem. ræ gloriæ cuhæredes. Honoretur in infantia sua Dominus, nec ad deitatis referan-
tur iniuriam exordia & incrementa corporea. Quoniam naturæ incōmutabili nec
addidit aliquid nostra natura nec minuit,sed qui in similitudinem carnis peccati di
gnatus est hominibus esse cōformis,in vnitate deitatis: patri permanet æqualis,cum
quo & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

Sermo

Sermo decimus in eadem solennitate.

Verbum paternæ maiestatis vt habitauit in nobis, & de eiusdem excellentia.

Saepe,vt nostis,(dilectissimi)de excellentia festiuitatis hodiernæ of-
ficium vobis sermonis salutaris impēdimus, nec ambigimus ita cor-
dibus vestris diuinæ pietatis resplenduisse virtutem, vt quod vobis
fide est insitum,id sit etiam intelligentia comprehendum. Sed quia
Domini saluatorisq; nostri natiuitas non solùm secūdum deitatem
de patre,sed etiam secundum carnem de matre,ita facultatē huma-
ni excedit eloquij,vt meritò ad vtrunq; referatur quod dictum est: Generationem *Esaiæ 53.*
eius quis enarrabit? in eo ipso,quòd dignè non potest explicari,semper exuberat ra-
tio differendi.Non quia liberum sit diuersa sentire,sed quia dignitati materiæ nulla
potest lingua sufficere.Magnitudo igitur sacramenti in salutē humani generis ante
secula æterna dispositi,in seculorum fine reserati,integritati suæ nec auferri aliquid
patitur nec augeri: & sicut propria non amittit,ita aliena nō recipit. Sed multi opi- *Hæresis*
nionum suarum sequaces,& quod nondum intellexerant,pratiores docere quàm *vnde.*
discere,sicut ait Apostolus,circa fidem naufragauerūt,quorum prauas compugnā- *1.Tim.1.*
tesq; sententias breui significatione perstringam,vt errorum tenebris à veritatis lu-
ce discretis,& religiosè honorentur beneficia diuina,& scienter caueantur munda-
na mendacia. Quidam enim ex documentis natiuitatis Domini Iesu Christi,quæ
cum verum hominis filium demonstrabant,nihil ipsum amplius,quàm hominis fi-
lium crediderunt,non putantes illi adscribendam esse deitatem, quem & primor-
dia infantiæ,& incrementa corporea,& passionum vsque ad crucem mortemque
conditio,non dissimilem cæteris mortalibus approbassent. Alij verò virtutum ad-
miratione permoti,& originis nouitatem,& dictorum factorumque potentiam ad
diuinam intelligentes pertinere naturam, nihil illi putauerunt nostræ inesse sub-
stantiæ, totumque illud quod corporeæ fuit actionis & formæ, aut de sublimioris
generis prodisse materia, aut simulatam carnis speciem habuisse, vt videntium &
tangentium sensus ludificatoria imagine fallerentur. Fuit autem in quibusdam er-
rantibus etiam illa persuasio,qua conarentur adserere, ex ipsa verbi substātia quid-
dam in carnem fuisse conuersum,natoq; Iesu ex Maria virgine, nihil maternæ fuis-
se naturæ, sed & quod erat Deus, & quod erat homo,vtrumque ad id pertinuisse,
quod verbum est,vt scilicet in Christo & per diuersitatem substantiæ falsa fuerit hu
manitas, & per defectum mutabilitatis non vera diuinitas. Has ergo (dilectissi-
mi) aliasq; impietates diabolica inspiratione conceptas,& in multorum noxam per
vasa perditionis effusas,olim catholica fides, cui Deus & magister est, & auxiliator,
obtriuit,exhortante & instruente spiritu sancto per legis testificationem, per vati-
cinia prophetarum, & per euangelicam tubam apostolicamq; doctrinam, vt con-
stanter intelligenterq; credamus, quia, sicut ait beatus Ioannes: Verbum caro fa- *Ioan.1.*
ctum est,& habitauit in nobis.In nobis vtique,quos verbi sibi diuinitas coaptauit, *Deus Ver-*
cuius caro de vtero virginis sumpta nos sumus.Quæ si de nostro,id est,verè humana *bum vt in*
non esset,verbum caro factum non habitasset in nobis. In nobis autem habitauit, *nobis habi-*
qui naturam nostri corporis suam fecit ædificante sibi sapientia domum, non de *tavit.*
quacunque materia, sed de substantiæ propriè nostra, cuius assumptio est manife-
stata, cùm dictum est, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Huic autem
sacratissimæ prædicationi etiam beati Pauli Apostoli doctrina corcordat dicentis: *Coloss.2.*
Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum tra-
ditionem hominum,secundum elementa mundi,& non secundum Christum:quia
in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,& estis repleti in illo. To-
tum igitur corpus implet tota diuinitas,& sicut nihil deest illius maiestatis,cuius ha

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitatione repletur habitaculum: sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem dictum est, Et estis repleti in illo, nostra vtique significata est natura: ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei verbum, nostri sibi generis & animam & corpus vnisset. Agnoscendum sanè (dilectissimi) & toto corde est confitendum quòd hæc generatio, qua & verbum & caro, id est, Deus & homo, vnus Dei filius vnusq; Christus efficitur, supra ominem originem humanæ creationis excellit. Nec enim aut Adæ de limo terræ formatio, aut Euæ de viri carne plasmatio, aut cæterorum hominum de vtriusque sexus permixtione conditio, Iesu Christi potest ortui comparari. Genuit Abraham senex diuinæ promissionis hæredem, transgressa fœcunditatis annos sterilis Sara concepit. Iacob dilectus à Deo antè quàm natus, & præueniente gratia voluntarias actiones, ab hispida congeniti fratris asperitate discretus. Hieremiæ dicitur: Priùs, quàm te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te. Anna diu fœcunditatis aliena, Samuelem prophetam, quem Deo offerret, enixa est, vt & partu clara esset & voto. Zacharias sacerdos de Elizabeth sterili sanctam susscepit prolem: & præcursor Christi futurus Ioannes, spiritum propheticum intra viscera matris acceperat, & nondum æditus puer, genetricem domini signo clausæ exultationis ostenderat. Magna hæc omnia & diuinorum operum plena sunt miraculis: sed hoc ipso moderatius stupenda, quo plura. Natiuitas autem Domini nostri Iesu Christi omnem intelligentiam superat, & cuncta exempla transcēdit. Nec potest vllis esse comparabilis, quæ est inter omnes singularis. Electæ nanq; virgini de semine Abrahæ ac radice Iesse, per propheticas voces & per mysticа signa promissæ, denunciatur ab archangelo sine damno pudoris beata fœcunditas, sacram virginitatem nec conceptu violatura nec partu. Superueniente quippe in eam spiritu sancto, & altissimi obumbrante virtute, incommutabile Dei verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis adsumpsit, quæ & nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, & nihil eorum quæ ad animæ corporisq; naturam pertinent, non haberet. Recedant procul atq; in tenebras suas eant hæreticarum monstra opinionum, & insanarum sacrilegia falsitatum. Nos exultans in laudem Dei cælestium multitudo, & instructi ab angelis docuere pastores, vt cognitis vtriusque naturæ documentis, & verbum in Christo homine, & Christum hominem adoremus in verbo. Nam si, vt Apostolus ait, qui adhæret Deo, vnus spiritus est: quanto magis verbum caro factum vnus est Christus? vbi nihil est alterius naturæ, quo non sit vtriusque. Non ergo infirmetur in consilijs misericordiæ Dei, quæ nos & innocentiæ reformat & vitæ, nec quia in saluatore nostro manifestè cognoscimus geminæ signa naturæ, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitatis maiestate dubitemus. Idem est in forma Dei, qui formam susscepit serui. idem est incorporeus manens, & corpus adsumens: idem in sua virtute inuiolabilis, & in nostra infirmitate passibilis: idem à paterno non diuisus throno, & ab impijs crucifixus in ligno: idem est super cælorum altitudines victor mortis ascendens, & vsque ad consummationem seculi vniuersam Ecclesiam non relinquens. Idem postremò est, qui in eadem qua ascendit carne venturus, sicut iudicium sustinuit impiorum, ita iudicaturus est de omnium actione mortalium. Vnde ne plurimis testimonijs immoremur, vnum sufficit ex Euangelio beati Ioannis adhiberi, quo ipse Dominus noster dicit: Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio vitam habere in semet ipso: & potestatem dedit ei & iudicium facere, quia filius hominis est. Ergo sub vna sententia ostendit, quia filius Dei atque filius hominis est. Vnde apparet quemadmodum Christum Dominum in vnitate personæ credere debeamus, quia eum sit filius Dei, per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem carnis est factus, vt moreretur, sicut ait Apostolus, propter delicta nostra, & resurgeret propter iustificationem nostram. Hæc confessio (dilectissimi) nullas metuit cō-

Christi incarnatio quàm sit incomparabilis.
Gene. 2.
Gene. 21.
Gene. 15.
Rom. 9.
Hiere. 1.
1. Reg. 1.
Luce 1.
Luce 1.
1. Cor. 6.
Matt. 28.
Ioan. 5.
Rom. 4.

tradictiones, nullis cedit erroribus. Agnoscimus enim misericordiam Dei ab initio promissam, & ante secula præparatam, per quam resolui captiuitatis humanæ vincula potuerunt, quibus primum hominem omnemque eius posteritatem malesuadus author peccati obstrinxerat, & propaginem deditiam originali sibi præiudicio vendicabat. Quia igitur iustificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quòd vnigenitus Dei, etiam filius hominis esse dignatus est, vt ὁμοούσιος patri Deus, id est, vnius substantiæ, idem homo verus & secundum carnem matri consubstantialis existeret, vtroque gaudemus, quia non nisi vtroque saluamur, in nullo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem ab impalbabili, formam serui à forma Dei. Quia etsi vnū manet ab æternitate, aliud cœpit à tempore: quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec separationem possunt habere nec finem, dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus ita sibimet mhæserunt, vt siue in omnipotentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo careant humanis, nec humana diuinis. Hæc credentes (dilectissimi) Christiani sumus, veri Israelitæ & in consortium filiorum Dei veraciter adoptati. Quia & omnes sancti, qui saluatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidem iustificati, & per hoc sacramentum Christi sunt corpus effecti, expectantes vniuersalem credentium redemptionem in semine Abrahæ, de quo dicit Apostolus: Abrahæ dictæ sunt repromissiones & semini eius. Non dicit & seminibus eius, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Propter quod Matthæus Euangelista, vt promissionem ad Abraham factam ostenderet in Christo esse completam, generationum ordinem percurrit, & in quo omnibus gentibus dispositа fuisset benedictio, demonstrauit. Lucas quoq; Euangelista ab ipso Domini ortu seriem generis sursum versus retexuit, vt etiā illa secula, quæ diuuriū peruenerunt, huic sacramēto doceret fuisse cōnexa, omnesq; ab initio successionū gradus ad eū, in quo vno erat salus omnis, tetendisse. Non ergo dubitandū est, quia præter Christū nō est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, Qui cum patre & spiritu sancto æqualis in trinitate vnit & regnat in secula seculorum, Amen.

Galat. 3.
Matt. 1.
Luce 3.
Act. 4.

SERMO PRIMVS IN SOLENNITATE Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi.

Epiphaniæ celebritas quid insinuet, & de trium Magorum aduentu ac muneribus.

Celebrato proximo die, quo intemerata virginitas humani generis ædidit saluatorem, Epiphaniæ nobis (dilectissimi) veneranda festiuitas dat perseuerantiam gaudiorum, vt inter cognatarum solennitatum vicina sacramenta, exultationis vigor & feruor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat salutem, quod infantia saluatoris ac mediatoris Dei & hominum iam vniuerso declarabatur mūdo, cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quīuis enim Israēleticam gentem, & ipsius gētis vnam familiam delegisset, de qua naturam vniuersæ humanitatis adsumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouę claritatis apparuit, quæ illustrioa cæteris pulchriorque syderibus, facilè in se intuentium oculos animosque conuerteret, vt confestim aduerteretur non esse occisum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & præuij fulgoris indicium intenta con-

Tres Magi vbi stellam viderint.

templa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

templatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ ſplendore ducuntur, qui humano ſenſu ſignificatum ſibi regis ortum æſtimauerũt in ciuitate regia eſſe quærendum. Sed qui ſerui ſuſceperat formam, & nõ iudicare venerat, ſed iudicari, Bethleem prælegit natiuitati, Hieroſolymam paſsioni. Herodes verò audiens Iudæorũ principem natum, ſucceſſorem ſuſpicatus expauit, & molitus necem ſalutis authori, falſum ſpopondit obſequium. Quàm felix foret, ſi Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod diſponebat ad fraudem. O cæca ſtultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore conſilium. Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præſtat æternum. Quid incommutabilem diſpoſitarum rerum ordinem vertere, & aliorum facinus præoccupari conaris? Mors Chriſti non eſt temporis tui. Ante condendum eſt Euangelium, ante prædicandum eſt Dei regnum, ante ſanitates donandæ, ante ſunt facienda miracula. Cur, quod alieni futurum eſt operis, tui eſſe vis criminis, & non habiturus effectum ſceleris, in ſolum te reatum præcipitas voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui voluntate natus eſt, arbitrij ſui poteſtate morietur. Conſummant ergo Magi deſiderium ſuum, & ad puerum dominum Ieſum Chriſtum eadem ſtella præeunte perueniunt. Adorant in carne verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maieſtatis: vtq; ſacramentum fidei ſuæ
Magorum munera. intelligentiæq; manifeſtent, quod cordibus credũt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, ſcienter diuinam humanamq; naturam in vnitate venerantes: quia quod erat in ſubſtantijs proprium, non erat in perſona diuerſum. Reuerſus autem Magis in regionẽ ſuam, tranſlatoq; Ieſu in Aegyptum ex admonitione diuina, exardeſcit fruſtrata meditationibus ſuis Herodis inſa-
Innocẽtes martyres. nia, necari omnes Bethleem paruulos iubet. & quoniam quem metuat, neſcit inſantem, generalem ſæuitiam in ſuſpectã ſibi tendit ætatem. Sed quos impius rex eximit mundo, Chriſtus inſerit cœlo: & quibus nondũ ſanguinis ſui impendit redem-
1. Pet. 2. ptionem, iam martyrij tribuit dignitatem. Erigite igitur (dilectiſsimi) fideles animos ad coruſcantem gratiam luminis ſempiterni, & impenſa ſaluti humanæ gratiæ
1. Cor. 14. ſacramenta venerantes, ſtudium veſtrum ijs, quæ pro vobis geſta ſunt, ſubdite. Diligite caſtimoniæ puritatẽ, quia Chriſtus virginitatis eſt filius: abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, quemadmodum nos præſens bea-
Matt. 11. tus Apoſtolus ſuis, vt legimus, verbis hortatur. Malitia paruuli eſtote, quia dominus gloriæ, mortalium ſe conformauit infantiæ. Sectamini humilitatem, quam Dei filius diſcipulos ſuos docere dignatus eſt. Induite vos virtutem patiẽtiæ, in qua ani-
Colloſ. 3. mas veſtras poſsitis acquirere, quoniam qui cunctorum eſt redemptio, ipſe eſt omnium fortitudo. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Per viam veritatis & vitæ conſtanter incedite, nec vos impediant terrena, quibus ſunt parata cœleſtia, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermo ſecundus in eadem ſolennitate.

Epiphaniæ dominicæ ratio, & quid Chriſtianis profuerit excæcatio Iudæorum.

Philip. 4. GAudete in Domino (dilectiſsimi) iterum dico gaudete, quoniã breui interuallo temporis poſt ſolennitatem natiuitatis Chriſti, feſtiuitas declarationis eius illuxit, & quem in illo die virgo peperit in hoc
Ioan. 1. mũdus agnouit. Verbum enim caro factum ſic ſuſceptionis noſtræ temperauit exordia, vt natus Ieſus, & credentibus manifeſtus, & per
Rom. 10. ſequentibus eſſet occultus. Iam tunc ergo cœli enarrauerunt gloriam
Pſal. 18. Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exiuit: quando & paſtoribus exercitus angelo-

angelorum ſaluatoris æditi annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandũ prę- *Luc. 2.*
uia ſtella perduxit, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum veri regis generatio coruſcaret, *Matt. 2.*
cùm rerum fidem & regna Orientis per Magos diſcerent, & Romanum imperium non lateret. Nam & ſæuitia Herodis volens primordia ſuſpecti ſibi regis extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſeruiebat, vt dum atroci intentus facinori, ignotum ſibi puerum indiſcreta infantium cæde perſequitur, annunciatum cœlitus dominatoris ortum inſignior vbiq; fama loqueretur, quam promptiorem ad narrãdum diligentioremq; faciebat, & ſupernæ ſignificationis nouitas, & cruentiſsimi perſecutoris impietas. Tunc autem etiam Aegypto ſaluator illatus, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam ſalutem per occultam gratiam ſignaretur: & quæ nondum eiecerat ab animo ſuperſtitionem, iam hoſpicio reſpiceret veritatem. Meritô igitur (dilectiſsimi) dies iſte manifeſtatione Domini conſecratus, ſpecialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus noſtris digno debet ſplendore clareſcere, vt rerum geſtarum ordinem nõ ſolùm credendo, ſed etiam intelligendo veneremur. Quantam enim gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione *Excæcatio Iudæorum illuminationi gẽtium fuit profectum.*
gentium, probat obcæcatio Iudæorum. Quid enim tam cæcũ, quid tam lucis alienũ, quàm illi ſacerdotes & ſcribæ Iſraelitarũ fuerunt? qui percontantibus Magis, & Herode quærente, vbi Chriſtus ſecundum ſcripturarum teſtimonium naſceretur, hoc *Matt. 2.*
reſponderunt de prophetico eloquio, quod indicabat ſtella de cœlo quę vtiq; poterat Magos Hieroſolymis prætermiſsis vſque ad cunabula pueri, ſicut poſtmodùm ſe
cit, ſua ſignificatione perducere, niſi ad confutandam Iudæorum duritiam pertinuiſſet, vt non ſolùm ductu ſyderis, ſed etiam ipſorum profeſsione innoteſceret natiuitas ſaluatoris. Iam ergo ad eruditionem gentium propheticus ſermo tranſibat, & prænunciatũ oraculis antiquis Chriſtũ alienigenarũ corda diſcebant, cùm Iudęorũ infidelitas veritatem ore proferret, & mendaciũ corde retineret. Noluerunt enim agnoſcere oculis, quem de ſacris iudicabant libris, vt quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, poſtea crucifigerent in virtutum ſublimitate fulgentem. Quæ iſta Iudæi tam imperita in vobis ſcientia eſt, tam indocta doctrina? Interrogati vbi Chriſtus naſceretur, veraciter & memoriter dicitis quod legiſtis: In Bethleem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, non es mi- *Mich. 5.*
nima in principibus Iuda. Ex te enim exiet princeps, qui regat populum meum Iſ- *Luc. 2.*
rael. Hunc principem natum, & paſtoribus angeli, & vobis annunciauere paſtores. Hunc principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes in inſolito noui ſideris ſplendore didicerunt. Et ne de loco æditi regis ambigerent, veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit. Cur vobis viam, quam alijs aperitis obſtruitis? Cur in veſtra infidelitate reſidet dubium, quod ex veſtra ſit reſponſione manifeſtum? Locum natiuitatis de ſcripturarum teſtimonio demonſtratis, præſentiam temporis de cæli & terræ atteſtatione cognoſcitis, & tamen vbi ad perſequendum ani- *Matt. 2.*
mus Herodis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obduruit. Felicior ergo *Martyres innocẽtes.*
ignorantia infantium, quos perſequutor occidit, quàm veſtra ſcientia, quos in ſua perturbatione confuluit. Vos noluiſtis regnum eius recipere, cuius oppidum potuiſtis oſtendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri. Itaque Chriſtus, ne vllum ei tempus eſſet abſque miraculo, ante vſum linguæ poteſtatem verbi tacitus exerebat, & quaſi iam diceret, Sinite paruulos venire ad me, talium *Matt. 18.*
eſt enim regnum cælorum: noua gloria coronabat infantes, & de initijs ſuis paruulorum primordia conſecrabat, vt diſceretur, neminem hominum diuini non capacem eſſe ſacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martyrij. Agnoſcamus ergo (dilectiſsimi) in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fideiq; primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus. Exinde enim in æternã hæreditatem cœpimus introire. Exinde nobis Chriſtum loquentia ſcripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen ſuum inuexit. Honoretur itaque à nobis ſacratiſsimus dies, in quo

ſalutis

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutis nostræ author apparuit,& quem Magi infantem venerati sunt in incunabulis,nos omnipotentem adoremus in cælis.Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt· ita & nos de cordibus nostris,quæ deo sunt digna,promamus. Quamuis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ.Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum,sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus,vt si dona illius irrita non fecerimus,per ea quæ dedit,mereamur accipere quod promisit. Vnde cohortamur dilectionem vestram,vt abstinentes vos ab omni opere malo,quæ sunt casta & iusta sectemini.Filij enim lucis abijcere debent opera tenebrarum. Itaque odia declinate, mẽdacia abijcite,superbiam humilitate destruite,auaritiam largitate delete. Decet enim vt capiti sua membra conueniant,vt promissarum beatitudinum mereamur esse consortes,per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum,Amen.

Conatũ & studiũ nostrum requirit Deus.

Rom.13.

Sermo tertius in eadem solennitate.

Declarationis Christi causam, necessitatem, vtilitatemq; explicat.

QVamuis sciam (dilectissimi) quod sanctitatem vestram hodiernæ festiuitatis causa non lateat eamq; secundùm consuetudinem Euangelicus vobis sermo reseruerit: tamen vt nostri nihil desit officij, loqui de eodem quod Dominus donauerit audebo,vt in communi gaudio tanto religiosior sit omnium pietas,quanto magis omnibus fuerit intellecta solennitas. Prouidentia namq; misericordiæ Dei, dispositum habens pereunti mundo in nouissimis temporibus subuenire, saluationem omniũ gentium præfiniuit in Christo,vt quia cunctas nationes à veri Dei cultu impius dudũ error auerterat,& ipse peculiaris Dei populus Israel ab institutis legalibus penè totus exciderat,conclusis omnibus sub peccato,omnium misereretur. Deficiente enim vbiq; iustitia,& toto mundo in vana & maligna prolapso, nisi iudicium suum diuina potestas differet, vniuersitas hominum sententiam damnationis exciperet.Sed in indulgentiam ira translata est,& vt clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo,tunc placuit abolendis peccatis hominum sacramẽtum remissionis adferri,quando nemo poterat de suis meritis gloriari.Huius autem ineffabilis misericordiæ manifestatio facta est Herode apud Iudæos ius regium tenente, vbi legitima regum successione cessante, & Pontificum potestate destructa, alienigena obtinuerat principatum,vt veri regis ortus illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat: Non deficiet princeps ex Iuda,neque dux de femoribus eius,donec veniat cui repositum est,& ipse erit expectatio gentium. De quibus quondam beatissimo patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda: & ideo stellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre, non terrena, sed cœlestis progenies speraretur. Ad creandam ergo promissam posteritatem, hæredes in syderibus designati, ortu noui syderis excitantur, vt in quo cæli adhibitum fuerat testimonium, cæli famularetur obsequium.Commouet Magos remotioris Orientis habitatores stellis cæteris stella fulgentior, & de mirandi luminis claritate viri ad hæc spectanda non inscij magnitudinem significationis intelligunt, agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum. Denique officium suum cum religione disponunt,& his se instruunt donis,vt adoraturi vnum,tria se simul credidisse demonstrent,auro honorantes personam regiam,myrrha humanã,thure diuinam.Ingrediũtur itaq; Iudaici regni præcipuam ciuitatẽ,& in vrbe regia ostendi sibi po-

Rom.11.

Gene.49.
Gene.22.

Stellacur Magis apparuerit.

bi postulant puerum,quem ad regnandum sibi didicerant procreatum. Conturbatur Herodes,timet saluti suæ,metuit potestati. Requirit à sacerdotibus & doctoribus legis, quid de ortu Christi scriptura prædixerit, in notitiam venit, quod fuerat prophetatum.Veritas illuminat Magos,infidelitas obcæcat magistros. Carnalis Israel non intelligit quod legit,non videt quod ostendit,vtitur paginis,quarum non credit eloquijs.Vbi est Iudææ gloriatio tua? vbi de Abraham patre ducta nobilitas? Nonne circuncisio tua præputium facta est? Ecce maior seruus minori, & alienigenis in sortem hæreditatis tuæ intrantibus,eius testamenti,quod in sola litera tenes, recitatione famularis.Intret,intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, & benedictionem in semine Abrahæ, qua se filij carnis abdicant, filij promissionis accipiant.Adorent in tribus Magis vniuersi populi vniuersitatis autorẽ,& nõ in Iudæa tãtùm Deus,sed in toto orbe sit notus,vt vbiq; in Israel sit magnũ nomen eius. Quoniam hanc electi generis dignitatem sicut infidelitas in suis posteris conuincit esse degenerem: ita fides omnibus facit esse cõmunem. Adorato aũt Domino Magi & omni deuotione completa,secundum admonitionem somnij non eodem, quo venerant,itinere reuertuntur.Oportebat enim,vt iam in Christum credentes, non per antiquas conuersationis semitas ambularent,sed nouam ingressi viam, à relictis erroribus abstinerent. Tum vt etiam Herodis vacuarẽtur insidiæ,qui in puerum Iesum impietatem doli per simulationẽ disponebat officij. Vnde quia spes istius erat soluta commenti in maiorem furorem iracundia regis ardescit.Nam recolens tempus,quod indicauerãt Magi,in omnes Bethleem pueros rabiem crudelitatis effundit,& cæde generali vniuersæ ciuitatis illius in æternam gloriam transituram trucidat infantiam,æstimans fore,vt nullo illic paruulo non occiso,occideretur & Christus.At ille,qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem,Aegypto se parentum ministerio subuectus intulerat,repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula,& principatum veri Ioseph maioris prouidẽtiæ potestate disponens,vt illam ditionem omni inedia,famem qua Aegyptiorum mentes veritatis inopia laborabant,veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferret,nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramẽtum, in qua primùm occisione agni,salutiferum signum crucis & pascha Domini fuerat præformatum. His igitur (dilectissimi) diuinæ gratiæ mysterijs eruditi,diem primitiarum,& vocationis gentium inchoationem, rationabili gaudio celebremus, gratias agentes misericordi Deo,qui dignos nos fecit, sicut ait Apostolus, in partem sortis sanctorum in lumine,qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Quoniam sicut prophetauit Esaias: Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. De quibus idem dicit ad Dominum:Gentes, quæ te non nouerunt, inuocabũt te: & populi, qui te nesciebant, ad te confugient· Hunc diem Abraham vidit, & gauisus est, quum benedicendos fidei suæ filios in semine suo, quod est Christus, agnouit, & omnium se futurum gentium patrem credendo prospexi, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quoniam quod promisit, potens est & facere. Hunc diem Dauid canebat in Psalmis, dicens. Omnes gentes quascunque fecisti,venient & adorabunt coram te Domine,& glorificabunt nomen tuum. Et illud: Notum fecit Dominus salutare suum,ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam. Quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos de longinquitate suæ regionis excitatos, ad cognoscendum & adorandum regem cœli & terræ stella perduxit, & rectè intuentibus quotidie apparere non desinit. Et si potuit notum facere Christum, in infantia latentem, quanto magis potest eundem manifestare in maiestate regnantem? Cuius vtique famulatus ad formam nos sui hortatur obsequij, vt huic gratiæ, quæ omnes inuitat ad Christum, quantùm possumus seruiamus. Quicunque enim in Ecclesia piè viuit & castè: qui ea,quæ sursum sunt,sapit,nõ quæ super terrã,cœlestis quodammodo instar est luminis.Et dum ipse

Rom.1.
Gene.25.
Rom.9.

Pſal.75.
Malach.1.

Magi cur per aliam viam reuerſi.

Ieſus infans cur Aegypto illatus.

Ioan.6.

Coloſ.2.

Eſai.9.
Eſai.55.

Ioan.8.
Rom.4.

Pſal.97.

Coloſ.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſanctæ vitæ nitorem ſeruat, multis viam ad Dominum quaſi ſtella demonſtrat. In quo ſtudio omnes (dilectiſsimi) vobis inuicem prodeſſe debetis, vt in regno Dei, ad quod recta fide & bonis operibus peruenitur, ſicut lucis filij ſplendeatis, per Chriſtum Dominum, Amen.

Sermo quartus in eadem ſolennitate.

Epiphaniæ feſtum (in quo magnum præſidium prouidentia diuina conſtituit) ſummis laudibus celebrandum docet, ſpiritusq; ſancti in Magos opus offendit, atque Manichæorum hæreſim derẽgendo confutat.

IVſtum & rationabile (dilectiſsimi) veræ pietatis obſequium eſt, in diebus, qui diunę opera miſericordiæ proteſtãtur, toto corde gaudere, & honorificè ea, quæ ad ſalutem noſtram geſta ſunt, celebrare, vocante nos ad hanc deuotionem ipſa recurrentium temporum lege, quæ nobis poſt diem, in quo cœternus patre filius Dei natus ex virgine eſt, breui interuallo Epiphaniæ iutulit feſtum, ex apparitione Domini conſecratum, in quo fidei noſtræ magnum præſidium prouidentia diuina conſtituit, vt dum ſolenni veneratione recolitur adorata in exordijs ſuis ſaluatoris infantia, per ipſa originalia documẽta probaretur veri hominis in Chriſto orta natura. Hoc enim eſt, quod iuſtificat impios, hoc eſt quod ex peccatoribus facit ſanctos, ſi in vno eodemq; Domino noſtro Ieſu Chriſto, & vera deitas, & vera creatur humanitas. Deitas, qua ante omnia ſecula in forma Dei æqualis eſt patri. Humanitas, qua nouiſsimis diebus in forma ſerui vnitus eſt homini. Ad roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebatur errores, ex magna geſtum eſt diuini pietate conſilij, vt gens in longinqua Orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum ſyderum arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra omnem Iraël eſſet regnaturus, acciperet. Noua etenim claritas apud Magos ſtellæ illuſtrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione ſui ſplendoris impleuit, vt nequaquam ſibi crederent negligendum, quod tãto nunciabatur indicio. Præerat autem, ſicut res docuit, huic miraculo gratia Dei, & quum Chriſti natiuitatem nec ipſa adhuc Bethleem tota didiciſſet, iam credituris gentibus inferebat: & quod nondum poterat humano eloquio diſſeri, cœlo faciebat euangelizante cognoſci. Quamuis autem diuinæ dignationis eſſet hoc munus, vt cognoſcibilis gentibus fieret natiuitas ſaluatoris, ad intelligendum tamen miraculum ſigni potuerunt Magi & de antiquis Balaam prænunciationibus commoneri, ſcientes olim eſſe prædictum, & celebri memoria diffamatum: Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël, & dominabitur gentium. Tres itaque viri, fulgore inſoliti ſyderis diuinitus incitati, præuium micantis luminis curſum ſequuntur, æſtimantes ſe ſignatum puerum Hieroſolymis in ciuitate regia reperturos. Sed cùm eos hæc opinio feſelliſſet, per Iudæorum ſcribas atque doctores, quod ſacra de ortu Chriſti prænunciauerat ſcriptura, didicerunt, vt gemino teſtimonio confirmati, ardentiori fide expeterent, quem & ſtellæ claritas, & prophetiæ manifeſtabat authorits. Prolato autem diuino oraculo per reſponſa pontificum, & declarata ſpiritus voce, quæ dicit: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël: quàm facile & quàm conſequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant? Sed apparet illos carnaliter cum Herode ſapuiſſe, & regnum Chriſti commune cum huius mundi poteſtatibus æſtimaſſe, vt & iſti temporalem ſperarent ducem, & terrenum metueret ille conſortem. Superfluo Herodes timore turbaris, & fruſtrà in ſuſpectũ tibi puerum ſæuire moliris. Non capit Chriſtum

Num.24. *Tres Magi.*

Mich.5. *Matt.2.*

ſtum regio tua, nec mundi Dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt contentus anguſtijs. Quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat, & felicius ipſe regnares, ſi eius imperio ſubdereris. Cur ſyncero officio non facis, quod ſubdola falſitate promittis? Perge cum Magis, & verum regem ſupplíciter adorãdo venerare. Sed tu Iudaicæ ſectator cæcitatis non imitaris gentium fidem, corq; peruerſum ad crudeles conuertis inſidias, nec illum occiſurus quem metuis, nec illis nociturus, quos perimis. Deducti igitur in Bethleem (dilectiſsimi) Magi ſtellæ præcedẽtis obſequio, gauiſi ſunt gaudio magno valdè, ſicut Euangeliſta narrauit. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. O perfectæ ſcientiæ mirabilem fidem, quam non terrena ſapientia erudiuit, ſed ſpiritus ſanctus inſtituit. Vnde enim ij viri, cùm proficiſcerentur de patria, qui nondum viderant Ieſum, nec aliquo contuitu eius, quòd eum tam ordinatè venerarentur, aduerterant, hanc deferendorum munerũ ſeruare rationem, niſi quia præter illam ſtellæ ſpeciem, quæ corporeũ incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorũ corda perdocuit, vt priuſquã labores itineris inchoarent, eũ ſignari ſibi intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confeſsio deberetur? Et hæc quidẽ, quantum ad illuminationẽ fidei pertinebat, potuerunt illis credita & intellecta ſufficere, vt corporali intuitu non inquirerent, quod pleniſsimo vſu mentis inſpexerãt. Sed diligentia officij ſagacis vſque ad videndũ puerum perſeuerans, futuri temporis populis & noſtri ſeculi hominibns ſeruiebat: vt ſicut omnibus nobis profuit, quòd poſt reſurrectionem Domini veſtigia vulnerum in carne eius Thomæ Apoſtoli explorauit manus, ita ad noſtram vtilitatem proficeret, quòd infantiam ipſius magorũ probauit aſpectus. Viderunt itaq; Magi, & adorauerunt puerum de tribu Iudã, de ſemine Dauid ſecundum carnẽ, factum ex muliere, factum ſub lege, quam nõ ſoluere venerat, ſed adimplere. Viderunt & adorauerunt puerum, quantitate parũulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſsimilem. Quia ſicut fidelia erant teſtimonia, quæ in eo maieſtatem inuiſibilis diuinitatis adſererent, ita probatiſsimum eſſe decebat verbum carnem factum, & ſempiternam illam eſſentiam filij Dei, hominis veram ſuſcepiſſe naturam, ne vel ineffabilium operum ſecutura miracula, vel excipiendarũ ſupplicia paſsionũ, ſacramentũ fidei ex rerum diuerſitate turbarent, cùm iuſtificari omnino nõ poſſent, niſi qui Dominum Ieſum & verum Deum & verum hominem credidiſſent. Huic ſingulari fidei (dilectiſsimi) & prædicatæ per omnia ſecula veritati diabolica Manichæorum reſiſtit impietas, qui ſibi ad interficiendas deceptorum animas nefandi dogmatis ferale commentum de ſacrilegis & fabuloſis mendacijs texuerunt, & per has inſanarũ opinionum ruinas eouſque præcipites proruerunt, vt ſibi falſi corporis fingerent Chriſtum, qui nihil in ſe ſolidum, nihil verum, hominem oculis actibusq; præbuerit, ſed ſimulatæ carnis vacuam imaginem demonſtrarit. Indignum enim videri volunt, vt credatur Deus Dei filius fœmineis ſe inſeruiſſe viſceribus, & maieſtatem ſuam huic contumeliæ ſubdidiſſe, vt naturæ carnis immixtus, in vero humanæ ſubſtantiæ corpore naſceretur, cum totum hoc opus non iniuria ſit ipſius, ſed potentia nec credenda pollutio, ſed glorioſa dignatio. Si enim lux iſta viſibilis nullis immunditijs, quibus ſuperfuſa fuerit, violatur, nec radiorum ſolis nitorem, quem corpoream eſſe creaturam non dubium eſt, loca vlla ſordentia vel cœnoſa contaminant, quid illius ſempiternæ & incorporeæ lucis eſſentiam potuit qualibet ſui qualitate polluere, quæ ſe ei, quam ad imaginem ſuam condidit, ſociando creaturæ purificationem præſtitit, maculam non recepit: & ſic ſanauit vulnera infirmitatis, vt nulla pateretur damna virtutis? Quod diuinæ pietatis magnum & ineffabile ſacramentum, quia omnibus ſanctarum ſcripturarum teſtificationibus eſt nunciatum, iſti, de quibus loquimur, aduerſarij veritatis, legem per Moſen datam, & inſpirata diuinitus prophetarum oracula reſpuerunt, ipſaſq; Euangelicas & apoſtolicas paginas,

Magi diuinitus docti

Manichæo rum ſacrilegæ opiniones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manichæi multa sub Christi & Apostolorũ nomine scripserunt.

quædam auferendo,& quædam inferendo violauerunt,confingentes sibi sub apostolorum nominibus,& sub verbis ipsius saluatoris multa volumina falsitatis, quibus erroris sui commenta munirent, & decipiendorum mentibus, mortiferum virus infunderent. Videbant enim sibi vniuersa obsistere,omnia reclamare,& non solùm nouo,sed etiam veteri testamento sacrilegæ impietatis suæ dementiam confutari. Et tamen in furiosis mendacijs persistentes, Ecclesiam Dei deceptionibus suis perturbare non desinunt hoc miseris (quos illaqueare potuerunt) persuadentes,vt negent,à Domino Iesu Christo humanam naturã verè esse susceptam: negent eum verè pro mundi salute crucifixum: negent de eius latere lancea vulnerato sanguinẽ redemptionis & aquam fluxisse baptismatis: negent eum sepultum ac die tertia suscitatum: negent eum in conspectu discipulorum ad confidendum in dextera patris super omnes cœlorum altitudines eleuatum,& vt tota Apostolici veritate Symboli sublata,nullius metus terreat impios,nulla spes incitet sanctos,negent ipsũ Christo viuos & mortuos iudicandos: & quos tantorum sacramentorum virtute priuarint, docẽt in sole & luna colere Christũ,& sub numine spiritus sancti, ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum. Ad confirmanda igitur (dilectissimi) corda nostra in fide & veritate profit omnibus hodierna festiuitas,& ex testimonio manifestatæ saluatoris infantiæ confessio catholica muniatur,& naturæ nostræ carnem in Christo negantium anathematizetur impietas, de qua nos beatus Ioannes

1.Ioan. 4.

Apostolus non dubio sermone præmonuit, dicens: Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse,ex Deo est: & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus. Nihil ergo cum huiusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano,nulla cum talibus habeatur societas, nullumq; consortium. Profit vniuersæ Ecclesiæ,quòd multi ipsorum,Domino miserante, detecti

Hæretici vitandi Hæreticorum hypocrisis.

sunt,& in quibus sacrilegijs viuerent, eorundem confessione patefactum est. Nemmem fallant discretionibus ciborum,sordibus vestium,vultuumq; pallioribus. Nõ sunt casta ieiunia,quæ non de ratione veniunt continentiæ,sed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis,hactenus illuserint imperitis, post hoc nullius excusabilis erit lapsus: nec iam simplex habendus est,sed valdè nequam atque peruersus, qui

Orandum pro hæreticis.

deinceps repertus fuerit nefando obstrictus errore. Ecclesiasticum sanè atque diuinitus institutum non solùm non inhibemus,sed etiam incitamus affectum,vt etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum

1.Cor. 9.

ruinas cum fletu & mœrore miseramur,exequentes Apostolicæ pietatis exemplum, vt cum infirmantibus infirmemur,& cum flentibus desleamus. Speramus enim exorandam misericordiam Dei multis lachrymis & legitima satisfactione lapsorum, quia dum hoc in corpore viuitur,nullius desperãda reparatio,sed omniũ est optanda correctio,auxiliante Domino, qui erigit elisos, soluit compeditos, & illuminat

Psal.144.

cæcos,cui est honor & gloria in secula seculorum,Amen.

Sermo quintus in eadem solennitate.

Epiphaniæ festum quare celebrandum sit,quid stella designet,quid Herodes, & quomodo in Magis, (personã gentium gerentibus) eorũ vocatio, Iudæis in errore obstinatis, indicata sit,quos tandẽ ad resipiscentiam reuocare conatur.

Tres Magi. Matt.2.

HOdiernam festiuitatem (dilectissimi) apparitio domini & saluatoris nostri (sicut nostis) illustrat. Et hic ille dies est,quod ad cognoscendum adorandumq; Dei filium tres Magos præuia stella perduxit. Cuius facti memoriam meritò placuit honore annuo celebrari,vt dum Euangelica historia inceſſanter recensetur, semper se intelligen-

tium sensibus inferat salutiferum mysterium per insigne miraculum. Præcesserant quidem multa documenta,quæ corpoream natiuitatem Domini manifestis indicijs declararent: siue quum beata Maria virgo fœcundandam se spiritu sancto,partiturámq; Dei filium audiuit & credidit: siue quum ad salutationem ipsius in vtero Elizabeth nondum natus Ioannes prophetica exultatione cõmotus est, quasi etiam intra matris viscera iam clamaret: Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mũdi: vel cùm ortum Domini angelo nunciante pastores cœlestis exercitus sunt claritate circundati,vt non ambigerent de maiestate pueri,quem erant in præsepe visuri: nec putarent,quòd in sola natura hominis esset æditus,cui supernæ militiæ famularetur occursus. Sed hæc atque alia huiusmodi paucis tunc videtur innotuisse personis,quæ vel ad cognationem Mariæ virginis,vel ad sancti Ioseph familiam pertinebant. Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos & efficaciter mouit, & ad Dominum Iesum perseueranter attraxit,illius sine dubio gratiæ sacramentũ, & illius fuit vocationis exordium,qua nimirum non in Iudæa tantùm, sed etiam in toto mundo Christi erat Euangelium prædicandum: vt per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit,Israelitarum verò oculis non refulsit, & illuminatio significata sit gentium, & cæcitas declarata Iudæorum. Permanet igitur (dilectissimi)

Luc. 1.
Ioan. 1.
Luc. 2.
Mystice quid significet stella.

sicut euidenter apparet,mysticorũ forma gestorũ: & quod imagine inchoabatur,veritate completur. Radiat nanque à cœlo stella per gratiam,& tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidiè nationibus ad adorandam potentiam summi regis accurrunt. Herodes quoque in diabolo fremit & auferri sibi

Quid Magi.

iniquitatis suæ regnum in ijs,qui ad Christum transeunt,ingemiscit. Vnde si paruulos interficiat,Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique sine cessatione molitur, dũ primordijs renatorum spiritum sanctum eripere, & quandam teneræ fidei infantiam tentat extinguere. Iudæi verò,qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodammodò sub Herodis sunt principatu,& dominante sibi saluatoris inimico, alienigenæ seruiunt potestati,quasi nesciant prophetatum,dicente Iacob: Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat cui reposita sunt: & ipse est expectatio gentium. Sed nondum intelligunt,quod negare non possunt, & mente non capiunt,quod scripturarum narratione nouerunt. Quoniã insanis magistris veritas scandalum est,& cæcis doctoribus fit caligo,quod lumen est. Respondent itaque interrogati quòd in Bethleem nascitur Christus, & scientiam suã, qua alios instruunt,non sequuntur. Perdiderunt igitur placationem hostiarum, successionem regum,locum supplicationum & ordinem sacerdotum: & quum omnia sibi clausa,omnia experiantur esse finita,non vident ea in Christũ esse translata. Vnde quod illi tres viri, vniuersarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti,hoc in populis suis per fidem,quæ iustificat impios,totus mundus assequitur: & hæreditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui,& perdunt qui videbantur esse legitimi. Resipisce tandem Iudæe,resipisce,& ad redemptorem tuum deposita infidelitate conuertere. Noli sceleris tui immanitate terreri. Non iustos Christus, sed peccatores vocat: nec impietatem tuam repellit, qui pro te,dum crucifixus esset,orauit. Immitem crudelium patrum tuorum solue sententiam,neque te eorum maledicto patiaris astringi,qui clamantes de Christo: Sanguis eius super nos & super filios nostros,facinus in te sui criminis transfuderunt. Redite ad misericordem,vtimini clementia remittentis. Sæuitia enim vestræ iniquitatis conuersa est in causam salutis. Viuit,quem perire voluistis. Confitemini negatum, adorate venditum, vt nobis bonitas illius prosit, cui vestra malignitas nocere non potuit. Quod ergo ad veram (dilectissimi) pertinet charitatem,quam etiam inimicis nostris ex dominica eruditione debemus,& optandum nobis est & studendũ, vt hic populus,qui ab illa spiritali patrum nobilitate defecit,ramis suæ arboris inseratur. Multum enim nos Deo beneuolentia ista commendat: quia ideò delictũ eorum nobis misericordiæ locum fecit, vt eos ad æmulationem salutis recipiendæ fi-

Quid Herodes.
Genes. 49.
Matt. 9.
Luc. 15.
Matt. 27.
Matt. 5.
Rom. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Operũ cõmentatio.

des nostra reuocaret. Nam vitam piorum non solum sibi, sed etiam alijs esse vtilem decet, vt quod apud eos agi non potest verbis, obtineatur exemplis. Considerantes igitur (dilectissimi) ineffabilem erga nos diuinorum munerum largitatem, cooperatores simus gratiæ Dei operantis in nobis. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, nec ocio desidiaq; torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: sed

Rom.8.
Ioan.14.

quia, sicut Apostolus ait, si compatimur, & conglorificabimur, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, & sacramento consuluit & exemplo, vt in adoptionem vocatos per illud prouecheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor (dilectissimi) pijs filijs & bonis seruis non solùm nec asper nec onerosus, sed etiam suauis & leuis est, dicente Domino. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,

Matt.11.

& ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Nihil ergo (dilectissimi) arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia præ-

Præcepta Domini quibus nõ sint difficilia.

dit auxilium, & obedientia mollit imperium. Intonante enim quotidiè auribus nostris eloquio Dei, omnis homo quid diuinæ iustitiæ placeat scire conuincitur. Sed quia iudicium illud, quo vnusquisque recipiet prout gesserit, siue bonum, siue malum, iudicaturi patientia & bonitate differtur, impunitatem sibi iniquitatis infidelium corda promittunt, & putant humanorum actuum qualitates ad diuinæ prouidentiæ non pertinere censuram, quasi non euidentissimis plerunque supplicijs malè gesta plectantur, aut non sæpe cœlestium comminationum terror ostentet: quibus vtique & fides monetur, & infidelitas increpatur. Inter hæc autem per-

2.Cor.3.

manet super omnes benignitas Dei, & nulli misericordiam suam denegat, cùm discretè vniuersis bona multa largitur, eosque quos meritò subderet pœnis, magis vult inuitare beneficijs. Dilatio enim vindictæ dat locum pœnitentiæ. Nec tamen dici potest, nulla ibi esse vltio, vbi nulla conuersio est: quia mens dura & ingrata iam sibi ipsa supplicium est, & in conscientia sua patitur, quicquid Dei bonitate differtur. Non ita igitur delinquentes peccata delectent, vt illos in suis actibus vitæ huius finis inueniat. Quoniam in inferno nulla est correctio, nec datur remedium satisfactionis, vbi iam non supersit actio voluntatis, dicente propheta Dauid: Quoniam

Psal.6.

non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Fugiant noxiæ voluptates, inimica gaudia, & desideria iam iamque peritura. Quis fructus est, quæ vtilitas, ea indesinenter cupere, quæ etiam si non deserant, deserenda sunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cœlestibus delectetur. Confirmate amicitias cum

Sanctorũ ambienda suffragia.
1.Cor.6.
Philip.12.
Luc.12.
Ephes.5.

sanctis angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius vobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus sociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Cum quibus enim fuerit vobis consortium deuotionis, erit & communio dignitatis. Dum itaque tempus vobis ad mandata Dei exequenda conceditur, glorificate Deum in corpore vestro, & lucete (dilectissimi sicut luminaria in hoc mundo. Sint lucernæ mentium vestrarum semper ardentes, & nihil resideat vestris tenebrosum in cordibus. Quoniam sicut ait Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate: impleaturque in vobis, quod in trium Magorum imagine præcessit. Et sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Sicut enim magnum peccatum est, cùm inter gentes propter malos Christianos nomen Domini blasphematur: ita magnum pietatis est meritum, cùm idem in sancta seruorum suorum conuersatione benedicitur: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sermo

Sermo sextus in eadem solennitate.

Quomodò munera mysticè offerre debeamus docet, diaboli (per Herodem significati) insidiandi rabiem & furorem, & quomodò persecutionibus tyrannorum Ecclesia creuerit, indicat, & quàm periculosa sit tranquillitas ista à tyrannorum persequutionibus.



Tres Magi.

Dies (dilectissimi) quo primum gentibus saluator mundi Christus apparuit, sacro nobis honore venerandus est. Illa hodiè cordibus nostris concipienda sunt gaudia, quæ in trium Magorum fuere pectoribus, quando regem cœli & terræ, signo & ductu noui syderis incitati, quem crediderant promissum, adorauere cõspicuum. Neque enim ita ille emensus est dies, vt virtus operis, quæ tunc est reuelata, transierit, nihilq; ad nos nisi rei gestæ fama peruenerit, quam fides susciperet, & memoria celebraret: cum multiplicato munere Dei, etiam quotidie nostra experiantur tempora, quicquid illa habuere primordia. Quamuis ergo narratio Euangelicæ lectionis illos propriè recensеat dies, in quibus tres viri, quos nec prophetica prædicatio docuerat, ad cognoscendum Deum à remotissima Orientis parte venerunt, hoc idem tamen & manifestus nunc & copiosius fieri in omnium vocatorum illuminatione perspicimus, quoniam impletur prophetia Esaiæ dicentis: Reuelauit dominus brachium suũ in conspectu omnium gentium, & viderunt oẽs gentes terræ salutẽ, quæ à domino Deo nostro est. Et iterum: Et quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Vnde cùm cernimus homines mundanæ sapientiæ deditos &, à Iesu Christi cõfessione longinquos, de profundo erroris sui reduci, & ad cognitionem veri luminis aduocari, diuinæ procul dubiò gratiæ splendor operatur, & quicquid in cordibus tenebrosis nouæ lucis apparet, de eiusdem stellæ radijs micat: vt mentes, quas suo fulgore contigerit, & miraculo moueat, & ad Deum adorandũ præeundo perducat. Si autem solicito intellectu velimus adspicere quomodò etiam triplex illa species munerum ab omnibus, qui ad Christum gressu fidei veniunt, offeratur, nonne in cordibus rectè credentiũ eadem celebratur oblatio? Aurũ etenim de thesauro animi sui promit, qui Christũ regem vniuersitatis agnoscit. Myrrham offert, qui vnigenitum Dei credit veram sibi hominis vnijsse naturam. Et quodam eum thure veneratur, qui nullo ipsum paternæ maiestati imparem confitetur. His comparationibus (dilectissimi prudenter inspectis, inuenimus etiam Herodis non defuisse personã, cuius ipse diabolus, sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoq; indefessus est imitator. Cruciatur enim vocatione gentium, & quotidiana potestatis suæ destructione torquetur, dolens vbiq; se deseri, & verum regem in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit dissensiones, erumpit in cædes, & vt reliquijs eorum, quos adhuc fallit, vtatur, inuidia vritur in Iudæis, simulatione insidiatur in hæreticis, sæuitia accenditur in paganis. Videt enim insuperabilem esse potentiam regis æterni, cuius mors ipsius vim mortis extinxerit. & ideo totam nocendi artem in eos, qui vero regi famulantur, armauit alios per inflationem scientiæ legalis obdurans: alios verò in furorem persequutionis instigans: alios per fallæ fidei commenta deprauans. Sed hanc Herodis istius rabiem ille vincit & destruit, qui etiam paruulos martyrij * palma coronauit: & fidelibus suis tam inuictam indidit charitatem, vt Apostoli verbis audeant dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Hanc fortitudinem (dilectissimi) non illis temporibus

Tres Magi vnde venerint.
Esai.53.
Esai.52.
Quis offerat Christo aurum.
Myrrham.
Thus.
Herodes cuius typus.
Organa Satanæ.
** gloria*
Rom.8.
Psal.43.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm neceſſariam fuiſſe credimus, quibus reges mundi, & omnes ſeculi poteſtates, cruenta impietate in Dei populum ſæuiebant, quum ad maximam gloriam ſuam pertinere ducerent, ſi de terris nomen Chriſtianum auferrent, neſcientes Eccleſiam Dei per furorem ſuæ crudelitatis augeri: quoniam in ſupplicijs & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Denique tantum contulit fidei noſtræ impugnatio perſequentium, vt nihil magis regium ornet principatum, quàm quod Domini mundi membra ſunt Chriſti: nec tàm gloriantur, quòd in imperio geniti, quàm gaudent, quòd in baptiſmate ſunt renati. Sed quia tempeſtas priorum turbinum conquieuit, & dudum ceſſantibus prælijs quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cauenda ſunt illa diſcrimina, quæ de ocio ipſius pacis oriuntur. Aduerſarius enim, qui in apertis ineſficax perſequutionibus fuit, tecta nocendi arte deſæuit, vt quos non perculit ictu afflictionis, lapſu deijciat voluptatis. Videns itaque ſibi reſiſtere principum fidem, & vnius deitatis inſeparabilem Trinitatem non ſegniùs in palatijs, quàm in Eccleſijs adorari, interdictam dolet ſanguinis Chriſtiani effuſionem, & quorum obtinere non poteſt mortes, impetit mores. Terrores proſcriptionum in auaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Maſignitas enim longo vſu propriæ imbuta nequitiæ, non depoſuit odium, ſed vertit ingenium, quo ſibi mentes fidelium blandiùs ſubdat. Inflammat enim concupiſcentijs, quos non poteſt vexare tormentis, ſerit diſcordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cuatiora corda ſe reuocent, conſummandorum ſcelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus eſt, vt qui immolatione pecudum & thuris incenſione nõ colitur, quibuſlibet ei crimmibus ſeruiatur. Habet igittur (dilectiſsimi) pax noſtra pericula ſua, & fruſtrà de fidei libertate ſecuri ſunt, qui vitiorum deſiderijs non reſiſtunt. Cor hominum de operum oſtenditur qualitate, & formas mentium ſpecies detegit actionum. Nam ſunt quidam, ſicut ait Apoſtolus, qui Deum profitentur ſe ſcire, factis autem negant. Verè enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in ſono vocis auditur, in conſcientia non habetur. Fragilitas enim humanæ conditionis facilè in delicta prolabitur: & quia nullum ſine delectatione peccatum eſt, citò acquieſcitur deceptoriæ voluptati. Sed à carnalibus deſiderijs recurratur ad ſpiritale præſidium, & mens habens notitiam Dei ſui, à conſilijs ſe maleſuadi hoſtis auertat. Proſit illi ſapientia Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non ſit peccator de impunitate ſecurus, quia ſi tempus pœnitentiæ amiſerit, locum indulgentiæ non habebit, dicente propheta: Quia non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Qui autem ſibi correctionis reparationem expetitur eſſe difficilem, cõfugiat ad auxiliantis Dei clementiam, & vincula malæ conſuetudinis ab illo poſcat abrumpi, qui alleuat omnes qui corrunt, & erigit omnes eliſos. Non erit vacua confitentis oratio, quoniam miſericors Deus voluntatem timentium ſe faciet, & dabit quod petitur, qui dedit vnde peteretur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Perſecutionibus tyrãnorum creuiſſe Eccleſiam.

Pacis tempore quibus modis Satan homines tentet.

Fides vana

Ad Tit. 2.

Pſal. 6.

Conſuetudine mala implicatis quid agendum.

Sermo ſeptimus in eadem ſolennitate.

De humilitate & infantia ſaluatoris, ad quam nos cohortatur.

Fides operibus declaranda.

MEmoria rerum ab humani generis ſaluatore géſtarum magnam (dilectiſsimi) nobis confert vtilitatem, ſi quæ veneramur credita, ſuſcipiamus imitanda. In diſpenſationibus enim ſacramentorum Chriſti, & virtutes ſunt gratiæ, & incitamenta doctrinæ: vt quem confitemur fidei ſpiritu, operum quoq; ſequamur exemplo. Nam etiam ipſa

ipſa primordia, quæ Dei filius per matrem virginem naſcendo ſuſcepit, ad proiectũ nos pietatis inſtituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in vna eademq; perſona, & humana humilitas, & diuina maieſtas. Quem cunæ teſtantur infantem, cælum & cæleſtia ſuum loquuntur authorem. Puer corpore paruus, mundi rector & Dominus: & genetricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his noſtrorum vulnerum eſt curatio, & noſtræ deiectionis erectio: quia niſi in vnũ tanta diuerſitas conuenirẽt, reconciliari Deo humana natura non poſſet. Legem ergo viuendi remedia nobis noſtra ſanxerunt: & inde data eſt moribus forma, vnde mortuis eſt impenſa medicina. Nec immeritò, cùm tres Magos ad adorandum Ieſum noui ſyderis claritas deduxiſſet, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem, non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquiũ reformãtem, vel in aliqua diuinarum virtutũ actione viderunt: ſed puerum ſilentem, quietũ, & ſub matris ſolicitudine conſtitutũ: in quo nullum quidẽ appareret de poteſtate ſignũ, ſed magnum præbetur de humilitate miraculum. Ipſa itaq; ſpecies ſacræ infantiæ, cui ſe Deus Dei filius aptarat, prædicationẽ auribus intimandam oculisq; gerebat: & quod adhuc vocis nõ proferebat ſonus, viſionis iam docebat effectus. Tota enim victoria ſaluatoris, quæ & diabolũ ſuperauit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Diſpoſitos dies ſub perſequutione inchoauit, & ſub perſequutione finiuit, nec puero tolerantia paſsionis, nec paſſuro deſuit manſuetudo puerilis: quia vnigenitus Dei ſub vna maieſtatis ſuæ inclinatione ſuſcepit, vt & homo vellet naſci, & ab hominibus poſſet occidi. Si igitur omnipotens Deus cauſam noſtram nimis malam, humilitatis priuilegio bonam fecit, & ideo deſtruxit mortem & mortis authorẽ, quia omnia quæ perſequutores intulere, nõ renuit, ſed obediens patri crudelitates ſæuientium mitiſsima lenitate tolerauit, quãtum nos humiles, quantum oportet eſſe patientes, qui ſi quid laboris incidimus, nunquã niſi noſtro merito ſuſtinemus? Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe à peccato? & dicente beato Ioanne, Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quis inuenietur ita immunis à culpa, vt in eo non habeat vel iuſtitia quod arguat, vel miſericordia quod remittat? Vnde tota (dilectiſsimi) Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate cõſiſtit, quã Dominus Ieſus ab vtero matris vſq; ad ſupplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit. Nã cum diſcipuli eius intra ſe, vt ait Euangeliſta, diſquirerent, quis eorũ maior eſſet in regno cælorum, vocauit paruulũ, & ſtatuit eum in medio eorũ, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunq; ergo humiliauerit ſe ſicut puer iſte, hic maior erit in regno cælorũ. Amat Chriſtus infantiam, quam primũ ſuſcepit, & animo & corpore. Amat Chriſtus infantiam, humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorũ dirigit mores, ad quam ſenũ reducit ætates, & eos ad ſuũ inclinat exemplũ, quos ad regnum ſublimat æternũ. Vt autem plenè valeamus agnoſcere, quomodo apprehẽdi poſsit tam mira conuerſio, & in puerilem gradũ, qua nobis imitatione redeundũ ſit, doceat nos beatus Paulus, & dicat: Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Nõ ergo ad lubrica infantiæ & imperfecta nobis primordia redeundũ eſt, ſed aliquid, quod etiã graues annos deceat, inde ſumendum eſt, velox cõmotionum tranſitus, citus ad pacem recurſus. Nulla ſit memoria oſtenſionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor ſociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum eſt, nocere non noſſe, & ad maligna non ſapere: quia inferre iniuriam, mundi huius prudentia eſt: nemini autem malũ pro malo reddere, Chriſtianæ eſt æquanimitatis infantia. Ad hanc vos (dilectiſsimi) ſimilitudinẽ paruulorũ myſteriũ hodiernæ feſtiuitatis inuitat, & hanc vobis humilitatis formã adoratus à Magis, puer ſaluator inſinuat, qui vt imitatoribus ſuis quid glorię pararet oſtenderet, ortus ſui tẽpore æditos

Tres Magi.

Chriſti vita, humilitas.

Infantia quam grata Chriſto.

Pueri vt eſſici debeamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

martyrio consecrauit, vt in Bethleem, vbi Christus natus est, geniti, per communionem ætatis consortes fierent passionis. Ametur igitur humilitas, & omnis à fidelibus vitetur elatio. Alter alterum sibi præferat, & nemo quod est suum quærat, sed quod alterius, vt cùm in omnibus abundauerit affectus beneuolentiæ, in nullo virus inueniatur inuidiæ: quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur: eodem ipso testante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Luc. 14.
Luc. 16.

Sermo octauus in eadem solennitate.

Non indigna æstimanda de Christi maiestate, & quibus argumentis deprehendatur, Deum in nobis habitare.

Mystice quid stella Tres Magi Herodes Trucidatio infantiũ.

CAusam (dilectissimi) & rationem solennitatis hodiernæ sæpe vobis & euangelica narratio, & obseruantiæ consuetudo patefecit: nec necesse est ita nunc, quæ inter saluatoris nostri primordia humana sunt gesta, replicari, vt de splendore noui syderis, de Magis Magorumq; muneribus, de sæuitia Herodis, & de interfectione infantium differamus, cùm sicut nostis, & in stellę fulgore Dei gratia, & in tribus viris vocatio gentium, & in rege impio crudelitas paganorum, & in occisione infantium, cunctorum martyrum forma præcesserit. Sed quia in sacratissimo die reddendũ expectationi vestræ est sacerdotalis sermonis officium, nitamur, vt possumus adiuuante spiritu Dei eò per intelligentiæ semitas peruenire, vt cognoscamus sacramentum præsentis festi ad omniũ fidelium tempora pertinere: nec vllo modo habeatur insolitũ, quod in dispensationũ ordine adoratur antiquum. Quãuis ergo omnis anima Christiana nihil indignum habeat de filij Dei maiestate sentire & transcensis incipientis fidei rudimentis oporteat vnumquenq; ad sublimiora proficere: necesse est tamẽ infirmitatem mentis humanæ, dum verum hominem accipit Christum, de ipsa naturæ nostræ cõmunione trepidare, & per initia vel incrementa corporea ad agnitionẽ vnius cum patre deitatis difficulter accedere. Sed vbi inter caligantes radius supernæ lucis refulserit, cunctantes fidei moras splendor veritatis abrũpat, vt cor liberũ, & à visibilibus absolutũ. lumen intelligentiæ tanquàm ducem stellam sequatur: quia sicut Apostolus ait, Dominus Iesus Christus in gloria est dei patris, vt quẽ venerabatur in cunis humiliter iacentem, ipsum sine diffidentia adoret cũ patre regnantem. Hæc aũt manifestatio (dilectissimi) quæ hæsitantiũ nebulas dissoluit animarũ, & ita facit innotescere Dei filium, vt de hoc, quod idem est etiam hominis filius, nihil patiantur obstaculi, ad præsentis festi pertinet dignitatẽ, & vera est infantia saluatoris declaratio deitatis, quando carnis sensus ab humanis ad diuina trãsfertur, vt quos deprimũt experimenta infirmitatũ, erigant signa virtutum: Quia tali auxilio & natura nostra indigebat & causa, vt reparare genus humanũ, nec sine maiestate posset humilitas, nec sine humilitate maiestas. Iam verò cùm in singulorũ fidelium profectibus diuinorum elucet custodia mendatorum, impleturq; quod dictum est: Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est: quis illic præsentem non intelligat maiestatem, vbi veram videt apparere virtutem? quæ vtiq; sine deo nulla est, nec proprietatem obtinet dignitatis, nisi spiritu sui vegetetur autoris. Dicente enim discipulis suis Domino, Sine me nihil potestis facere, dubium non est, hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Vnde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator, cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.

Matt. 5.
Ioan. 15.
Philip. 2.
Operũ bonorũ Deus author.

turæ. Qui autem experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis: syncero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis, an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci iniurias, quàm imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Ac ne in multis laboret solicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem in secretis suæ mentis inquirat: & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem & habitatorem sui esse non dubitet: quem tanto magnificentius recipit, quanto magis non in se, sed in Domino gloriatur. Quoniam quibus dicitur, Regnum Dei intra vos est, nihil non illius agunt spiritu, cuius reguntur imperio. Scientes igitur (dilectissimi, quoniam charitas Deus est, qui operatur omnia in omnibus, sectamini charitatem, vt in vnum castæ dilectionis affectum vniuersorum fidelium corda concurrant. Transeuntia nos & vana non occupent: constanti desiderio ad ea quę sunt semper mansura, tendamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum. Quod vtique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Iesus Christus appareat, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Psal. 67.
Matt. 5.
Charitas omniũ virtutum mater.
2. Cor. 10.
Luc. 17.
1. Ioan. 4.

SERMO PRIMVS DE *Quadragesima.*

Ieiunandum esse Hebræorum exemplo & Christi, ad victoriam obtinendam contra hostes inuisibiles, & de modo ieiunandi.

HEbræorum quondam populus & omnes Israëliticæ tribus, quarum propter peccatorum suorum offensiones graui Philistinorũ dominatione premerẽtur, vt superare hostes suos possent, sicut sacra manifestat historia, vires animi & corporis in dicto sibi reparauere ieiunio. Intellexerãt enim duram & miseram illam subiectionem neglectu se mandatorum Dei & morum corruptione meruisse, frustraque se armis certare, nisi prius vitijs repugnassent. Abstinentes ergo à cibo & potu, seueræ sibi castigationis adhibuere censuram, & vt hostes suos vincerent, gulæ illecebram in seipsis antè vicerunt. Factunque est hoc modo, vt sæui aduersarij, & graues domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subiungarant. Et nos itaq; (dilectissimi) inter multas aduersitates & prælia cõstituti, si similibus remedijs vti cupimus, simili obseruatione curemus. Eadẽ enim propemodũ causa nostra est, quæ illorũ fuit, quoniã sicut illi à carnalibus aduersarijs, ita & nos à spiritualibus maximè impugnamur inimicis. Qui si donata nobis per Dei gratiã morũ correctione vincantur, & corporeorũ nobis hostium fortitudo succumbet, & emendatione nostra infirmabuntur, quos graues nobis nõ ipsorũ merita, sed nostra delicta fecerunt. Quapropter (dilectissimi) vt omnes hostes nostros superare valeamus, per obseruantiã cælestium mandatorũ diuinũ quæramus auxilium, scientes non aliter nos præualere posse aduersarijs nostris, nisi præualuerimus & nobis. Sũt enim intra nosmetipsos multa certamina, & aliud caro aduersus spiritum, aliud aduersus carnẽ spiritus concupiscit. In qua dissensione si cupiditates corporis fuerint fortiores, turpi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

turpiter animus amittet propriam dignitatẽ,& pernicioſum erit eum ſeruire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori ſuo ſubdita, & ſupernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſiuerit, ordinatiſsimum tenebit ratio principatum,& munitiones eius nulla ſpiritalium nequitiarum labefactabit illuſio, quia tũc eſt vera pax hominis & vera libertas, quãdo & caro animo iudice regitur,& animus Deo præſide gubernatur. Hæc autem præparatio (dilectiſsimi) licet omni tempore ſalubriter adſumatur, vt peruigiles hoſtes inceſſabili ſuperentur induſtria, nunc tamen ſolicitiùs expetenda eſt & ſtudioſiùs inſtruenda, quando & ipſi ſubtiliſsimi aduerſarij acriori inſidiantur aſtutia. Scientes enim agere nos ſacratiſsimos Quadrageſimæ dies, in quorum obſeruantia omnes præteritæ deſidiæ caſtigantur, omnes negligentiæ diluuntur, ad hoc totam vim ſuæ malignitatis intendunt, vt celebraturi ſanctum paſcha Domini, in aliquo inueniamur indigni: & vnde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offenſio. Accedentes ergo (dilectiſsimi) ad Quadrageſimæ initium, id eſt, ad diligentiorem Domini ſeruitutem, quia quaſi ad quendam agonem ſancti operis introimus, ad pugnas tentationum animos præparemus, & intelligamus quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto nos vehementiùs ab aduerſarijs impetendos. Sed fortior eſt, qui in nobis eſt, quàm qui aduerſum nos eſt, & per ipſum validi ſumus, in cuius virtute cõfidimus: quia ob hoc Dominus ſe tentari à tentatore permiſit, vt cuius munimur auxilio, eiuſdem erudiremur exemplo. Vicit enim aduerſarium, vt audiſtis, teſtimonijs legis, non poteſtate virtutis, vt hoc ipſo & hominem plùs honoraret, & aduerſarium plus puniret: cùm hoſtis generis humani non ſolùm quaſi à Deo, ſed etiam quaſi ab homine impugnaretur & vinceretur. Pugnauit ergo ille tunc, vt & nos poſteà pugnaremus: vicit ille, vt & nos ſimiliter vinceremus. Nulla ſunt enim (dilectiſsimi ſine tentationũ experimentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Vita hæc noſtra in medio inſidiatorũ, in medio præliorũ eſt. Si nolumus decipi, vigilandum eſt: ſi volumus ſuperare, pugnandum eſt. Et ideo ſapientiſsimus Salomon: Fili, inquit, accedẽs ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vir enim Dei ſapientia plenus, ſciens ſtudium religionis laborẽ habere certaminis, cum præuideret pugnę periculum, antè admonuit pugnaturum, ne fortè ſi ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret: Nos itaque (dilectiſsimi) qui diuinis inſtitutionibus eruditi, ad agonem præſentis certaminis ſcienter accedimus, audiamus dicentem Apoſtolum: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Et nõ ignoremus, quòd hi hoſtes noſtri contra ſe geri omnia ſentiunt, quæcunq; nos pro noſtra ſalute agere tentamus, & hoc ipſo, quòd boni aliquid appetimus, aduerſarios prouocamus. Hæc enim inter nos atq; illos per diabolicæ inuidiæ ſomitẽ inueterata diſſenſio eſt, vt quia illi ab ijs bonis exciderũt, ad quæ nos Deo auxiliante prouehimur, noſtris iuſtificationibus torqueãtur. Si ergo nos corripimur, illi corruũt: ſi nos cõualeſcimus, illi infirmantur. Remedia noſtra plagæ ipſorum ſunt, quia curatione noſtrorum vulnerum vulnerantur. State ergo (dilectiſsimi) vt Apoſtolus ait: ſuccincti lũbos mentis veſtræ in veritate, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutũ fidei, in quo poſſitis omnia tela maligni ignea extinguere, & galeam ſalutis adſumite, & gladiũ ſpiritus, quod eſt verbũ Dei. Videte (dilectiſsimi) quàm potentibus nos telis, quàm inſuperabilibus munimentis dux multis inſignis triumphis, & inuictus Chriſtianæ militiæ magiſter armauerit. Succinxit lumbos baltheo caſtitatis, calceauit pedes vinculis pacis: quia & diſcinctus miles citò ab impudicitiæ incentore vincitur, & non calceatus, facilè à ſerpente mordetur. Scutum fidei ad protectionem totius corporis dedit, capiti galeam ſalutis impoſuit, dexteram gladio, id eſt, verbo veritatis inſtruxit, vt ſpiritalis præliator non ſolùm

Rom. 8. Vera hominis pax libertas.

Sacratiſsimi Quadrageſimæ dies.

Tẽtari cur Chriſtus voluerit.

Tentationes neceſſariæ.

Eccleſ. 2.

Epheſ. 2.

Diſſenſio inter nos & dæmones.

Ibidem.

Arma Chriſtiani.

ſolùm ſit tutus à vulnere, ſed & repugnantem valeat vulnerare. His igitur dilectiſsimi freti armis, impigrè atque intrepidè propoſitum nobis certamen ineamus, vt in iſto ieiuniorum ſtudio, non eo tantùm ſimus fine conditi, vt ſolam ciborũ abſtinẽtiam putemus eſſe ſectandam. Parum enim eſt, ſi carnis ſubſtantia tenuatur, & animæ fortitudo nõ alitur. Afflicto paululùm exteriore homine, reficiatur interior, & ſubtracta ſaturitate corporea, ſpiritalibus mens delicijs roboretur. Circunſpiciat ſe omnis anima Chriſtiana & ſeuero examine cordis ſui interna diſcutiat. Videat ne quid ibi diſcordiæ mhæſerit, ne quid cupiditatis inſederit. In continentiam caſtitas procul pellat, mendacij tenebras lux abigat veritatis. Quia os quod mentitur, animã mentientis interficit. De tumeſcat ſuperbia, humilitas adſumatur, reſipiſcat iracundia, comminuantur iacula noxarum, & obtrectatio linguæ frenetur. Ceſſent vindictæ, & obliuioni mandentur iniuriæ. Omnis poſtremò plantatio, quam non plantauit pater cœleſtis, radicitùs auferatur. Tunc enim in nobis bene virtutum ſemina nutriuntur, quãdo ab agro cordis noſtri omne germen externum euellitur. Si quis ergo in quempiã ita cupiditate vltionis exarſit, vt eum aut carceri traderet, aut vinculis alligaret, abſolutionem non ſolùm inſontis, ſed etiam eius, qui pœna dignus videtur, acceleret, vt illa dominicæ orationis regula fideiter vtatur, dicens: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quam partem petitionum ita Dominus ſpeciali inſinuatione commendat, vt totius orationis effectus in hac conditione conſiſtat. Si enim inquit, dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & pater veſter vobis, qui in cœlis eſt. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Proinde (dilectiſsimi) memores infirmitatis noſtræ, quia facilè in quælibet delicta prolabimur, hoc potentiſsimum remedium & iſtam efficaciſsimam vulnerum noſtrorum curationem nullatenùs negligamus. Remittamus, vt remittatur nobis: demus veniam, quã rogamus, & non ſtudeamus vindicari, qui nobis precamur ignoſci. Pauperum gemitus ſurdo non tranſeamus auditu, & miſericordiam indigentibus prompta benignitate præſtemus, vt miſericordiam in iudicio poſſimus inuenire. Ad quam perfectionem, qui ſtudium ſuum gratia Dei adiutus intenderit, hic ſanctum ieiunium fideliter peraget, hic à fermento malitiæ veteris alienus, in azymis ſynceritatis & veritatis ad beatum paſcha peruenier, & per nouitatem vitæ dignã lætabitur in ſacramento reformationis humanæ per Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 15.

Sapient. 1.

Matt. 6.

Matt. 18.

Efficaciſsima vulnerum curatio quæ ſit.

1. Cor. 5.

Ieiunandi quomodo ſit.

Vera permanent ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum. Quia ergo nemo noſtrum (dilectiſsimi) tam perfectus eſt & ſanctus, vt perfectior & ſanctior eſſe non poſsit, omnes ſimul ſine differentia graduum, ſine diſcretione mento-

iuſtitia quæ ſit.

Sermo ſecundus de Quadrageſima.

Viuendum eſt in Quadrageſima religioſius, quia tunc diabolus aduerſum nos acriore ſæuit inuidia.

Licet nobis (dilectiſsimi appropinquante feſtiuitate paſchali ieiunij Quadrageſimæ ipſe legitimi temporis recurſus indicet, cohortatio tamen etiam noſtri ſermonis adhibenda eſt, quæ auxiliante Domino, nec inutili ſit pigris, nec onerosa deuotis. Nã cùm omnem obſeruantiam noſtram ratio iſtorum dierum poſcat augeri, nemo eſt (vt confido) de vobis, qui ſe ad opus bonum non gaudeat incitari. Natura enim noſtra, manẽte adhuc mortalitate, mutabilis, etiam ſi ad ſumma quæque ſtudio prouehatur, ſemper tamen ſicut poteſt habere quo recidat, ita poteſt habere, quo creſcat. Et hæc eſt perfectorum vera iuſtitia, vt nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum. Quia ergo nemo noſtrum (dilectiſsimi) tam perfectus eſt & ſanctus, vt perfectior & ſanctior eſſe non poſsit, omnes ſimul ſine differentia graduum, ſine diſcretione mento-

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritorum,ab ijs quæ peruenimus,in ea quæ non apprehẽdimus pia auiditate curramus,& ad mensuram consuetudinis nostræ necessarij aliquid addamus augmenti.Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus religiosior
1.Cor.16. non inuenitur.Vnde oportunè auribus nostris lectio apostolicæ prædicationis insonuit,dicens:Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.Quid enim acceptius hoc tempore?quid salubrius his diebus?in quibus vitijs bellum indicitur,& omnium virtutum profectus augetur.Semper quitem tibi ô anima Christiana vigilandum contra salutis tuæ aduersarium fuit,ne vllus pateret locus tẽtatoris insidijs, sed modò tibi maior cautio & solicititior adhumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sæuit inuidia. Nuncautem in toto mundo potestas ei antiquæ dominationis ausertur, & innumera illi captiuitatis vasa rapiuntur. Renunciatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum omniumque linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur,quod non tyrannicis legibus reluctetur,dũ per omnes fines terræ regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur: & appropinquante nouæ creaturæ ortu,spiritalis nequitia ab ijs quos possidebat excluditur.Fremit ergo expoliati hostis impius furor,& nouum quẽrit lucrum,
Dæmonis callidit as. quia ius perdidit antiquum.Captat indefessus,& peruigil,si quas reperiat oues à sacris gregibus negligentiùs euagantes, quas per prochua voluptatum & per deuexa luxuriæ in diuersoria mortis inducat.Inflammat itaque iras,nutrit odia,acuit cupiditates,irridet continentiam, incitat gulam. Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Iesu Christo conatum suæ fraudis abstinuit?Nam sicut Euangelica patefecit historia,cum saluator,qui erat verus Deus,vt verum se hominem etiam demonstraret, & impias opiniones totius erroris excluderet, post quaMatt.4. draginta dierum noctiumq; ieiunium infirmitatis nostræ in se recepisset esurié, gauisus diabolus signum se in eo passibilis atque mortalis inuenisse naturæ, vt exploraret potentiam quam timebat: Si filius Dei,inquit,es,dic vt lapides isti panes fiant. Poterat itaque istud omnipotens, & facile erat, vt ad creatoris imperium in quam iuberetur speciem cuiuslibet generis creatura transiret, sicut cùm voluit, in conuiuio nuptiali aquam mutauit in vinum,sed hoc magis salutiferis dispensationibus
Ioan.2. congruebat,vt nequissimi hostis astutia non potentia deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur.Deniq; fugato diabolo,& omnibus artibus callidi tentatoris eius, accesserunt ad Dominum angeli, & ministrabant ei,vt veri hominis & veri Dei & apud dolosas interrogationes inuiolata esset humanitas, & apud sancta obsequia manifesta diuinitas. Confundantur itaque filij diaboli atque discipuli, qui repleti inspiratione viperea,simplices quosq; decipiunt,negantes in Christo vtramque veram esse naturam,dum aut deitatem homine,aut hominem deitate dispoliant,cùm vnius temporis gemino documento vtraque falsitas sit peremptа:quia & per famem
Matt.4. corporis perfecta humanitas,& per famulantes angelos demonstrata est perfecta di
Deut.6. uinitas.Quia ergo (dilectissimi) sicut redemptoris nostri magisterio edocti sumus, non in solo pane viuit homo,sed in omni verbo Dei,dignumq; est,vt populus Chri stianus in quantacunq; abstinentia constitutus,magis desideret se Dei verbo, quàm cibo satiare corporeo,prompta deuotione & alacri fide suscipiamus solenne ieiu-
Ieiunium verum. nium,non in sterili inedia,quam plerunq; & imbecillitas corporis & auaritiæ morbus inducit,sed in larga beneuolentia celebrandum,vt scilicet simus de illis,de quibus ipsa veritas dicit.Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,quoniam ipsi saturabũ-
Matt.5. tur.Diliciæ igitur nostrę sint opera pietatis,& illis cibis,qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint.Iucundemur in vestitu eorum,quorum nuditatem indumentis necessarijs texerimus.Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium,labores exulum,destitutio pupillorum,& desolatarum lamenta viduarum,in quibus iuuandis nemo est,qui non aliquam possit exequi beneuolentiæ portionem. Nulli enim paruus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris

miliaris modo,mensuram miserationis pendet ac pietatis. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate,bonæ voluntatis opulentia.Maiora quidem impendia sunt diuitum & minora mediocrium: sed non discrepat fructus operum,vbi idem est affectus operantium.In ista autem (dilectissimi)exercendarum oportunitate virtutũ, sunt etiam insignia opera coronarum,quę nullo horreorum dispendio,nulla diminutione pecuniæ capiantur,si pellatur lasciuia,si abdicetur ebrietas,& carnalis concupiscentia castitatis legibus edometur.Si odia transeant in dilectionem,si inimicitiæ conuertantur in pacem,si tranquillitas extinguat iram,si mansuetudo remittat iniuriam,si denique dominorum atque seruorum tam ordinati sint mores, vt & illorum potestas mitior,& istorum sit disciplina deuotior.Hac igitur obseruantia (dilectissimi)obtinebitur misericordia Dei,& abolito peccatorũ reatu,religiosè venerandũ pascha celebrabitur. Quod & Romani orbis pijssimi Imperatores sancta antiquitus obseruatione custodiunt,qui in honorem dominicæ passionis altitudinẽ suæ potestatis inclinant, & constitutionum suarum seueritate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari,vt in diebus,quibus mundus saluator miseratione diuina, etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi principes suos,ad domesticam indulgentiam regijs incitentur exemplis. Non enim priuatas leges fas est austeriores esse quàm publicas.Remittantur culpæ,vincula soluantur,deleantur offensæ, pereant vltiones, vt sacra festiuitas per diuinam atque humanam benignitatem omnes lætantes, omnes habeat innocentes,per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

Voluntas bona remuneratur.

Romani imperatores quãdo legum suarum relaxent seueritatem.

Sermo tertius de Quadragesima.

Non præsumendum de non peccandi facilitate,& de calliditate diabolicæ tentationis.

SEmper quidem nos (dilectissimi) sapienter & sanctè viuere decet, & in id voluntates nostras actionesq; dirigere, quod diuinæ nouimus placere iustitiæ.Sed quum ij appropinquant dies,quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiore solicitudine corda nostra sunt mundanda,& studiosiùs exercenda est disciplina virtutũ, vt sicut ipsa mysteria quadã sui parte maiora sunt, ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem suam,& cui festiuitas est celebranda sublimior,ipse quoque reperiatur ornatior.Si enim rationabile & quodammodò religiosum videtur,per diem festum in vestitu nitidiore prodire,& habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura & ampliore cultu, quantùm possumus, adornamus: nónne dignum est,vt anima Christiana,quæ verum viuumq; Dei templum est, speciem suam prudenter exornet,& redemptionis suæ celebratura sacramẽtum, omni circunspectione præcaueat,ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret?Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur,quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant abstergenda sedulò, & quadã elimatione radenda sunt.Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprij censura iudicij.Videat si in secreto cordis sui illam, quam Christus dat, inuenit pacem,si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit,si alta non appetit,si iniquo non delectatur lucro,si immoderato rerum suarum non gaudet augmento,si denique aliena felicitate non vritur, aut inimici miseria non lætatur,& quum harum perturbationum nihil in se fortè reperit,

In Quadragesima vitandũ religiosius.

Conscientia vt excutienda.

Ioan.14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit, syncero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequẽtetur: & vtrum nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quàm cito animum ab ijs, quæ noxiè blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris commoueri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est, & qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbum est enim de non peccandi facilitate præsumere, quũ hoc ipsum præsumpsisse, peccatum sit, dicente beato Ioanne apostolo: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Nemo igitur (dilectissimi) se fallat, nemo se decipiat: neque ita quisquã de cordis sui puritate confidat, vt putet se nullis tentationum periculis subiacere, quum peruigil ille tentator eos acrioribus pulset insidijs, quos maximè videt abstinere à peccatis. Nam à quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum maiestatis ausus est callidi tatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Iesu humiltate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatẽ carnis excluſam, & tamen non desperauit de artibus suæ malitiæ *spiritalis improbitas, tumq; sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, vt quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino & saluatore nostro deceptionum suarum diabolus non reuocauit insidias, quanto magis fragilitatem nostram impugnare præsumet, quos exinde vehementiori odio & inuidia sæuiore persequitur, ex quo ei in baptismo renũciauimus, & ab illa cui dominabatur, origine, in nouam creaturam diuina regeneratione transiuimus? Vnde quia dum mortalis carne circundamur, non desinit nobis antiquus hostis laqueos peccati vbique prætendere, & tunc maximè aduersus Christi membra sæuire, quando ab eis sunt celebranda sacratiora mysteria, meritò doctrina spiritus sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, vt ad paschale festum quadraginta dierum continentia se præpararet. Cuius purificationis ratio iam nos ad obseruantiam suæ salubritatis inuitat, & diligentiam nobis propositæ castigationis indicit. Quanto enim sanctius quisque hos dies inuenietur egisse, tanto probabitur pascha Domini honoraſſe religiosiùs. In diebus igitur sanctorum ieiuniorum pietatis opera, quibus semper studendum est, abundantius exequamur, misericordes simus ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, vt in ipsis quoq; eleemosynarum distributionibus bonitatem patris cælestis imitemur, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quamuis ergo fidelium præcipuè adiuuanda sit paupertas, etiam illi tamen qui nondum Euangelium receperunt, in suo labore miserandi sunt: quia in omnibus hominibus, naturæ est diligenda communio: quæ nos etiam ijs benignos debet efficere, qui nobis quacunq; sunt conditione subiecti, maximè si eadem gratia iam renati, & eodem sanguinis Christi precio sunt redempti. Simul enim & cum istis habemus, quòd ad imaginem Dei conditi sumus, nec carnali origine à nobis, nec spiritali natiuitate diuisi sunt. Eodem spiritu sanctificamur, eadem fide viuimus, ad eadem sacramenta concurrimus. Non spernatur hæc vnitas, nec vilis nobis sit tanta communio, sed hoc ipsum nos per omnia faciat mitiores, quòd eorum vtimur subiectione, cum quibus vni Domino eadem subijcimur. Si qui ergo horum grauioribus dominos suos offendere delictis, indulgentiam nunc in diebus reconciliationis accipiant. Auferat miseratio seueritatem, & venia deleat vltionem. Nullum custodia teneat, nullum carcer includat, quoniam Deus noster misericordiam suam hac conditione promisit, vt remittenda sibi is nosset peccata propria, qui remisisset aliena. Dissensionum materiæ (dilectissimi & inimicitiarum aculei conterantur. Cessent odia, deficiant simultates, in vnitatem dilectionis omnia Christi membra conueniant. Beati enim pacifici, quia filij Dei vocabuntur, nec solùm filij, sed etiam hæredes, cohæredes autem Christi, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Iob 7.
1.Ioan.2.

**specialis*

Diabolus quando acriùs sæuiat.

Galat.6.

Matt.5.

Seruis vt gratificãdum.

Matt.18.

Matt.5.
Rom.8.

Sermo

Sermo quartus de Quadragesima.

Abstinendum in Quadragesima ab omnibus vitijs, & misericordię operibus incumbendum, atq; de Manichęorum impietate.

PRædicaturus vobis (dilectissimi) sacratissimum maximumq; ieiuniũ, quo aptiùs vtar exordio, quàm vt verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam dicamq; quod lectum est. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Quamuis enim nulla sint tẽpora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus: nunc tamen omnium mentes maiori studio ad spiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat, vt excellens super omnia passionis dominicæ sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysterijs ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur, dumq; per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere: magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Ingressuri igitur (dilectissimi) dies mysticos, & purificãdis animis atque corporibus sacratiùs institutos, præceptis apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, vt castigatis colluctationibus, quæ sunt inter vtramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem, vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquẽtium non simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus repræhensione carpemur, & nostro vitio linguæ impiæ in iniuriam se religionis armabunt, si ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, vt etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Mansuetudinis & patientiæ, pacis & tranquillitatis hoc tempus est, in quo excluſa omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, & obliuiſci assuescat iniurias. Nunc fidelis animus per arma iustitiæ à dextris se exerceat & sinistris, vt per gloriam & ignobilitatem, & per infamiam & bonam famam, securam conscientiam constantemq; probitatem nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorum modestia non sit mœsta, sed sancta, nec inueniantur in eis vllarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt sanctorum solatia gaudiorum. Non timeatur inter opera misericodiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper diues est Christiana paupertas, quia plus est quod habet quam quod non habet. Nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo quæ bona sunt, non est omnino metuendum, ne eis desit facultas operandi, quum & in duobus nummis euangelicæ illius viduæ sit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis mensura taxatur, & nunquam eum miserendi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. Experta est hoc vidua

Quadragesimæ sacratissimum ieiunium.

2.Cor. 6.

Passio domini vt celebranda.

Ieiunium Quadragesimæ diuinitus institutum.

2.Cor.7.

2.Cor.6.

Ieiunium Christianum quid sit.

2.Cor. 6.

Luc.21.
Matt.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Reg. 17. vidua illa de Sarepta, quæ beato Heliæ in tempore famis vnius diei cibum, quem solum habebat, appoſuit, & prophetæ eſuriem neceſsitati ſuæ præferens, exiguum farinæ & puſillum olei incunctanter expendit. Sed non defuit ei, quod fideliter erogauit, & in vaſis pia effuſione vacuatis, fons nouæ vbertatis exortus eſt, vt ſanctis vſibus non minueretur eius ſubſtantiæ plenitudo, cuius nõ fuerat formidata defectio. Ijs autem ſtudijs (dilectiſsimi) ad quæ vos voluntariè confidimus præparatos, non ambigatis diabolum, qui omnium virtutum eſt aduerſarius, inuidere, & ad hoc vim ſuæ malignitatis armare, vt pietati laqueos de ipſa pietate prætendat, & quos nõ potuerit deijcere per diffidentiã, conetur ſuperare per gloriam. Vicinũ enim eſt rectis actionibus ſuperbiæ malũ, & de proximo ſemper virtutibus inſidiatur elatio. Quia difficile eſt, vt laudabiliter viuentem laus non capiat humana, niſi vt ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Cuius verò ille hoſtis nequiſsimus non audeat impugnare propoſitum, cuius non appetat violare ieiunium, quando verſutias ſuas, ſicut euangelica lectione patefactum eſt, nec ab ipſo mundi ſaluatore continuit? Expaueſcens enim in illo quadraginta dierum noctiumq; ieiunium, explorare callidè voluit, vtrùm hanc continentiam donatam haberet, an propriam: vt non metueret deceptionum ſuarum opera ſoluenda, ſi Chriſtus eius eſſet cõditionis, cuius & corporis. Primo itaq; dolo ſcrutatus eſt, an ipſe eſſet ſubſtantiarum creator, qui rerum corporearum poſſet, in quæ vellet, mutare naturas. Secundo, an ſub humanæ carnis ſpecie diuinitas obumbrata tegeretur, cui facile eſſet peruium ſibi aëra facere, & terrena per vacuum membra librare. Sed cum illi Dominus iuſtitiam malluiſſet opponere veri hominis, quàm potentiã manifeſtare deitatis, ad hoc conuertit tertiæ fraudis ingenium, vt eum, in quo diuinæ poteſtatis ſigna ceſſauerant, dominandi cupiditate tentaret, & ad veneration em ſui regna mundi pollicendo traduceret: Sed prudentiam diaboli ſtultam fecit ſapiẽtia Dei, vt ſuperbus hoſtis hominem videns, quẽ aliquando ſuperauerat, non metueret eum perſequi, quem pro omnibus oportebat occidi. Huius igitur aduerſarij dolos, non ſolùm in illecebris gulæ, ſed etiam in propoſito abſtinentiæ caueamus. Qui enim ſciuit humano generi mortem inferre per cibum, nouit & per ipſum nocere ieiunium: & ad contrariæ fraudis effectum famulis vtendo Manichæis, ſicut per ſerpentem intulit interdicta præſumi, ita per famem ſuadet conceſſa vitari. Vtilis quidem eſt abſtinentia, quæ parco aſſueta victui, delicia rum cohibet appetitum. Sed væ illorum dogmati, apud quos etiam ieiunando peccatur, Damnant enim creaturarum naturam in creatoris iniuriam, & contaminari edentes adſerunt ijs, quorum non Deum, ſed diabolum conditorem eſſe definiunt, cum prorſus nulla ſit ſubſtantia mala, nec ipſius mali ſit vlla natura. Omnia enim bona bonus author inſtituit, & vnus eſt vniuerſarum rerum creator, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Ex quibus quicquid homini ad cibũ potumq; conceſſum eſt, ſanctũ & mundũ eſt in ſui generis qualitate. Quòd ſi immoderata auiditate ſumatur, nimietas edaces & bibaces dedecorat, nõ cibi neq; poculi natura contaminat. Omnia enim, ſicut Apoſtolus ait, munda ſunt mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundũ, ſed coinquinata ſunt eorũ mens & conſcientia. Vos autẽ (dilectiſsimi) catholicæ matris ſancta generatio, quos in ſcho la veritatis ſpiritus ſanctus erudiuit, libertatẽ veſtram cõgrua ratione moderamini, ſcientes quoniam bonum eſt & à licitis abſtinere, & cùm caſtigatiùs viuendum eſt, ita diſcernere cibos, vt vſus eorum ſemoueatur, non natura damnetur. Nulla itaque vos contagionis huius aſpergat impietas, qui ſua maximè obſeruantia polluuntur, ſeruientes creaturæ potiùs quàm creatori, & luminaribus cœli ſtultam abſtinentiã deuouentes: quos nemo ambigat eſſe Manichæos, qui in honorem ſolis ac lunæ die dominico & ſecunda feria deprehenſi fuerint ieiunare. Vno enim peruerſitatis ſuæ opere, bis impij, bis prophani ſunt, qui ieiunium ſuum, & ad ſyderum cultum, & ad reſurrectionis Chriſti inſtituere contemptum. Abdicant enim ſe ſacramento ſalutis humanæ, & Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in veritate carnis noſtræ denegant natum:

Superbia bonis operibus inſidiatur.

1. Cor. 4.
2. Cor. 10.
Matt. 4.

Diabolus qua ratione Chriſtũ tentarit.

Omnis ſubſtantia bona eſt.

Ad Tit. 1.

Rom. 1.

Manichæi dominica die & ſecũda feria ieiunarũt.

natum: ita mortuum verè & reſurrexiſſe non credunt. Et ob hoc diem ſalutis & lætitiæ noſtræ ſui ieiunij mœrore condemnãt. Cumq; ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſterijs, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, vt interdum tutiùs lateant: ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinẽ autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, vt nobis huiuſcemodi homines & his manifeſtentur indicijs, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur. De talibus enim beatus Paulus apoſtolus Eccleſiam Dei prouidè monet, dicẽs: Rogamus autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciũt, & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. His ergo (dilectiſsimi) admonitionibus noſtris, quas auribus veſtris contra execrabilem ſectam frequenter ingeſsimus, ſufficienter inſtructi, ſanctos Quadrageſimæ dies pia deuotione ſuſcipite, & ad promerendam miſericordiam Dei per opera vos miſericordiæ præparate, iram extinguite, odia deponite, vnanimitatem diligite, & ſynceris vos humilitatis officijs inuicem præuenite. Seruis, & his qui vobis ſubiecti ſunt, cum æquitate dominamini. Nullus eorum aut clauſtris crucietur aut vinculis: ceſſent vindictæ, remittantur offenſæ, ſeueritas lenitate, indignatio manſuetudine, diſcordia pace mutetur. Omnes nos modeſtos, omnes placidos, omnes experiantur benignos, vt ieiunia noſtra accepta ſint Deo. Cui ita demum ſacrificium veræ abſtinẽtiæ & veræ pietatis offerimus, ſi nos ab omni malitia contineamus. Cum inimicis autẽ Crucis Chriſti nulla conſenſione iungamur, ne impiorum cõſortio ſanctitas fidelium poluatur. Lux ſeparetur à tenebris, & fugiant filios diaboli filij veritatis. In templum enim Domini, quod eſt Eccleſia Chriſti, nil contaminatum inferri, nil prophanum oportet admitti: vt omni immunditia à penetralibus cordis excluſa, ſanctificetur ieiunium noſtrum, & ſimus æternum ſancti ſpiritus habitaculum, qui nos à peccatorum ſordibus emundatos & poſsidere dignetur ſemper & regere. Secunda igitur & quarta & ſexta feria ieiunemus: ſabbato autem apud ſanctum Petrum vigilias celebremus, qui commendati ſibi gregis curam habere non deſinens, cuſtodiam nobis de ſuis precibus obtinebit, auxiliante Deo nobis per omnia, cui cum filio & ſpiritu ſancto vna eſt deitas, vna maieſtas, in ſecula ſeculorum, Amen.

Manichæo rum ſimulata commũnio.

Rom. 16.

Opera miſericordiæ, Dei miſericordiam promerentur.

Vitand hæretici.

Cooperatores Dei ſumus.

Sermo quintus in Quadrageſima.

De multitudine periculorum huius vitæ & peccatis remittendis.

APoſtolica (dilectiſsimi) doctrina nos admonet, vt deponamus veterem hominem cũ actibus ſuis, & de die in diem ſancta conuerſatione renouetur. Si enim templum Dei ſumus, & mentium noſtrarũ ſpiritus ſanctus habitor eſt, dicente Apoſtolo: Vos eſtis templum Dei viui: multa nobis vigilantia laborandum eſt, vt cordis noſtri receptaculum tanto hoſpite non ſit indignum. Et ſicut in domibus manufactis laudabili diligentia prouidetur, vt ſi quid aut infuſione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipſa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura reſtituat: ita iugi oportet ſolicitudine præcaueri, nè quid in noſtris animis incompoſitum, ne quid inueniatur immundum. Quamuis enim ædificium noſtrum ſine opere ſui non ſubſiſtat artificis, nec fabrica noſtra poſsit eſſe incolumis, niſi ei protectio præfuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides ſumus & viua materies, ſic nos authoris noſtri extruxit manus, vt cum opifice ſuo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia ſe humana non ſubtrahat, nec ab illo bono, ſine quo

Ephes. 4.
Coloſ. 3.
1. Cor. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo non poteſt bona eſſe deficiat. At ſi quid ſibi impoſsibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad iubentem recurrat: qui ideo
Pſal.54. dat præceptum, vt excitet deſiderium, & præſtet auxilium, dicente Propheta: Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipſe te nutriet. An fortè inſolenter quiſquam ita ſuperbit, & ita ſe illæſum, ita immaculatum eſſe præſumit, vt nullius iam renouationis indigeat? Fallitur prorſus iſta perſuaſio, & nimia vanitate veteraſcit, quicunque inter
Vita hæc plena periculu. tentationes huius vitæ ab omni ſe vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec ſemper veracia ſunt ora laudantium. Inde ſæuit odium, hinc decipit mendax officium, vt facilius ſit vitare diſcordem, quàm declinare fallacem. In ipſis autem virtutibus obtinendis tam dubius modus & tam incerta diſcretio eſt, vt ſi quiſquã inter bonorũ malorumq; cõfinia, ſubtiliſsimi diſcriminis potuerit ſeruare mẽſuras, difficile ſit, vt bene ſibi conſciã probitatem obtrectantium lingua non mordeat, & iniquorum euadat opprobria, cui eſt amica iuſtitia. Iam cùm ad ipſas rerum temporalium varietates cogitatio humana conuertitur, quantæ ſe opponunt caligines, quãti prauarum opinionum oboriuntur errores, vt de obiectu contrariorum ſumatur materia querelarum? Nam licet omnium fidelium corda non dubitent, nullis huius mundi partibus, nulliſq; temporibus prouidentiam abeſſe diuinam, nec de ſtellarum poteſtate, quæ nulla eſt, ſeculiarum negociorum pendere prouentus, ſed æquiſsimo & clementiſsimo ſummi
Pſal.24. regis arbitrio cuncta diſponi, quoniam ſicut ſcriptum eſt: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas: tamen cùm quædam non ſecundum deſideria noſtra procedunt, & ſub humani iudicij errore ſuperior eſt plerunque iniqui cauſa quàm iuſti, vicinum nimis atque contiguum eſt, vt etiam magnanimos iſta concutiant, & in aliquod illicitæ caſtationis murmur impellant. Siquidem iſtis varietatibus etiam ex-
Pſal.72. cellentiſsimus propheta Dauid vſque ad periculum ſe turbatum profitetur, & dicit: Mei autem pene moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Vnde quia pauçorum eſt tam ſolida fortitudo, vt nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non aduerſa tantùm, ſed etiam ſecunda corrumpant, ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligens eſt adhibenda curatio. Ideo enim de periculis, quibus
Prou.10. mundus hic plenus eſt, quædam breuiter percurri, vt dicente ſcriptura: Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut mundum ſe eſſe à peccato? omnes ſibi intelligãt delictorum indulgentiam & reparationis neceſſariam eſſe medicinam. Quando autem oportunius (dilectiſsimi) ad remedia diuina recurrimus, quàm cùm ipſa nobis ſacramenta redemptionis noſtræ temporum lege referuntur: quæ vt dignius celebremus, ſaluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparemus. Non enim ij tãtùm, qui per mortis Chriſti reſurrectionisq; myſterium in nouam vitam baptiſmo
Quadrageſimæ ieiunium omnibus amplectendum. ſunt regenerante venturi, ſed etiam omnes populi renatorum vtiliter ſibi & neceſſariè præſidium huius ſanctificationis aſſumunt: illi, vt quæ nondum habent, accipiant: iſti, vt accepta cuſtodiant. Dicente nanq; Apoſtolo: Qui ſtat, videat ne cadat:
1.Cor.10. nemo eſt tanta firmitate ſuffultus, vt de ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus. Vtamur igitur (dilectiſsimi) ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtitutis, & ſolicitiore cura cordis noſtri piacula tergamus. Quantumlibet enim caſtè & ſobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen puluere terrenæ conuerſationis adſpergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita à fumo totius vanitatis alienus eſt, vt nulla poſsit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam cautiſsimis neceſſarium eſt, quanto illis ampliùs eſt expetendum, qui tota ferè anni ſpatia
Hebr.4. aut ſecuriùs, aut fortè negligentiùs tranſierunt? Quos charitate debita commonemus, vt non ideo ſibimet blandiantur, quia nobis conſcientiæ ſingulorum patere non poſſunt, cum oculos Dei ſimul vniuerſa cernentes, non abdita locorum, non parietum ſepta ſecludant: nec ſolum ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda

tanda ſint cognita. Iſta ergo ſcientia ſummi iudicis, iſte eſt tremendus aſpectus, cui peruium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum: cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur. Nemo patientiam bo-
Rom.2. nitatis Dei de peccatorum ſuorum impunitate contemnat, nec ideo illum æſtimet non offenſum, quia necdum eſt expertus iratum. Non ſunt longæ vitæ mortalis inducíæ, nec diurna eſt licentia inſipientium voloptatum in æternarum dolorem trãſitura pœnarum, ſi dum iuſtitiæ ſententia ſuſpenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur. Confugiamus igitur ad præſentem vbique miſericordiam Dei, & vt ſanctum paſcha Domini digna obſeruantia celebretur, cunctorum ſe fidelium corda ſanctiſicent. Miteſcat ſæuitia, manſueſcat iracundia, remittant ſibi omnes culpas inuicem ſuas, nec exactor ſit vindictæ, qui petitor eſt veniæ. Dicentes enim: Dimitte
Matt. 6. nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, duriſsimis nos vinculis illigamus, niſi quod profitemur impleamus. Vnde etſi orationis huius ſacratiſsimum pactum non tota ſui conditione ſeruatum eſt, nunc ſaltem conſcientiam ſuam vnuſquiſq; cognoſcat, & alienis ignoſcendo delictis, abolitionem ſuorum obtineat peccatorum. Dicente nanque Domino, Si dimiſeritis hominibus peccata eo-
Matt.18. rum, dimittet & vobis pater veſter, qui in cœlis eſt, delicta veſtra: non longè eſt ab
Matt.6. vnoquoque quod poſcit, cùm de benignitate ſupplicis ſententia pendeat iudican-
Luc.6. tis. Qui humanarum precum miſericors & iuſtus auditor, æquitati ſuæ de noſtra lenitate præſcripſit, vt non haberet in eos ius ſeueritatis, quos non inueniſſet cupidos vltionis. Clementes autem & mites animos etiam largitas decet. Nihil eſt enim di-
Miſericordiæ opera exercẽda. gnius, quàm vt homo ſit ſui authoris imitator, & ſecundum modum propriæ facultatis, diuini ſit operis executor. Nam cum aluntur eſurientes, veſtiuntur nudi, foueãtur infirmi, nónne auxilium Dei manus explet miniſtri, & benignitas ſerui munus eſt Domini? Qui cùm ad effectus miſericordiæ ſuę adiutore non egeat, ita ſuam omnipotentiam temperauit, vt & laboribus hominum per homines ſubueniret, & meritò Deo gratiæ referentur de pietatis officijs, cuius opera viderentur in famulis. Propter quod ipſe Dominus diſcipulis ait: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt
Matt.5. videant opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum, qui eſt in cœlis: Qui cum eodem patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermo ſextus de Quadrageſima.

Quòd ieiunio corporis & animæ adiungenda ſunt opera miſericordiæ, quæ magis ex animi affectione, quàm donorum magnitudine penſantur.

SEmper quidem (dilectiſsimi) miſericordia Domini plena eſt terra,
Pſal.32. & vnicuique fidelium ad colendum Deum ipſa rerum natura doctrina eſt, dum cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt, bonitatem & omnipotentiam ſui proteſtantur authoris, & famulantium elementorũ mirabilis pulchritudo iuſtã ab intellectuali creatura gratiarũ exigit actionẽ. Sed cùm ad iſtos dies recurritur, quos
In Quadrageſima ſanctius viuẽdum. ſpecialiùs reparationis humanæ ſacramenta ſignarunt, & qui vicino ordine atque contiguo feſtum paſchale præcedunt, diligentiùs nobis præparatio religioſæ puri-
ficationis indicitur. Quamuis enim in quolibet tempore innocens vita ſit multorũ, & plurimos Deo bonorum actuum conſuetudo commendet, non adeò tamen de conſcientiæ integritate fidendum eſt, vt humanam fragilitatem inter ſcandala tentationesque degentem, nihil potuiſſe arbitremur, quod læderet eam, incidere, cùm propheta excellentiſsimus dicat. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut mundum ſe eſſe à peccato? Et iterum: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alie-
Prou. 20. nis parce ſeruo tuo. Si autem, quod experimentis probatur, talis conditio eſt
Pſal.18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum qui concupiſcentijs renituntur, qui iracundiæ motibus reluctantur, & ipſarum quoque cogitationum arcana caſtigant, vt & nũquam poſsint in cordibus ſuis non inuenire, quod reprobent, & ſæpè aut fallantur occultis, aut decipiantur alienis, quæ in alijs vitia, quę ægritudines quantaq; ſint vulnera, quibus auſterior ſit adhibenda medicina, vt illius ſacramenti, per quod ſoluuntur opera diaboli, non inueniantur alieni? Paſchalis quippe feſtiuitatis hoc proprium eſt, vt tota Eccleſia remiſsione gaudeat peccatorum, quæ non in eis tantum fiat, qui ſacro baptiſmate renaſcantur, ſed etiam in eis, qui dudum in adoptiuorũ ſorte numerantur. Quamuis enim principaliter nouos homines faciat regenerationis ablutio, quia tamẽ ſemper neceſſaria eſt omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renouatio, & inter profectuum gradus nullus eſt, qui nõ ſemper melior eſſe debeat, generaliter admonendum eſt, vt in die redemptionis nemo inueniatur in vitijs vetuſtatis. Quod ergo (dilectiſsimi) in omni tempore vnumquenque conuenit facere Chriſtianum, id nũc ſolicitiùs eſt & deuotiùs exequẽdum, vt apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur, non ciborum parcitate tantummodò, ſed priuatione maximè vitiorum. Nam cùm ad hoc caſtigatio iſta ſumatur, vt carnalium deſideriorũ fomites ſubtrahantur, nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quàm vt ſemper ſimus ab iniuſta voluntate ſobrij, & ab inhoneſta actione ieiuni. Quæ deuotio non omittit ægros, non ſecernit inualidos, quia & in languido atq; inutili corpore poteſt animi integritas reperiri, ſi vbi fuit ſedes prauitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis iſta ſufficit ægritudo, quæ ſæpè menſuram voluntariæ afflictionis excedit tantùm, vt mens officij ſui impleat partes, & quæ corporea epulatione non vtitur, nulla iniquitate paſcatur. Rationabilibus autem ſanctiſq; ieiunijs nulla vtiliùs, quàm eleemoſynarum opera copulantur, quæ vno miſericordiæ nomine multas laudabiles pietatis continent actiones, vt omnium fidelium pares animi eſſe poſsint etiam inter impares facultates. Dilectio enim quæ ſimul Deo hominiq; debetur, nullis vnquam impeditur obſtaculis, vt non ei ſemper bene velle ſit liberum. Dicentibus quippe angelis: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, non ſolùm virtute beneuolentiæ, ſed etiam pacis bono beatus efficitur, quicunque alijs quacunque miſeria laborantibus charitate compatitur. Latiſsima enim ſunt opera pietatis, quæ ipſa ſui varietate id veris conferũt Chriſtianis, vt in diſtributione eleemoſynarum non ſolùm diuites & abundantes, ſed etiam mediocres & pauperes, ſuas habeant portiones: & qui largitatis ſunt viribus inæquales, mentis tamen affectione ſint ſimiles. Nam cùm ſub oculis Domini multi in gazophylacio ex opulentia ſua multa conferrent, vidua quædam duos intulit nummos, & talis Ieſu Chriſti teſtimonio meruit coronari, vt in tam paruo muneris modo, omnium fuerit collationi condigna præferri: quia inter magna eorum dona, quibus multa reſidebant, illius quod fuit exiguum, fuit totum. Si verò aliquis tantæ paupertatis coarctatur anguſtijs, vt nec ad duo æra inopi impartienda ſufficiat, habet in præceptis Domini, vnde impleat bonæ voluntatis officium. Siquidem qui ſitienti pauperi calicem aquæ frigidæ miniſtrarit, mercedem eſt ſui operis adepturus, tanta ſeruis ſuis Domino ad obtinendum regnum ſuum præparante compendia, vt etiam præbitio aquæ, cuius vſus gratuitus atque communis eſt, præmio non careret. Quod ne vlla includeret difficultas, de aqua frigida forma eſt, propoſita pietatis, ne putaret ſe mercede cariturum, cui de calefactione potus lignorum impendiũ defuiſſet. De quo tamẽ calice fruſtrà nõ admonet Dominus, vt in nomine ipſius præbeatur: quia hæc, quę per ſe ſunt vilia, fides efficit precioſa: & quæ ab infidelibus miniſtrãtur, etſi fuerint ſumptu magna, omni tamẽ iuſtificatione ſunt vacua. Celebratura igitur paſcha Domini (dilectiſsimi) ita vos ſanctis exercete ieiunijs, vt ab omnibus perturbationibus liberi ad feſta ſacratiſsima veniatis. Superbiæ ſpiritus, de quo ſunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur: & qui elatione tumerant, mãſuetudine mitigẽtur. Quorũ verò animos aliqua exaſperauit offenſio, reconciliatione ſibi-

Quadrageſima ab Apoſtolis inſtituta.

Ieiunio opera miſericordiæ iungenda.

Luc. 2.

Luc. 21.

Matt. 10.

Paſcha celebraturis vitia profligãda.

ſibimet in vnitatem ſtudeant reditæ concordiæ. Nemini malum pro malo reddentes, & donantes inuicem vobis, ſicut Chriſtus donauit vobis, humanas inimicitias pace delete, & ſi qui de ſubditis veſtris aut clauſtra cuſtodiæ aut vincula meruerunt, miſericorditer relaxentur: vt qui quotidianæ indulgentiæ remedijs indigemus, non difficulter peccatis ignoſcamus alienis. Dicentes enim ad patrem Dominum noſtrum: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, cer tiſsimum eſt, quòd cùm aliorum delictis veniam tribuimus, nobis diuinam clementiam præparamus, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Rom. 12.

Matt. 6.

Sermo ſeptimus de Quadrageſima.

De via Domini paranda, deq; fide, charitate & miſericordia.

VIrtus (dilectiſsimi) & ſapientia fidei Chriſtianæ, amor Dei eſt & amor proximi: nec vllo caret pietatis officio, cui ſtudium eſt colere Deum, & iuuare conſeruum. Harum autem affectionum duplex vnitas omni quidem eſt tempore exercenda, & proficienter augẽda, ſed nunc incr. mẽtis amplioribus dilatãda, & quadraginta dierum ieiunium, quod feſti paſchalis eſt præuium, interiorem cordis auditum illius vocis inſtar moueat, qua verbis Eſaiæ prophetæ Ioannes Baptiſta dicebat: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius: Siue enim illam partem populi çogitemus, quæ dudum certamina Euangelici agonis ingreſſa, per ſpiritalis ſtudij curſum indeſinenter tendit ad palmam: ſiue illam, quæ letalium conſcia peccatorũ, per reconciliationis auxilium feſtinat ad veniam: ſiue illam, quæ ſancti ſpiritus regeneranda baptiſmate, vetuſtate Adam exui, & Chriſti cupit nouitate veſtiri, apte & vtiliter omnibus dicitur: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Quæ autem viæ Domini, quæúe ſint ſemitæ, eiuſdem prædicatoris cohortatione diſcamus, qui diuinæ gratiæ opera & dona promittens, futurarum commutationum reſerabat effectus, addens ſententiam prophetici ſermonis, & dicens: Omnis vallis implebitur, & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vallis itaque manſuetudinem humilium, mons & collis elationem indicat ſuperborum. Sed quia, ſicut veritas dicit, qui ſe humiliat exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur, meritò & vallibus adimpletio, & montibus eſt annunciata depreſsio, vt & plana nihil offenſionis, & directa nihil habeant prauitatis. Quamuis enim anguſta & ardua ſit via, quæ ducit ad vitam, non tamen difficulter incedit, quem veritas confirmat, & pietas: nec caret delectatione gradiendi, cuius iter efficit virtutũ petra ſolidum, non vitiorum arena ſucciduum. Verùm vt pleniùs nouerimus, per cuiuſmodi vias nobis ſit ad promiſſa Dei tendendũ, audiamus Dauid prophetã quid doceat: Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Forma igitur conuerſationis fidelium ab exemplo venit operum diuinorum, & meritò Deus imitationem ſui ab eis exigit, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit. Cuius vtiq; gloriæ dignitate nõ aliter potiemur, quàm ſi in nobis miſericordia inueniatur & veritas. Per quæ enim ad ſaluandos ſaluator aduenit, per hæc ad ſaluantem debent properare ſaluati, vt & nos miſericordia Dei miſericordes, & veritas faciat eſſe veraces. Sicut itaque per viam veritatis mens iuſta, ita per viam miſericordiæ ambulat mens benigna. Nec tamen vnquam itinera iſta diuerſa ſunt, quaſi horum bonorum ſingula diuerſis tramitibus expetantur, & aliud ſit miſericordia creſcere, & aliud veritate proficere. Nõ eſt miſericors veritatis alienus: nec iuſtitiæ capax eſt veritatis extraneus: nec vtraque virtute vtitur, qui non vtraq; ditatur. Charitas robur fidei, fides fortitudo eſt charitatis. Et tunc verum nomen ac verus eſt fructus ambarũ, cùm inſolubilis vtriuſque

Matt. 7.

Virtus fidei Chriſtiana, charitate.

Eſai. 40.

Matt. 3.

Luc. 14. & 18.

Pſal. 24.

Forma viuendi vnde petenda fidelibus.

manet

Universidad de Deusto
Biblioteca

manet connexio. Vbi enim non simul fuerint, simul desunt: quia inuicem sibi & iuuamen & lumen sunt, donec desiderium crudelitatis impleat remuneratio visionis: & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & sine fide non diligitur, & sine dilectione non creditur. Quia ergo, sicut Apostolus ait, in Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur: simul atq; coniunctim & charitati studeamus & fidei. Hic est enim quidam efficacissimus geminarum alarum volatus, quo ad promerendum & videndum Deum puritas mentis attollitur, ne onere curarum carnalium deprimatur. Nam qui ait: Impossibile est placere sine fide Deo, idem ait: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Vnde sacramentorũ paschalium diuina mysteria digno suscipiãtur officio, & duo hæc, in quibus omnium præceptorum doctrina concurrit, studiosiùs appetantur· quibus singuli quiq; fideliũ, & sacrificium Deo efficiantur, & templum. Instet fides sperare, quod credit: instet charitas propitiare, quod diligit, vtrumq; amantis, vtrunq; credentis est. Et cui intelligentiæ concessione subijcimur, eidem pietatis imitatione iungamur. Vox Dei est: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Et vox Domini est: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Ac ne dubitemus Deo tribui, quod impenditur indigenti, dispensatores eleemosynarum quæ commercia ineant, audiamus, Domino dicente, quæ futura sit iudicij sui forma, cùm dicet ad dexteram collocandis: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurijt enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Peregrinus eram, & collegistis me. Nudus eram, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me. In cercere eram, & venistis ad me. Quærentibus autem iustis, quando & qualiter potuerint ista deprehendere, respondens rex dicet illis: Amen amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis. Quid hoc opere fructuosius? quid hac humanitate felicius? quæ vtique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem iuuando homini ab homine præberetur: sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non peruenit, alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum. Mundana beneuolentia in ijs, quos adiuuat, habet finem: Christiana pietas in suum transit authorem, dum in ipsum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari, dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Gaude igitur mens fidelium, & gloriam tuam in eius gloria, qui in te operatur, agnoscés, de ipsa paschali festiuitate ferueſce. Debiti enim tui est, vt ei qui pro omnibus passus est, paratus sis compati. Quoniam pia vita sanctorum nunquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clauis desideria carnis cõfigit, & corporeas cupiditates virtute spiritus in se habitantis interficit. Difficile est quenquam in se non habere, quod perimat. Extinguenda est iracundia, mortificanda superbia, destruenda luxuria. Radix quoq; auaritiæ altiùs persequenda, vt omniũ malorum germen excidi valeat, si eorum potuerit fomes euelli. Cùm autem hac indulgentia indefinẽter sit animus excolendus, & vtendum ita sit corpore, vt rectori suo necessarium præbeat natura inferior famulatum, nunc maximè frenis continentiæ caro moderanda est, & quicquid sublimibus desiderijs obuiat amputandum. Dum enim congruis purificationibus ad celebrandum pascha Domini vtraq; substantia præparatur, prosutura omni tempore consuetudo nutritur. Seuera in subditos imperia detumescant, cesset vindicta peccati, & rei criminum ad hos dies peruenisse se gaudeant, in quibus à sanctis pijsq; principibus etiam publicarum austeritas remittitur vltionum. Aboleantur odia, deficiant simultates, pacis & beneuolentiæ multiplicentur affectus, & qui potuit malitia pollui, studeat benignitate purgari. Quoniam iudicium Dei, sicut immitibus vehemens, ita erit misericordibus clemens: & detrusis in ignem gehennæ propter inhumanitatem sinistris, dexteros eleemosynarum pietate laudatos, æterna cœlestis regni beatitudo suscipiet, per Dominum nostrum

Hæc de fide vtua accipienda sunt. Galat. 5.

Fides quæ per dilectionem operatur, vtuificat. Hebr. 11. Matt. 22.

Leuit. 19. & 20. Luc. 7.

Matth. 25.

Matt. 5. Deus in nobis efficit bona opera.

Quibus studijs vacandum in Quadragesima.

nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo octauus de Quadragesima.

De vera vtriusque naturæ in Christo substantia & quibus argumentis vtranque naturam probauerit, ac de hæreticis vitandis.

DEuotionis quidem vestræ (dilectissimi) nouimus hunc esse seruorem, vt ieiunijs, quæ Domini pascha præcurrunt, multi nostro præueniatis hortatus. Sed quia vtilitas abstinentiæ non solùm carnis castigationi, verùm etiam mentis necessaria est puritati, obseruantiam vestram sic cupimus esse perfectam, vt sicut desiderij carnis rescinditis voluptates, ita ab animi sensibus excludatis errores. Nam paschali festo, in quod omnia religionis nostræ sacramenta concurrunt, is vera & rationabili purificatione se præparat, cuius cor nulla infidelitate polluitur. Dicente enim Apostolo: Omne quod non est ex fide, peccatum est: inutilia erunt & vana eorum ieiunia, quos illusionibus suis decipit mendacij pater, & vera Christi caro non pascit. Sicut ergo diuinis mandatis sanæq; doctrinæ toto corde famulandum est: ita omni prudentia ab impijs est sensibus abstinendum. Tunc enim mens sanctum agit atque spiritale ieiunium, cùm erroris cibos, atque venena abijcit falsitatis, quæ dolosus ac versutus inimicus nunc insidiosiùs ingerit, quando ipso venerãdæ festiuitatis recursu omnis Ecclesia ad intelligenda salutis suæ mysteria generaliter commouetur. Is enim resurrectionis Christi verus confessor & cultor est, qui & de passione eius non confunditur, & de corporea natiuitate non fallitur. Nam quidam erubescentes Euangelium crucis Christi, vt audentiùs euacuarent susceptum pro mundi redemptione supplicium, ipsam veræ carnis in Deo negauere naturam, non intelligentes impassibilem Dei verbi atq; incommutabilem deitatem, ita inclinatam ad humanam naturam & ad eius salutem, vt & potenter propria non amitteret, & misericorditer nostra susciperet. Duplicis itaq; in Christo formæ vna persona est, & filius Dei idemq; filius hominis vnus est Dominus, conditionem seruilem cõfilio pitatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens: quia potestate factus est humilis, potestate passibilis, vt ad destruendum peccati mortisq; dominatum & pœnæ capax esset substantia infirmitatis, & nihil gloriæ suæ perderet natura virtutis. Cùm itaq; (dilectissimi) legentes vel audientes Euangelium, quædam in Domino nostro Iesu Christo cognoscitis subiecta iniurijs, quædam illustria miraculis, ita vt in eodẽ nunc humana appareant, nunc diuina resplendeant, nolite quicquã horum adscribere falsitati, tanquam in Christo aut sola sit humanitas aut sola diuinitas, sed vtrũque fideliter credite, vtrunque humiliter adorate, vt in vnitate verbi & carnis non sit vlla diuisio. Nec quia manifesta fuerunt in Iesu signa diuina, falsa videantur documenta corporea. Vera & copiosa sunt in Christo vtriusq; testimonia naturæ, ad hoc ex diuini consilij altitudine concurrentia, vt verbo inuiolabili non separato à carne passibili, particeps per omnia intelligatur, & deitas carnis, & caro deitatis. Mens igitur Christiana, fugax mendacij, discipula veritatis, vtere fideliter Euangelica historia, & quæ fideliter & visibiliter sunt gesta per Dominum, tãquam ipsa aggregata cum apostolis, tunc spiritali intellectu, nunc corporeo discerne conspectu. Da homini, quod de muliere puer nascitur: da Deo, quòd nec conceptu læditur virginitas materna nec partu. Formam serui obuolutam pannis, iacentem in præsepio cognosce: sed annunciatam ab angelis, declaratam ab elementis, adoratam à Magis, formam Domini confitere. Humanum intellige, quòd non declinauit nuptiale conuiuium: diuinum approba, quòd aquam conuertit in uinum.

Errores cauendi.

Rom. 14.

Ioan. 8.

Ieiunium spirituale quid sit.

In Christo geminatura, sed vna persona.

Ioan. 2.

Nostra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 11. Ioan. 9. Nostra tibi innotescat affectio, cùm mortuo amico fletus impenditur: diuina potentia sentiatur, cum idem post quadriduanam iam fœtidus sepulturam, solo vocis imperio viuificatus erigitur. Lutum de sputo & terra fieri, corporei fuit operis, sed illinc superlitos cæci oculos illuminari, non dubiũ est illius fuisse virtutis, quæ quod Marc. 4 principijs naturæ non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reseruauit. Veri est hominis fatigationem corpoream somni reuelare quiete, sed veri Dei est, vim sæuiIoan. 6. entium procellarum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere, humanæ benignitatis est, & socialis est animi: sed quinque panibus & duobus piscibus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis, satiare, quis negare audeat opus esse deitatis? Quæ operantibus secum veræ carnis officijs, & se homini & hominem sibi inesse monstrabat, quia non aliter in humana natura sanari poterant originalis vulnera vetustatis, nisi de vtero virginis carnem sibi adsumente Dei verbo, in vna eademq; persona simul & caro nasceretur & verbum. Hanc, (dilectissimi) incarnationis dominicæ fidem, per quam tota Ecclesia corpus est Christi, inconcusso corde seruantes, ab omnibus hæreticorum ieiunante mendacijs, & ita vobis misericordiæ opera credite profutura, ita fructuosè habenda continentiæ puritatem, si mentes vestræ nulla prauarum opinionum contaminatione sordauerint. Abijcite exosa Domino mundanæ argumenta scientiæ, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit peruenire, & hoc fixũ habete in animo, quod dicitis in symIoan. 1. bolo. Credite consempiternum patri filium Dei, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, secundum carnem quoq; in fine temporum generatum. Credite hunc corporaliter crucifixum, mortuum, suscitatum, & super altitudines cœlestium dominationum eleuatum, in patris dextera constitutum, ad iudicandum viColoss. 3. uos & mortuos in eadem carne, qua ascendit, venturum. Hoc enim vniuersis fidelibus Apostolus prædicat, dicens: Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Habentes ergo (dilectissimi) tantæ promissionis fiduciam, estote non solùm spe sed etiã conuersatione cœlestes. Et quamuis omni tempore studendum sit sanctificationi
In Quadragesima maiordanda operapietati. mentis & corporis, nunc tamen in istis quadraginta dierum ieiunijs solicitioribus vos pietetis operibus expolite, non solùm in distribuendis eleemosynis, quæ magnũ habent emendationis effectum, sed etiam in remittendis offensionibus & peccatoMatt. 6. rum reatibus relaxandis, vt conditio, quam inter se & hominẽ Deus posuit, non resistat orantibus. Dicentes enim secundum doctrinam Domini: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: debemus toto corde implere quod dicimus. Tunc enim fiet, quod in sequentibus postulamus, vt & in tentationes non inducamur, & à malis omnibus liberemur, per Dominum nostrum Iesum Christum saluatorem, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo nonus de Quadragesima.

De persecutione & cruce Christi ferenda, atq; de impietate Manichæi & Apollinaris.

IN omnibus (dilectissimi) solennitatibus Christianis non ignoramus paschale sacramentum esse præcipuum, cui condignè & congruè suscipiendo totius quidem nos temporis instituta reformant, sed deuotionem nostram præsentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo diuinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à sanctis apostolis per doctrinam spiritus sancti

sancti maiora sunt ordinata ieiunia, vt per commune consortium crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus, sicut Apostolus ait: Si com- *Quadragesima ab Apostolis instituta.*
patimur, & conglorificabimur. Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio dominicæ passionis. Nemo est (dilectissimi) cui per condi-
tionem temporis societas huius gloriæ denegetur, tanquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat, dicens: Oẽs qui volunt in Chri- *Rom. 8.*
sto piè viuere, persecutionem patientur, & ideo nunquàm deest tribulatio persecu- *2. Tim. 3.*
tionis, si nunquàm desit obseruãtia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis
dicit: Qui non accipit crucem suam: & sequitur me, non est me dignus. Nec dubita- *Matt. 10.*
re debemus hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles totamq; Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his qui aderãt vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis piè viuere: ita totius est temporis crucem ferre, quę
meritò ferri vnicuiq; suadetur, quia proprijs modis atque mensuris ab vnoquoq; to-
leratur. Vnum nomen est persecutionis, sed non vna causa est certaminis: & plus ple- *Persecutio piorũ multiplex.*
runq; periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto. B. Iob alternanti- *Iob 9.*
bus bonis ac malis mundi huius eruditus piè veraciterq; dicebat: nónne tentatio est
vita hominis super terram? Quoniã non solis doloribus corporis atq; supplicijs ani-
ma fidelis impetitur, verumetiam salua incolumitate membrorũ, graui morbo vrge-
tur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit aduersus spiritum, spiri- *Galat. 5.*
tus autem aduersus carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur, nec
cupiditatibus noxijs illecta consentit, quoniam continentiæ clauis & Dei timore
transfigitur. In bono ergo proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium diabolo in- *Mali cur oderint bonos.*
stigante non desunt, & facilè in odia prorumpunt, quorum improbi mores destabiliores fiunt comparatione rectorum. Iniquitas cum iustitia non habet pacem, tẽperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia
mansuetudinem, petulantia verecundiam, auaritia largitatem: & tam pertinaces habet diuersitas ista conflictus, vt etiamsi exterius conquiescat, ipsa tamen piorũ cordium penetralia inquietare non desinat, vt verum sit, quòd qui voluerint in Christo
piè viuere, persequutionem patientur: & verum sit, quòd omnis hæc vita tentatio
est. Ipsis experimentis suis vnusquisq; fidelis edoctus Christi cruce armetur, vt Chri- *Pijs quare maximè insidietur diabolus.*
sto dignus habeatur. Per istum verò agonem (dilectissimi) ad præmia æterna tendẽtibus in eo maximè diaboli insidiatur astutia, vt quorum peruertere nõ potest probitatem, subruat fidem. In aliam enim transfertur viam quisquis à confessione veritatis abducitur, totusq; eius cursus abscessio est, & tanto erit morti vicinior, quanto fuerit à catholica fide longinquior. Quod etiam in diebus nostris per suam patiuntur incuriam, qui de spiritu olim destructi erroris olimq; damnati veterem insaniam conceperunt, qui geminam in Christo audent negare naturam: aut non su- *Manichæus.*
scepta carnis scilicet veritate, aut in carnem deitate conuersa, vt aut secundum Ma- *Appollinaris.*
nichæum nulla eius sit resurrectio, cuius nulla est passio: aut secundum Apollinarem ipsa deitas verbi mutabilis, ipsa sit facta passibilis. Hoc autem sentire, hoc auribus Christianæ plebis ingerere, quid aliud est, quàm ipsa religionis nostræ fundamenta cõuellere? & quòd verus filius Dei, verus sit filius hominis, denegare? In quo
solo est humani generis restitutio, testificata per legem, promissa per prophetas, &
omnibus veteris testamenti significationibus nunciata, vt magnum illud & seculis
omnibus profuturum diuinæ misericordiæ sacramentum, quod sæpe & diu fuerat
signatum, in præstituto tempore non dubitaretur impletum. Vnde licet, ex quo ver- *Ioan. 1.*
bum caro factum est, ita in Christo Dei atque hominis vna persona sit, vt in nullis
actionibus fiat naturę vtriusque diuisio, studet tamen euangelica veritas ipsum, quẽ
Dei filium prædicat, sæpissimè filium hominis confiteri, vt quamuis ea quæ differũtur, alia sint humanitatis, alia deitatis, sub nomine tamen filij hominis vtraque memorentur: ne fides Dominum Iesum Christum natum ex Maria virgine, Deum simul atq; hominem creditura, cunctetur fateri, aut in Deo humanitatem. aut in ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mine deitatem: vt & in verbo ſuſcepti hominis vera ſit humanitas, & in carne ſuſcipientis Dei vera maieſtas. Hæc (dilectiſsimi) per occaſionem feſti paſchalis, cui puritatem cordium præparare debemus, de incarnatione verbi perſtrinxiſſe ſufficiat: quoniam aliquoties hinc inſtructos vos eſſe meminiſtis. Nunc deuotionem veſtram de eo, quod tempus poſcit, admoneo, vt ſanctum ac ſalubre ieiunium operibus pietatis ornetis. Et quia pro indulgentia maximè laborandum eſt delictorum, indubitabilem vobis miſericordiam promittatis, ſi ipſi quoq; circa ſubditos veſtros omnẽ offenſam tranſtuleritis ad veniam. Placidos enim atq; concordes ad tantam feſtiuitatem decet Dei populos conuenire, vt ſeueritas vltionum, quæ nunc etiam in publicis iudicijs relaxatur, multo magis in Chriſtianorum cordibus mitigetur. Quia ad hoc potiùs intenta debet eſſe cura ſanctorum, ne vllus algeat, ne vllus eſuriat, ne quis inopia deficiat, ne quis mœrore tabeſcat, ne aliquem vincula adſtrictũ, ne aliquem habeat carcer incluſum. Quantælibet enim exiſtant cauſæ offenſionis, ab homine tamen in hominem non tam delicti magnitudo, quàm naturæ eſt cogitanda communio, vt de iudicio, quò alterum iudicat, miſericordiam Dei iudicantis obti-
Matt.5. neat. Beati enim miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermo decimus de Quadrageſima.

De laude charitatis, & de offenſis remittendis.

Solennitas Paſchalis cæteris præſtãtior.



NTer omnes (dilectiſsimi) dies, quos multis modis honorabiles habet Chriſtiana deuotio, nullus eſt excellentior feſtiuitate paſchali, per quam in Eccleſia Dei vniuerſarum ſolennitatum dignitas cõſecratur. Siquidem etiam ipſa Domini ex matre generatio huic fuit impenſa ſacramento, nec alia fuit dei filio cauſa naſcendi, quàm vt cruci poſſet affigi. In vtero enim virginis ſuſcepta eſt caro mortalis in carne mortali, completa eſt diſpoſitio paſſionis, effectumq; eſt ineffabili conſilio miſericordiæ Dei, vt eſſet nobis ſacrificiũ redemptionis, abolitio peccati, & ad æternam vitam initium reſurgendi. Conſiderantes autem, quid per crucẽ Domini adepta eſt vniuerſitas mundi, cognoſcimus ad celebrandum paſchæ diem, meritò nos quadraginta dierũ ieiunio præparari, vt digni poſsimus diuinis intereſſe myſterijs. Non enim ſummos tantum antiſtites, aut ſecũdi ordinis ſacerdotes, nec ſolos ſacramentorum miniſtros, ſed omne corpus Eccleſiæ, vniuerſumq; fidelium numerũ ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum, vt templũ Dei, cui fundamentũ eſt ipſe fundator, in omnibus lapidibus ſpecioſum, & in tota ſui parte ſit lucidũ. Nam ſi regum ædes & ſublimiorum prætoria poteſtatum, omni ornatu rationabiliter excoluntur, vt excellentiora ſint eorum domicilia, quorum ampliora ſunt merita: quantopere ædificandum, quãto eſt honore decorandum ipſius deitatis habitaculum? Quod licet inchoari & perfici ſine ſuo authore non poſsit, habet tamẽ ab ædificãte donatum, vt etiam labore proprio quærat augmentum. Viua enim rationabiliſq; materies ad extructionem templi iſtius adſumitur, & per ſpiritum gratiæ, vt voluntariè in vnam compagem congruat, incitatur: quæ ideò dilecta, ideo quæſita eſt, vt & ipſa ex nõ quærente quærens, & ex nõ diligente diligens ſit, dicente beato Ioanne apoſtolo: Nos ergo diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos. Quum igitur & omnes ſimul, & ſinguli quiq; fidelium, vnum idemq; Dei templum ſint, ſicut perfectum hoc in vniuerſis, ita perfectum debet eſſe in ſingulis: quia etſi nõ eadem eſt membrorũ omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium meritorũ poteſt eſſe parilitas, cõmunionem tamen obtinet decoris connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non eiſdem vtuntur gratiæ beneficijs, gaudent tamen inuicem bonis ſuis, & non poteſt ab eis extraneum eſſe quod diligũt: quia in-

Quadrageſimæ ieiuniũ cur paſcha præcedat.

1. Ioan 4.

Charitas omnia facit communia.

cremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno. In hac (dilectiſsimi) vnitate ſanctorum, vbi idem amatur, idem diligitur, idemq; ſentitur, nec ſuperbis locus eſt, nec inuidis, nec auaris: & quicquid eſt illud, quo aut vanitas gloriatur, aut ira ſæuit, aut luxuria laſciuit, non in Chriſti fœdere, ſed in diaboli parte cenſetur, longeq; à ſedibus pietatis excluditur. Fremit itaque innocẽtiæ aduerſarius & pacis inimicus, & quia ipſe in veritate non ſtetit, totamq; naturæ ſuæ gloriam, dum ſuperbit, amiſit: dolet hominem miſericordia Dei reparari, & in ea bona quæ ipſe perdidit, introduci. Nec mirum ſi peccati author probitate rectè agentium cruciatur, & eorum, quos deijcere non poteſt, ſtabilitate torquetur, quandoquidem etiam inter homines reperiuntur, qui opera huius malignitatis imitentur. Multi enim, quod dolendum eſt, profectibus vtuntur alienis, & qui ſe virtutibus vacuos deſpici nouerunt, armantur in odium eorum, quorum non ſequuntur exemplum. Serui autem *Rom. 12.* Dei & diſcipuli veritatis, etiam diſsimiles ſui diligunt, & bellum vitijs potiùs quàm hominibus indicunt, nulli malum pro malo reddentes, ſed correctionem peccantiũ ſemper optantes. Pulchrum enim valde eſt, & diuinæ beneuolentiæ comparandũ, ſui quenque in altero memminiſſe, & amare propriam etiam in hoſte naturam. Siquidem plurimos nouimus in optimos mores tranſijſſe de peſsimis, ex ebrioſis ſobrios, ex crudelibus miſericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus caſtos, ex ferocibus factos eſſe tranquillos. Dicente autem Domino: Non veni vocare iuſtos, ſed *Matt.9.* peccatores, nulli Chriſtiano quenquam odiſſe permittitur, quia nemo niſi in remiſſione peccatorum ſaluatur, & quos viles fecit carnalis ſapietia, neſcimus quàm precioſos ſpiritalis ſit factura gratia. Sit ergo ſanctus Dei populus, ſit benignus: ſanctus, vt declinet prohibita: benignus, vt faciat imperata. Quamuis enim magnum ſit ha- *Sine charitate nihil proſunt virtutes cæteræ.* bere rectam fidem ſanamq; doctrinam, & multa laude digna ſit circunciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis, nudæ ſunt tamen omnes ſine charitate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ædiderit. Vnde in Ioannis Euangelio Dominus dicit, In hoc cognoſcent *Ioan.13.* omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Et in eiuſdem *1.Ioan.4.* Apoſtoli epiſtola legitur: Chariſsimi diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deũ: & qui nõ diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt. Diſcutiant ergo ſe fidelium mentes, & intimos ſui cordis affectus vera examinatione dijudicent, vt ſi repoſitum aliquid in cõſcientijs ſuis fructibus charitatis inuenerint. Deum ſibi ineſſe non dubitent: & vt magis magisq; tanti hoſpitis ſint capaces, fiant perſeueranter in miſericordiæ operibus ampliores. Si enim dilectio Deus eſt, nullum debet habere terminum charitas, quia nullo poteſt claudi ſine diuinitas. Ad exercendum igitur (dilectiſsimi) charitatis bonum quamuis omne tempus ſit congruum, præſentes tamen dies ſpecialiùs cohortantur, vt qui paſcha Domini cupiunt cum animi & corporis ſanctificatione ſuſcipere, hanc maximè gratiam conentur acquirere, qua & omnium continetur ſumma virtutum, & multitudo tegitur peccatorum. Et ideo celebraturi illud eminens ſuper omnia ſacramentum, quo iniquitates noſtras Ieſu Chriſti ſanguis aboleuit, miſericordiæ primitijs hoſtias præparemus, & quod nobis bonitas Dei cõtulit, nos quoq; eis, qui in nos peccauere, præſtemus. In obliuionem mittantur iniuriæ, ſupplicium iam neſciant culpæ, & à vindictæ metu omnes ſubditorum abſoluantur offenſæ. Neminem teneant clauſtra pœnalia, nec in cuſtodijs tenebroſis triſtes reorum gemitus perſeuerent. Si quiſquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem ſe eſſe non dubitet, & vt indulgẽtiam ipſe accipiat, gaudeat ſe inueniſſe, cui parcat, vt quum ſecundum doctrinam Dei dicimus: Dimitte nobis de- *Matt.6.* bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, non ambigamus per noſtræ orationis formam, diuinam nos obtinere clementiam. In pauperes quoq; & diuerſis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, vt gratiæ Deo multorum voce referantur, & ieiunijs noſtris egentium refectio ſuffragetur. Nulla enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Misericordia in pauperes quã grata Deo.

deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm ista, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Nõ timeatur in ijs expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas, magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus & pascit & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, erogando multiplicat. Securus & hilaris sit eleemosynæ distributor, quia tunc maximum lucrum

2.Cor.9.

habebit, quando sibi minimum reseruauerit, dicente beato apostolo Paulo: Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ in Christo Iesu Domino nostro.

Sermo vndecimus de Quadragesima.

De tentationibus vitæ humanæ & diabolica impugnatione ac remissione iniuriarum.



IN omnibus quidem (dilectissimi) diebus atque temporibus quædam nobis diuinæ bonitatis signa præfixa sunt, & nulla pars anni à sacris est aliena mysterijs, vt dum nobis vbique præsidia nostræ salutis occurrunt, inuitantem nos semper misericordiam Dei auidius expectemus. Sed quicquid illud est, quod in diuersis gratiæ operibus & donis reparationi humanarum confertur animarum, totum id nobis nunc euidentiùs & copiosiùs præsentatur, quando non particulatim

Quadragesima maxima & festiuissima ieiunium.

quædam agenda, sed simul sunt omnia celebranda. Appropinquante autem festiuitate paschali, adest maximum sacratissimumq; ieiunium, quod obseruantiã sui vniuersis fidelibus sine exceptione denunciat: quia nemo tam sanctus est, vt non sanctior, nemo tam deuotus, vt non debeat esse deuotior. Quis enim in huius vitæ conflictatus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inueniatur à culpa? Quis est qui nihil virtutis sibi adijci, aut qui nihil vitij sibi optet auferri? quum & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis. Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustijs. Illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore, nec interest vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur, an curis, quum par morbus sit, vel sub vana delectatione làguere, vel sub anxia solicitudine laborare. Impletur itaque per omnia sententia veritatis, qua dicimus angustam esse & arduam viam, quæ ducit ad vitam: & cum latitudo

Matt.7.

itineris ad mortem trahentis multis frequentetur agminibus, in salutis semitis pauca rum intrantium sunt rara vestigia. Vnde autem populosior est via læua quàm dextera, nisi quia ad mundana gaudia & corporalia bona, multitudo proclivis est? Et quamuis caducum incertumque sit, quod cupitur, libentiùs tamen susciptur labor pro desiderio voluptatis, quàm pro amore virtutis. Ita cùm innumeri sint, qui visibilia concupiscant, vix inueniuntur, qui temporalibus æterna præponant. Et

1.Cor.4.

ideo dicente beato apostolo Paulo: Quæ videntur temporalia sunt, quæ autem nõ videntur, æterna sunt: latet quodammodò & in abscondito est virtutum via, quoniam spe salui facti sumus, & fides vera id super omnia diligit, quod nullo sensu carnis attingit. Magni est ergo operis & laboris, mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis, & cum vndique innumeræ * voluptatum illecebræ blandiantur, ad

Rom.8.
**vanitatiũ*
Eccle.13.

nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tagit, & non inquinatur ab ea? Quis non infirmatur in carne? Quis non fordescit in puluere? Quis postremò est tãtæ puritatis, vt ijs non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Iubet enim per Apostolum doctrina diuina, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui

1.Cor.7.

flent,

flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tãquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura mundi huius. Beata igitur mens, quæ peregrinationis suæ tempora, casta sobrietate trãscurrit, & in ijs, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis quàm domina terrenorum, nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit diuinis. Hanc aũt fortitudinem (dilectissimi) nulli magis quàm præsentes & exigunt & conferunt dies, quibus dum obseruãtia spiritalis impenditur, consuetudo in qua perseueretur acquiritur. Notũ enim vobis est hoc esse tempus, quo per totum mundum sæuiente diabolo, acies debet Christiana confligere, & si quos aut desidia tepidos, aut solicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis spiritalibus instrui, & cœlesti tuba ad ineundum certamen accendi: quoniam ille, cuius inuidia mors introiuit in orbẽ terrarũ, modò præcipuo liuore vritur, modò maximo dolore cruciatur. Videt enim de omniũ hominũ genere, in adoptionẽ filiorum Dei, nouos populos introduci, & per virgineam Ecclesiæ fœcunditatem, partus regenerationis augeri. Videt se dominationis suæ iure priuatum, à cordibus eorum, quos possidebat, expelli, eripi sibi in vtroq; sexu millia senũ, millia iuuenũ, millia paruulorum: nec obesse cuiquam vel proprium, vel originale peccatũ, vbi iustificatio non meritis retribuitur, sed sola gratiæ largitate donatur. Lapsos quoq; & infidiarum suarum fraude deceptos, pœnitentiæ lachrymis ablui, & portas misericordiæ apostolica claue reserante, ad remedia reconciliationis admitti. Sentit igitur diem dominicæ passionis instare, & se illius crucis potestate conteri, quæ in Christo ab omni debito mortis alieno, redemptio fuit mundi, nõ pœna peccati. Vt itaq; malignitas frementis inimici nullos habeat sui liuoris effectus, ad exequenda Domini mandata, diligentior est assumenda deuotio, vt tempus, in quo omnia diuinæ misericordiæ sacramenta concurrunt, cum præparatione & animorum susciPiamus & corporum, implorantes regimen atque adiutorium Dei, vt sine quo nihil possumus facere, per ipsum omnia valeamus implere. Ideo enim datur præceptum, vt præcipientis quæratur auxilium. Nec se quisquam per occasionẽ infirmitatis excusẽt, quia qui præstitit velle, donat & posse, dicente beato apostolo Iacobo: Si quis vestrum

Iacob.1.

indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Quis fidelium nesciat quibus virtutibus studere, & quibus vitijs debeat repugnare? Quis conscientiæ suæ aut tam gratiosus, aut tam imperitus est arbiter, qui ignoret quid à se auferri, aut quid in se oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis est alienus, qui aut conuersationis suæ non intelligat qualitatem, aut cordis sui secreta non nouerit. Non ergo per omnia sibi placeat, nec se secundum carnis oblectamenta dijudicet, sed omnem consuetudinem suam in diuinorum præceptorum lance constituat: vbi quum alia interducantur ne fiant, alia iubeantur vt fiant, iusto se trutinabit examine, qui vitæ suæ mores ex vtriusque ponderis comparatione pensauerit. Artifex enim misericordia Dei, splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspicere, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnoscere, præcipuè vt reiectis paululùm carnalibus curis & occupationibus inquietis, saltem in diebus redemptionis & reparationis nostræ à terrenis nos ad cælestia cõferamus. Quia verò sicut scriptum est, in multis offendimus omnes, misericordiæ primus concipiatur affectus, & aliorum in nos delictorum fiat obliuio, vt illud pijssimum pactũ, cui nos in dominica oratione deuinximus, nullo vindictæ amore violemus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra sicut

Iacob.3.

& nos dimittimus debitoribus nostris, non simus in remissione difficiles, quia ad nos recurrit siue cupiditas vltionis, siue indulgentia lenitatis. Magis optandum est homini, tentationum periculis semper exposito, vt suas culpas habeat punitas, quàm vt plectat alienas. Quid autem conuenientius fidei Christianæ, quàm vt non solùm in Ecclesia, sed etiam in omnium domibus fiat remissio peccatorum? Deponantur minæ, vincula relaxentur, quibus se multo pernitiosiùs, qui ea non soluerit,

Beata mẽs quæ sit.

Sapient.2.

In baptismo gratis cõfertur iustificatio.

Lapsi per pœnitentiam instaurantur.

Præcepta Dei speculum humanæ mentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

religabit. Quod enim quisque in alterum statuit, hoc in semetipso sua lege discernit. Beati verò misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus, qui in iudicijs suis *Matt. 5.* & iustus est & benignus, ad hoc quosdam sub aliorum esse potestate permittens, vt sub æqua moderatione seruetur & vtilitas disciplinæ, & mansuetudo clementiæ, & nemo audeat alterius delictis veniam denegare, quam pro suis optat accipere, dicente Domino: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Deponantur omnia discordiarum odiorumq; certamina, nec putet se quisquam in paschali festo habiturũ esse consortium, qui fraternam pacem redintegrare neglexerit. Apud summũ enim patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum. In distributione quoq; eleemosynarum & pauperum cura pinguescant Christiana Ieiunia, & quod suis quisq; delicijs subtrahit, debilibus impẽdat & egenis. Detur opera, vt omnes Deo vno ore benedicant, & qui aliquam dat portionẽ substantiæ suæ, intelligat se ministrum esse misericordiæ diuinæ, qui partem pauperis in manu posuit largientis, vt peccata quæ baptismi aquis aut pœnitentiæ lachrymis abluuntur, *Eccle. 3.* etiam eleemosynis deleantur, dicente scriptura: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo duodecimus de Quadragesima.

De laude continentiæ, & quod patientia Dei non sit abutendum.

APpropinquante (dilectissimi) solennitate paschali, sic est præcurrẽda consuetudo ieiunij, vt nos quadraginta dierum numerus ad sanctificationem corporis & mentis exerceat. Suscepturi enim festorũ omnium maximum festum, ea nos debemus obseruantia præparare, *Colos. 3.* vt in cuius sumus resurrectione conresuscitati, in ipsius inueniamur passione cõmortui, dicente beato Paulo Apostolo: Mortui enim estis vos, & vita vestra abscondita est cũ Christo in Deo. Cũ enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quę verò nobis est cũ Christo participatio, nisi vt desinamus esse quod fuimus? aut quæ similitudo resurrectionis, nisi depositio vetustatis? Vnde qui sacramentũ suæ reparationis intellexit, carnis *Cum Christo vt resurgendum.* se vitijs debet exuere, & oẽs sordes peccatorum abijcere, intraturus nuptiale conuiuium, splendeat veste virtutum. Quamuis enim benignitas sponsi cunctos ad communionẽ regiarum inuitet epularũ, studendũ tamen est vniuersis vocatis, vt sacrorũ *Rom. 2.* ciborum munere nõ inueniantur indigni. Abutuntur aũt quidam patientia Dei, & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cùm ideo differatur vltio, vt tempus possit habere correctio. Misericordiam igitur Dei nostri, quæ *Ezech. 3.* non vult mortem peccatoris, sed tantùm vt conuertatur & viuat, nõ ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit, non recepit. Neq; enim quicquid differtur, aufertur, aut cõdemnationem euasit, qui indulgentiam nõ quæsiuit. Cuius quidẽ implorandæ nõ vna omnibus causa est, quia multis modis multisq; mensuris & peccatum à peccato, & crimen distat à crimine. Sed quia vniuersitas fideliũ ad perfectam innocentiã & ad plenã debet tendere puritatem, vt eorũ consortio mereatur adscribi, *Matt. 5.* de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt, omni instantia & virtute nitendum est, vt quicquid secretum conscientiæ maculat, quicquid aciem mentis obscurat, diligentissimis emendationibus deleatur. Quamuis enim scriptum *Prou. 20.* sit: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato? non tamen desperanda est apprehẽsio puritatis: quæ dum semper petitur, semper accipitur, nec remanet iudicio condemnandum, quod fuerit in cõfessione purgatũ. Hoc illud est (dilectissimi, quod orantes oẽs filij Ecclesiæ ex doctrina Domini vniformiter dicũt:

Dimitte

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quia ne- *Matt. 6.*
mo tam sanctus, nemo tam iustus est, qui in tempore huius vitæ, quæ tota tentatio
est, cuiuscunq; peccati remissione non egeat. Circunstant vndiq; pericula innume- *Iob 7.*
rabilium delictorum, & per licitos vsus ad immoderatos trãsitur excessus, dũ per cu-
ram salutis irrepit delectatio voluptatis, & non sufficit cõcupiscẽtiæ, quod potest sa-
tis esse naturæ. Hinc habendi amor nunquã satiandus exoritur, hinc cupiditas emi-
nendi, quæ vel stirpi suæ innexa vel soboli, nunc prolem habet superbiã, nunc paren
tem. His aũt & alijs tentationibus, quarum multiplex est & infinita connexio, quæ *Continentia laus.*
rectiùs virtus quàm continentia opponitur, quæ nutriendis atq; seruandis animi &
corporis bonis, & incrementa præbet & roborat? Vnde in cœlestibus Ecclesiæ disci-
plinis, multum vtilitatis adferunt diuinitus instituta ieiunia, vt dum cõtinentię legi-
bus carnalis subijcitur appetitus, motus quoq; interior temperetur, vt sicut corpus
à cibis, ita mens ab iniquitate ieiunet. Dominus enim dicit: Beati qui esuriunt & si- *Matt. 5.*
tiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur. Habet ergo populus Dei spiritales epulas
castasq; delicias, quas salubriter expetit & laudabiliter cõcupiscit, quoniã laudante
& dicente Propheta: Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus: quisquis dulce- *Psal. 33.*
dinem iustitiæ & misericordiæ Dei, quibus omnis prouidentia eius dispensatur, gu-
stu cordis attigerit, & nullo vnquã minuenda fastidio experimenta supernorũ hau-
serit gaudiorũ, corruptibilia & temporalia bona æternorum admiratione despiciet,
& in illo igne, quẽ Dei accendit charitas, concalescet: vt algore in feruorẽ cõuerso,
& in lucem nocte mutata, vno opere in animis fidelium spiritus & tenebras abigat,
& peccata consũmat. Vnde quia tales fructus mater virtutum continentia parit, & *Continentia mater virtutum.*
ieiunantes à vitijs, ad ineffabilia oblectamenta perducit, studiosiori nunc opere (di-
lectissimi) exequamur præcepta cœlestia, & quia totũ paschale sacramentum, in re-
missionem est cõditum peccatorum, quod celebrare optamus imitemur. Misericors
enim & iustus Dominus, ita promittit indulgentiã suã, vt eam etiam, quibus parcit,
indicat. Exponens enim, qua regula Deo patri nos voluerit supplicare: Si dimiseri- *Matt. 6.*
tis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet vobis & pater vester, qui in cœlis est,
peccata vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis
peccata vestra. Iusta prorsus & benigna conditio, qua diuinæ potentiæ sit particeps
homo, vt sententiam Dei ex suo libret arbitrio, & eo sibi iudicio obstringat Domi-
num, quo iudicauerit ipse conseruum. Siue itaq; circa subiectos, siue circa æquales,
naturæ parilitas diligatur. Et quia nemo nõ peccat, nemo non parcat: non difficul-
ter præstemus, quod gratulanter accepimus: vt siue largitate eleemosynarum, siue
indulgentia peccatorum, quanto magis fuerimus misericordes, tanto simus perfe-
ctiùs innocentes, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum
patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

SERMO PRIMVS DE *passione Domini.*

De necessitate incarnationis filij Dei, de scelere & infidelitate Iudæ ac inutili eius pœnitentia, atque Christi potentia.

SAcratissimũ (dilectissimi) dominicæ passionis diem, quã Dominus Iesus Dei filius pro humani generis salute suscepit, & sicut promisit, omnia ad se exaltatus attraxit, tam planè ac lucidè Euangelicus sermo referauit, vt religiosis & pijs cordi- *Ioan. 12.*
bus nõ aliud sit audisse quæ lecta sunt, quàm vidisse quæ gesta. Vnde cũ indubitabilẽ obtineat auditorẽ sacra narratio,
annitendũ est nobis auxiliante Domino, vt perspicuum ha-
beat intelligentia, quod notum fecit historia. Post illam nanque humanæ præuari-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cationis primam & vniuersalem ruinam, ex qua per vnum hominem introiuit peccatum in hunc mundum,& per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt,in quo omnes peccauerunt, nemo dominationem diaboli, nemo vincula diræ captiuitatis euaderet,nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam,aut reditus pateret ad vitam,nisi coæternus & coæqualis patri Deo filius Dei,etiam hominis filius esse dignaretur, veniens quærere & saluare quod perierat: vt sicut per Adam mors, ita per Dominum nostrum Iesum Christum esset resurrectio mortuorum. Non enim quia secundum inscrutabile propositum sapientiæ Dei, nouissimis diebus verbum caro factum est,ideo salutiferæ virginis partus,extremi tantùm temporis generationibus profuit,& non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum,omnis numerus apud secula priora sanctorum,sacra fidevixit,& placuit: & neq; patriarchis, neq; prophetis, neq; cuiquam omnino sanctorũ,nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus & iustificatio fuit, quæ sicut expectabatur multis prophetarum oraculis signisq; promissa,ita est etiam ipso munere atque opere præsentata. Vnde nunc (dilectissimi) in toto ordine dominicæ passionis,non ita infirmitatem consideremus humanam, vt arbitremur illic potentiam defuisse diuinam,neq; ita illam coæternam & æqualem patri formam vnigeniti cogitemus,vt putemus non fuisse vera, quæ Deo videntur indigna: Prorsus vtraq; natura vnus Christus,nec verbum ibi ab homine disunctum, nec homo est dissociatus à verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta maiestas: nihil nocuit naturæ inuiolabili quod passibili oportebat inferri , totumque illud sacramentum , quod simul & humanitas consummauit & deitas, dispensatio fuit misericordiæ,& actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur constricti,vt nisi per hanc opem non possemus absolui. Humilitas igitur diuinitatis,nostra prouectio est. Nos tanto redimimur precio,nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad iustitiam,à miseria ad beatitudinẽ esset recursus, nisi & iustus ad impios, & beatus inclinaretur ad miseros? Nõ est ergo (dilectissimi) erubescenda crux Christi,quæ de virtute est diuini consilij,non de conditione peccati. Quamuis enim ex infirmitate nostra verè passus dominus Iesus vereq; sit mortuus,non tamẽ se ita abstinuit à gloria sua,vt inter contumelias passionis,nihil diuinæ operationis exerceret. Nam cùm impius Iudas non iam ouina pelle velatus,sed lupino furore manifestus vim sceleris per speciem pacis incipiens,signum traditionis sæuiore omnibus telis osculo præbuisset,& multitudo furibunda,quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat,inter faces & laternas lumen verũ, tenebris obcæcata suis nõ cerneret,Dominus qui expectare potiùs turbas quàm declinare delegerat, sicut Ioannes Euangelista testatur, quem quærant nec dum inuentus interrogat,illisq; dicentibus,quòd Iesum quærerẽt:Ego sum,inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferocissimis cõgregatam,quasi quodam fulmineo ictu strauit atq; perculit,vt oẽs illi atroces, minaces atq; terribiles retroacti corruerent. Vbi fuit sæuitiæ conspiratio? vbi ardor irarum? vbi instructus armorũ? Dominus dicit: Ego sum,& ad vocem eius turba prosternitur impiorũ. Quid iam poterit maiestas eius iudicatura,cuius hoc potuit humilitas iudicanda? Veruntamen Dominus sciens,quid magis mysterio suscepto cõueniret,in hac potestate nõ perstitit,sed persecutores suos in facultatẽ dispositi sceleris redire permisit. Nã si teneri nollet, non vtiq; teneretur. Sed quis hominũ posset saluari,si ille se nõ sineret cõprehendi? Nã & beatus Petrus,qui animosiore constantia Domino cohærebat,& cõtra violentorũ impetus,feruore sanctæ charitatis exarserat, in seruũ principis sacerdotũ vsus est gladio,& aurem viri ferociùs instantis abscidit. Sed hũc zelantis apostoli pium motum progredi Dominus vltra non patitur,recondi gladiũ iubet, nec sinit se aduersus impios manu ferroque defendi. Contra sacramentum enim redemptionis nostræ,vt qui mori pro omnibus venerat,capi nollet: ne dilato gloriosæ crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior,& captiuitas humana diurnior. Dat ergo

Rom.5.

Luc.19.

1.Cor.15. Ioan.1. Hebr.1.

Christus omnium salus.

Iudæ scelus

Ioan.18.

Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18.

ergo in se furentibus licentiam sæuiendi,nec tamen etiam se talibus dedignatur indicare diuinitas. Aurem serui iam ipsa sectione demortuam,& à compage viuentis corporis alienam,in sedẽ dehonestati capitis reuocat manus Christi,reformat quod ipse formauerat: nec tardè caro sequitur eius imperium,cuius erat ipsa figmentum. Habent ergo diuinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus maiestatis suæ potentiã comprimit,& vim in se persecutoris admittit,ex illa est voluntate,qua dilexit nos,& tradidit semetipsum pro nobis,cooperãte in hoc ipso patre,qui filio proprio non pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vna est enim patris & filij voluntas, vt est vna diuinitas, de cuius dispositionis effectu, nihil vobis gratiæ Iudæi, nihil tibi Iuda debemus. Saluationi quidem nostræ nõ hoc vobis volentibus impietas vestra seruiuit,& per vos factum est, quicquid manus Dei & consilium decreuerunt fieri. Mors igitur Christi nos liberat,vos accusat. Meritò soli nõ habetis, quod omnibus perire voluistis. Et tamẽ tanta est bonitas nostri redemptoris,vt etiam postitis consequi veniam,si Christum Dei filium confitendo,illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustrà orauit, dicens: Pater dimitte illis,quia nesciunt quid faciunt. Quod remedium nec tẽ Iuda trãsiret, si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo enim,peccaui tradens sanguinem iustum,in impietatis tuæ perfidia perstitisti: quia Iesum non Deum Dei filium,sed nostræ tantummodò conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti. Cuius flexisses misericordiam,si eius non negasses omnipotentiam. Hæc hodiè (dilectissimi) pijs auribus insinuata sufficiant,ne fastidium de prolixitate subrepat. Quę autem desunt plenitudini,quarta feria auxiliante Domino reddenda promittimus,quoniam qui dedit quod locuti sumus,dabit,sicut credimus,quod loquemur,per Christum Dominum nostrum, Amen.

Apoc.1. Ephe.5. Rom.8.

Act.4.

Matt.27. Iudas non credidit Christum Deum.

Sermo secundus de passione Domini.

De conuersione latronis & signis factis in morte Christi ad confusionem Iudæorum.

EXigit fides (dilectissimi) vt partem sermonis quam de Domini passione promisimus,eodem auxiliante reddamus,in quo nos orationibus vestris non ambigimus adiuuari. Ad commune enim pertinet lucrum,si potueritis me habere deuotum: quia vestræ impenditur ædificationi,quicquid nostræ tribuitur facultati. Post illud ergo impium Iudę detestandumq; commercium,quo ab eo,Iudæis persequentibus,mundi redemptor est traditus,post illas sacrilegas illusiones inter quas vsq; ad locũ pœnæ,eius mãsuetudo producta est: crucifixi sunt cũ eo,statutis vtrinq; patibulis,latrones duo,quorum vnus vsq; ad id temporis par similisq;, consorti,insidiator viarum,& saluti hominũ semper infestus,vsq; ad crucẽ reus,sit Christũ repẽtè confessor,& inter illos acerrimos corporis animiq; cruciatus,quos simul & instãtia & difficultas mortis augebat,mira conuersione mutatus: Memento, inquit, mei Domine,dum veneris in regnum tuum. Quæ istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, cessauerat tunc languẽtium curatio,cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa,quæ mox erant gerenda,non aderant,& tamen Dominum confitetur & regẽ, quem videt supplicij sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipsa responsum. Ait enim ei Iesus: Amen dico tibi,hodiè mecum eris in paradiso. Eccedit humanam conditionẽ ista promissio, nec tam de ligno crucis, quàm de throno æditur potestatis. Ab illa altitudine præmiũ fidei datur,in qua chirographum

Luc.13. Latronis in cruce cõuersio.

Luc.23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phum humanæ trangressionis aboletur, quia se à forma serui, Dei forma non dirimit: dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem vnitatemq; suam seruauit, & deitas inuiolabilis, & natura passibilis. Adijcitur ad confirmationem spei nostræ, totius attestatio naturæ. Emittente spiritum Christo, omnia elementa tremuerũt. Densis tenebris splendor solis obductus, extra ordinariæ nocti subdidit diem: stabilitatem suam terra profundis concussionibus labefactata non tenuit, & petrarum firmitas, confracta soliditate dissiluit. Velum templi, quo priorum mysteria vlteriùs non erant obumbranda, discissum est, & multorum sanctorum corporibus excitatis, ad præmuniendam resurrectionis fidem monumenta patuerunt. In vos ergo Iudæi cœlum & terra sententiam tulit, vobis sol seruitutem suam diemq; subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines denegauerunt, & recedente à legibus suis ministerio creaturę, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio. Vobis enim dicentibus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros, meritò hoc tributũ est, vt quod vestri generis impia perdidit portio, assequatur hoc fidelis gentium plenitudo. Nos ergo (dilectissimi) quibus Dominus noster Iesus Christus crucifixus, non scandalum neq; stultia, sed dei virtus est Deiq; sapientia, nos inquam spiritale semen Abrahæ, non in prole seruitutis geniti, sed in familia libertatis renati, pro quibus in manu forti & brachio excelso de oppressione Aegyptiæ dominationis eductis, verus & immaculatus agnus, immolatus est Christus: amplectamur salutaris paschæ mirabile sacramentum, & ad eius imaginem, qui deformitati nostræ conformis factus est, reformemur. Erigamur ad eum, qui puluerem abiectionis nostræ, corpus secit gloriæ suæ, & vt resurrectionis eius mereamur esse consortes, humilitati & patientiæ ipsius per omnia congruamus. Magni nominis militiam, magnæ professionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere à regia non licet via, sed dignũ est temporalibus non occupari ad æterna tendẽtes. Et quia precioso sanguine Christi redempti sumus, glorificemus & portemus Deum in corpore nostro, vt ad ea quæ fidelibus præparata sunt, peruenire mereamur, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Signa facta in morte Christi.

Matt. 7.

2. Cor. 1.

1. Cor. 5.

1. Cor. 6.

Sermo tertius de passione Domini.

De gemina Christi natura, Iudæ desperatione, Petri trepidatione & conuersione, ac Iudæorum scelere & punitione.



Sacrificia priscæ legis quid significauerint.

NTer omnia (dilectissimi) opera misericordiæ Dei, quæ ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilq; sublimius, quàm quòd pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim sacrmẽto vniuersa præcedentium seculorum mysteria seruierunt, & quicquid hostiarum differentijs in prophetcis signis & legalibus institutis, sacra dispensatione variatum est, hoc prænunciauit depositũ, hoc promisit implendum: vt nunc imaginibus figurisq; cessantibus hoc prosit credere iam effectum, quod antea profuit credidisse faciendum. In omnibus igitur (dilectissimi) quæ ad Domini nostri Iesu Christi pertinent passionẽ, hoc catholica fides tradit, hoc exigit, vt in redemptorem nostrum duas nouerimus conuenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factam vnitatem vtriusque substantiæ, vt ab illo tempore quo sicut humani generis causa poscebat, in beatæ virginis vtero verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disiungit. Nihil ibi ab inuicem vacat, tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas, nec infert vnitas confusionem, nec dirimit proprietas vnitatem.

Ioan. 1.

Aliud

Aliud est passibile, aliud inuiolabile, & tamen eiusdem est contumelia, cuius & gloria. Ipse est in infirmitate, qui & in virtute, idem mortis capax, & idem est victor mortis. Suscepit ergo totum hominem Deus, & ita se illi, atque illum sibi misericordiæ & potestatis ratione conseruit, vt vtraque alteri natura inesset, & neutra in alteram à sua proprietate transiret. Sed quia dispensatio sacramenti, ad reparationem nostram ante secula æterna dispositi, nec sine humana infirmitate, nec sine diuina erat consummanda virtute: agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est: verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Aliud ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, hoc naturam nostri generis non relinquit. Veruntamen etiam ipsa receptio passionum, non ita est nostræ affectioni humilitatis exposita, vt à potentia sit diuinitatis abiuncta. Quicquid Domino illusionis & contumeliæ, quicquid vexationis & pœnæ intulit furor impiorum, non de necessitate toleratum est, sed de voluntate susceptum. Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat, & sic ad omnium redemptionem vtebatur malitia persequẽtium, vt in mortis eius resurrectionisq; sacramento etiam interfectores sui pollent salui esse si crederent. Vnde sceleslior omnibus Iuda & infelicior extitisti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis leti suspendium distulisses: cumq; cõscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem te à præcipitio tuo sacramenta reuocassent, quæ in paschali cœna iam de perfidia tua signo diuinæ scientiæ detectus, acceperas. Cur de eius bonitate diffidis, quæ te à corporis & sanguinis sui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum se cum turbis & armatorum cohorte venienti, pacis osculum non negauit? Sed homo inconuertibilis, spiritus vadens & non reuertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dexteris tuis, iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorsisti, vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem. Cum igitur esset Deus in Christo mundum reconcilians sibi, & creatoris sui imaginem reformandam creator ipse gestaret, peractis miraculis operum diuinorum, quæ propheticus olim spiritus gerenda prædixerat: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, tunc saliet claudus vt ceruus, & plana erit lingua mutorum: sciens Iesus tempus adesse glorioſæ passionis implendæ: Tristis est, inquit, anima mea vsque ad mortem. Et iterum: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Quibus verbis quandam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat, vt susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dues atq; misericors negociator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens & sua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam, & cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim millia angelicarum seruire leonum, malebat nostram recipere formidinẽ, quàm suam exercere potestatẽ. Quantum aũt vniuersis fidelibus hac humilitate collatum sit, primus beatissimus apostolus Petrus expertus est, qui cùm illum instantis sæuitiæ vehementior procella turbasset, ad reparationem vigoris celeri mutatione conuersus est, sumens de exemplo remedium, vt tremefactum repentè membrum rediret ad sui capitis firmitatem. Non enim posset domino seruus, & magistro maior esse discipulus, qui humanæ trepidationem fragilitatis non vinceret, nisi victor mortis ante tumuisset. Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium & conspuentium iniurias constitutus, illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus eum prædiderat

uiderat

Luc. 19.

Iudas accepit corpus Domini.

Ioan. 18.

Matt. 26.

Psal. 77.

Psal. 108.

2. Cor. 5.

Esai. 35.

Luc. 22.

Matt. 26.

Ibidem.

Matt. 10.

Ioan. 15.

Matt. 26.

Petri conuersio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiderat esse turbandum, & in illum conuersa est veritatis inspectio, ybi erat cordis facienda correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me sequere: meæ passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicij. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus. Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersum Iesum, vt eum morti traderent. Hoc mane Iudæi non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodijt, sed impijs mentibus nox terræ cæcitatis incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit, legem & prophetas ademit, regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit. Inistis enim insanum cruentumq; consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, vt morti authorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis, & tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis, vt clamoribus improbis trepido cognitore superato interfectorem hominum eligeretis ad veniam, & saluatorem mundi peteretis ad pœnam. Post hanc damnationem Christi, qua excusata est Pilati præsidis ignauia magis quàm potestas, qui lotis manibus, & ore polluto ijsdem labijs Iesum misit ad crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem, multas illusiones Domino, sacerdotalibus seruiens oculis, licentia popularis ingessit, & in mansuetudinem eius, qui hoc sponte tolerabat, furens turba sæuiuit. Sed quia multum est (dilectissimi, vt omnia hodiernus sermo percurrat, in quartam feriam, qua lectio dominicæ passionis iterabitur, residua differantur. Præstabit enim Dominus orantibus nobis, vt ipsius dono, quod promittimus, impleamus, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Matt. 27.

Iudæorum punitio.

Matt. 27.

Sermo quartus de passione Domini.

De significatione latronum & crucis mysterio prædicto.

EXpectationi vestræ (dilectissimi) quod debetur, Domino largiente reddendum est promerentibus orationibus vestris, vt nos ad soluendum faciat idoneos, qui vos ad exigendum fecit intentos. Loquentes enim proximè de passione Domini vsque ad Euangelicæ historiæ venimus locum, in quo Pilatus impijs Iudæorum clamoribus, vt Iesus crucifigeretur, cessisse narratur. Peractis itaque omnibus, quæ diuinitas fieri carnis velamine temperata permisit, Iesus Christus filius Dei cruci, quam etiam ipse gestarat, adfixus est, duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, similiter crucifixis, vt etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, cùm & saluandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret. Passio igitur Christi, salutis nostræ continet sacramentum, & de instrumento, quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam. Quam Dominus Iesus ita adomnium hominum suscepit salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur adfixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret & diceret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Principes autem sacerdotum, quibus indulgentiam saluator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus amplius sæuire non poterant, linguarum tela iaciebant, dicentes: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: De quo erroris fonte Iudæi, de quo inuidiæ lacu, talium blasphemiarũ venena

Latronum in cruce significatio.

Luc. 13.

Matt. 27.

venena potaslis? Quis vobis magister, tradidit, quæ doctrina persuasit, quòd illum regem Israel, illum Dei filium credere deberetis, qui se crucifigi non sineret, aut à confixione clauorum liberum excuteret? Non hoc vobis legis mysteria, nõ paschalis obseruantiæ sacramenta, nec vnquam vlla prophetarum ora cecinerunt. Sed illud verè abundeq; legistis, quod ad detestabilem vestri sceleris impietatem, & ad voluntariam Domini pertinet passionẽ. Ipse enim per Esaiam loquitur: Dorsum meũ ad flagella dedi, maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non auerti à confusione sputorum. Ipse per Dauid: Dederunt, inquit, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Et iterum: Circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et ne sceleris tantùm vestri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænunciata crucifixi, non quidem legistis, Dominus descẽdit de cruce, sed legistis: Dominus regnauit à ligno. Crux ergo Christi, sacramentum veri & prænunciati habet altaris, vbi per hostiam salutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati agni, antiquæ præuaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicę dominationis conterebatur aduersitas, & de elatione superbiæ, victrix humilitas triumphabat: cùm tam velox esset fidei effectus, vt de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum filium Dei credidit, paradisum iustificatus intrauerit. Quis tanti muneris explicet sacramentum? Quis potẽtiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto, longorum scelerum reatus aboletur, inter luctantis animæ dura tormenta hærens patibulo transit ad Christum, & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam. Hinc iam degustato aceto, quod illa dabat vinea, quæ ab authoris sui plantatione degenerans, conuersa fuerat in amaritudinem vitis alienæ, Dominus, Consummatum est, ait: Hoc est, completæ sunt scripturæ. Non est ampliùs, quòd insaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quàm me passurum esse prædixi. Peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis. Inclinato itaque capite emisit spiritum, & in corpus die tertio suscitandum, quietem placidi soporis admisit. Cui sacramento cùm se vitæ author impenderet, & ad tantam diuinæ maiestatis inclinationem totius mundi compago quateretur, cùm facinus impium, omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam ipsa elemẽta proferrent, quis vobis animus Iudæi, quæ conscientia fuit: quando & iudicium vos vniuersitatis vrgebat, & reuocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat? Qualis confusio vos operuit? quæ cor vestrum pœna suscepit? Cum igitur (dilectissimi tanta sit misericordia Dei, vt etiam de tali populo multos per fidem iustificare dignatus sit, & nos sub veteris quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes, in patriarcharum societatem, & in sortem electi generis adoptarit: ad altitudinem spei nostræ non segniter, neque cum * torpore curramus, sed prudenter atque fideliter cogitantes, de quali captiuitate, & quàm misera seruitute, quo precio redempti, & quo brachio sumus educti, glorificemus Deum in corpore nostro, vt habitare eum in nobis, ex ipsa conuersationis nostræ probitate monstremus. Et quia nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ & puritas castitatis: his nos præsidijs specialiùs instruamus, vt charitatis opere, & nitore pudicitiæ, tanquam duabus eleuati alis, de terrenis mereamur esse cœlestes. Quo desiderio quisquis gratia Dei adiutus impletur, & de profectu suo non in se, sed in Domino gloriatur, hic legitimè honorat paschale sacramentum, huius limina vastator angelus sanguine agni & signo crucis prænotata, non intrat. Is plagas Aegyptias non pauescit, & ijsdem aquis hostes relinquit extinctos, quibus est ipse saluatus. Amplectamur itaque (dilectissimi) purificatis mentibus atque corporibus, salutis nostræ mirabile sacramentum, & ab omni fermento malitiæ veteris emundati, pascha Domini cum digna obseruatione celebremus, vt regente nos spiritu sancto,

Esai. 53.

Psal. 68.

Psal. 21.

Psal. 95.

Crux Christi cuius rei sacramentum.

Amos 6.

Matt. 21.

Ioan. 29.

* *tepore*

1. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cto,à charitate Christi nullis tentationibus separemur, qui in sanguine suo pacificans omnia,& in altitudinem paternæ glorię se recepit,& humilitatem sibi seruientium non reliquit,cui est honor & gloria in secula,Amen.

Sermo quintus de passione Domini.

Quòd necesse fuerit Christum esse Deum & hominem,& de pœnitentia Iudæ.

Spes nostra crux Christi.

CReator & dominus omnium rerum Christus, post inusitatum sacræ virginis partum,post adorata Magorum confessione cunabula, & post multiplicem doctrinam cœlestis eloquij, & variarum curationum medelas,imperio verbi potentis effectas,dispensationem omnium sacramẽtorum omniumq; virtutum, salutifera passione consummat. Christianæ igitur spei (dilectissimi) vera ratio & principalis causa crux Christi est: quæ licet Iudæis sit scandalum,gentibus autem stultitia,nobis tamẽ Dei virtus est,Deiq; sapientia. Vnde summũ hoc potentissimũ diuinæ misericordiæ sacramentum semper quidem in cordibus nostris,cum tota sui dignitate retinendum est, sed nunc viuaciorem animi sensum, & puriorem exigit mentis intuitum,quando nobis non solùm recursu temporis,sed etiam textu Euãgelicæ lectionis,omne opus nostræ salutis ingeritur.Nihil ergo apud nos loci cogitationes habeant impiorum,nec integritatem sanæ intelligentiæ,aut Iudaica offensio,aut gentilis corrumpat irrisio: vt quod non solùm pro nobis humiliter,sed etiam sublimiter gestum est,aut secundum hominem impossibile, aut secundum Deum videatur indignum. Vtrunque autem recipi,vtrunque conuenit credi,quia nemo hominum potest,nisi in vtroque saluari. Iustus enim & misericors Deus non sic iniuria suæ voluntatis est vsus,vt ad reparationem nostram,solam potentiam benignitatis exerceret: sed quia consequens fuerat,vt homo faciens peccatum seruus esset peccati,sic medicina ægris,sic redemptio est impensa captiuis, vt condemnationis iustæ sententia iusto liberatoris operè solueretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret deitas,non tam ratio diabolum vinceret,quàm potestas. Et rursum, si causam lapsorum sola ageret natura mortalium, non erueretur à conditione, quæ libera non esset à genere. Vnde oportuit in vnum dominum nostrum Iesum Christum, & diuinam & humanam conuenire substantiam, vt mortalitati nostræ per verbum carnem factum,& origo noui hominis subueniret & passio. Cum igitur in Christo Iesu Iudæorum duritia,quæ sunt diuina,gentilium cæcitas quæ sunt humana contemnat,illis aduersus gloriam Domini calumniantibus, istis contra humilitatem superbientibus, nos Dei filium, & in suis virtutibus, & in nostris infirmitatibus adoramus. Nec erubescimus crucem Christi, & inter contradicentium linguas,nec de morte ipsius,nec de resurrectione dubitamus. Quoniam quod superbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad vitam dirigit: & quod apud illos est materia confusionis,hoc apud nos est causa pietatis. Admonitis igitur discipulis Dominus, vt contra vim tentationis instantis vigilanti oratione certarent, ipse patri supplicans, ait: Pater si possibile est,transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo,sed sicut tu. Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optauit ex nostro,hoc elegit in proprio. Nec enim æqualis patri filius omnia esse possibilia Deo nesciebat,aut suscipiendum crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, vt hanc diuersarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodò ratione pateretur.Sed vt susciptentis susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis diuinam desiderauit potentiam, quod erat Dei, ad causam respexit humanam.Superiori igitur voluntati voluntas cesit inferior,& eatò de-

Matt.26.

Ioan.8.

Rom.8.

tò demonstratum est,quid posit à trepidante orari,& quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos quid oremus,sicut oportet, nescimus,& vtile nobis est, ne fiat plerunque quod volumus: Deus iustus & bonus,quando ea quæ nocitura sunt, petuntur,negando miseretur. Voluntatis ergo nostræ correctionem Dominus cùm trina oratione firmasset, grauatis adhuc mœrore discipulis: Dormite iam, inquit, & requiescite. Ecce appropinquauit hora,& filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus hinc. Ecce appropinquauit,qui me tradet. Inter ipsa autem verba Domini,qui prædicti fuerant,irruerunt,& cum gladijs & fustibus comprehensura Christum turba confluxit,ducem sequens Iudam Iscariot: qui priuilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum. Huic ne criminis caulam aliqua præberet offensio,nulla est negata dignatio. Sed illius spiritu inflammatus exarsit, cui ministerium sponte præbuit, & qualem habuit mentem, talem inuenit & præsidem. Meritò, sicut & propheta prædixerat: Oratio eius facta est in peccatum: quoniam consummato scelere,tam peruersa impij conuersio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret. Admittit ergo in se filius Dei impias manus, & quod sæuientium furore agitur,patienti potestate compleuit. Hoc enim erat illud magnæ pietatis sacramentum,quod Christus confectabatur iniurijs: quas si aperta potentia & manifesta virtute propelleret, diuina tantùm exerceret, non humana curaret. In omnibus autem, quæ illa popularis & sacerdotalis insania contumelioſe & procaciter inferebat, nostræ diluebantur maculæ, nostræ expiabantur offensæ: quia natura, quæ in nobis victa semper fuerat atque captiua, in illo innocens patiebatur & libera, vt ad auferendum peccatum mũdi,ille agnus se hostiam offerret,quem & omnibus corporalibus substantia iungeret, & ab omnibus spiritalibus origo discerneret. Hæc hodie (dilectissimi) auribus vestris insinuata sufficiant. Cætera in quartam feriam differãtur,auxiliante Domino orationibus vestris,qui præstare dignabitur, vt quod promittimus,impleamus, Amen.

Luc.22.

Psal.108. Pœnitentia Iudæ peruersa.

Sermo sextus de passione Domini.

Quomodo Christus ductus sit ad Caipham,de diruptione vestimentorum eius, & quomodo Christus ad se omnia traxerit.

SPonsionis nostræ memores (dilectissimi) sanctitati vestræ reddimus,quod debemus ad futuram sperantes gratiam Dei,vt inde nobis proueniat deuotio,vnde est incitata promissio. Comprehensus Christus Dominus à turbis,quas principes sacerdotum & doctores legis armauerant,vt impleret dispensationem,cohibet potestatem, & beatum apostolum Petrum humana aduersum irruentes animositate commotum, gladio abstinere præcepit. Superfluum enim erat, vt qui nolebat præsidio angelicarum legionum iuuari,vellet se vnius discipuli oppositione defendi. Perpetrauerit licet turba ferox quod voluit, & de sceleris sui exultarit affectu,maior tamen comprehensi virtus, quàm comprehendentium fuit. Iudæorum enim cæcitas nihil obtinuit,nisi vt sua impietate se perderet. Christi verò patientia hoc egit,vt omnes sua passione saluaret. Perducto autem Iesu ad Caipham principem sacerdotum,quo scribæ & omnis sacerdotalis ordo conuenerat,falsa aduersus Dominum testimonia quærebantur. Sed inconditas & dissonas voces hoc Iesus mirabiliter elegerat,vt taceret. Caiphæ autem dicenti: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei: ita veraci & prouida authoritate respondit,vt ijsdem verbis,& infidelium conscientias cæderet,& credentium corda firmaret,ad omnem interrogationem eius referens, Tu dixisti: addensq; quod sequitur:

Matt.26.

Ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli. Caiphas autem ad exaggerandam auditi sermonis inuidiam, scidit vestimenta sua, & nesciens quid hac significaret insania, sacerdotali se honore priuauit. *Caiphæ furor.* Vbi est Caipha rationale pectoris tui? vbi est continentiæ cingulum? vbi superhumerale virtutum? Mystico illo sacratoq; amictu ipse te spolias, & proprijs manibus pontificalia indumenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe sacerdotum: *Leuit. 21.* De capite suo cidarin non deponet, & vestimenta sua non disrumpet. Tu verò, à quo iam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestandum finem veteris instituti, pertinet eadem diruptio sacerdotij. Hinc iam (dilectissimi) inter multiplicatas illusiones nocte transacta, vinctum Iesum Pilato præsidi tradiderunt. Principes enim sacerdotum & seniores populi, hoc consilio rem gerebant, vt ab actione sceleris sui viderentur immunes, subtrahentes opera manuum, & exerentes tela linguarum, nolentes interficere. & clamantes crucifige crucifige. Quid hac specie religionis iniustius? quid hac clementiæ simulatione crudelius? Qua lege Iudæi, quod vobis non licet facere, *Matt. 27.* licet velle? qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occisione eius metuitis, cuius super vos & super filios vestros fundi sanguinem postulastis. Si non totum facinus vestra impietas peragit, permittite præsidem iudicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graues atque violenti, in id eum declinare non sinitis, à quo ipsi mendaciter abstinetis. Peccauerit Pilatus faciendo quod noluit, in vestram tamen conscientiam confluit, quicquid furor vester extorsit. Talis etiam illic vestra obseruantia fuit, vbi precium, quod vobis Christi venditor reportauit, mitti in gazophylacium noluistis, cauentes scilicet, ne sacros loculos pecunia cruenta pollueret. Cuius cordis est ista simulatio? Sacerdotum conscientia capit, *Matt. 27.* quod templi arca non recipit. Refutatur illius sanguinis taxatio, cuius non timetur effusio. Quantislibet ita vos fallaciæ circuntegatis vmbraculis, initum est cum traditore commercium, quo iustum sanguinem, sicut non licuit comparari, ita de- *Ibidem.* buit non effundi. Seditiosis igitur clamoribus Iudæorum sedente Pilato in loco, cui nomen est Golgata, crucifigitur Christus per lignum, etigitur lapsus in ligno, *Ioan. 12* & gustu fellis & aceti diluitur esca peccati. Meritò priusquàm traderetur, dixerat *Omnia vt Christus ad se traxerit.* Dominus: Cùm exaltatus fuero, omnia ad me traham, id est, totam causam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga sanabitur. Exaltatum autem Iesum ad se traxisse omnia, non solùm nostræ substantię passione, sed etiam totius mundi commutatione monstratum est. Pendente enim in patibulo creatore, vniuersa creatura cõgemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui & terram traxit & cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum, radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus authori, vt in occasu cõditoris sui, vellent vniuersa finiri. Sed patientia Dei seruat rebus atque temporibus ordinem suũ, nosq; in illum potiùs vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimen horremus. Tanto igitur precio, tanto sacramento eruti de potestate tenebrarum, & ab antiquæ captiuitatis vinculis absoluti, date operam (dilectissimi) vt integritatem mentium vestrarum, nulla diabolus arte corrumpat. Quicquid nobis contra Christianam fidem ingeritur, quicquid contra mandata Dei suadetur, de illius deceptionibus venit: qui nos innumeris dolis ab æterna vita conatur euertere, captando quasdam occasiones infirmitatis humanæ, per quas incautas negligentesq; animas in laqueos iterum fuæ mortis inducat. Omnes ergo per aquam & spiritum sanctum renati, recolant, cui renunciauerint, & qua professione iugum à se tyrannicæ dominationis excusserint, nec in secundis quisquam nec in aduersis ad *Ioan. 8.* mortiferum diaboli currat auxilium. Ille enim mendax est ab initio, & in sola viget arte fallendi, humanam ignorantiam falsæ scientiæ ostentatione decipiat, sitq; eorum

eorum nunc malignus impulsor, quorum pòst futurus est improbus accusator. Anni vitæ nostræ & actionum temporalium qualitates, nec in natura elementorum, *Contra mathematicos.* nec in stellarum effectibus, sed in summi & veri Dei potestate consistunt, cuius auxilium & misericordiam, in omnibus quæ obtinere cupimus, implorare debemus. *Quorum nullus id affirmat.* Sicut enim illo quod absit, offenso nihil est, quod nobis valeat suffragari, ita eodem propicio, nulla nobis nocebit aduersitas. Quoniam si pro nobis Deus, quis contra *Rom. 8.* nos? qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit? qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo septimus de passione Domini.

Cur Christus mori voluerit in festo Paschæ, & de traditione Iudæ, & oratione Christi.

SCio quidem (dilectissimi) paschale festum tam sublimis esse mysterij, vt non solùm humilitatis meæ tenuissimum sensum, sed etiã magnorum ingeniorum superet facultatem. Sed non ita mihi diuini operis consideranda est magnitudo, vt vel diffidam vel erubescã de seruitute quam debeo, cùm sacramentum salutis humanæ nõ liceat tacere, etiamsi nequeat explicari. Auxiliantibus etiam orationibus vestris adfuturam credimus gratiam Dei, quæ inspirationis suæ rore sterilitatem nostri cordis abstergat, vt linguæ pastoralis officio, quæ sancti gregis auribus sint vtilia proferantur. Dicente enim Domino bonorum omnium largitore: Aperi os tuum, *Psal. 80.* & ego implebo illud, audemus eidem verbis propheticis dicere: Domine labia mea *Psal. 50.* aperies, & os meum annuncibit laudem tuam. Incipientes igitur (dilectissimi) Euãgelicam de passione Domini historiam retractare, diuino intelligimus dispositum fuisse consilio, vt sacrilegi Iudæorum principes, & impij sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpe quæsiuerant, non nisi in solennitate paschali, exercendi *Christus cur in parasceue passus.* furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immulatione agni diuinitus per Mosen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nunciarant. Vt ergo vmbræ ce- *In Eucharistia veritas corporis Christi.* derent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Vnde cũ scribas & seniores populi ad impietatis concilium pontifices congregarent, omniumq; animos sacerdotum cura admittendi in Iesum sceleris occupasset, ipsi se doctores legis lege priuarunt, & spõtaneo defectu ritus sibi patrios abstulerunt. Incipiente enim festiuitate paschali, qui ornare templum, mundare vasa, victimas prouidere, & legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerãt, paricidalis odij furore concepto ad vnũ opus vacant, & in vnum facinus simili crudelitate coniurant. Quid assecuturi supplicio innocentiæ, condemnatione iustitiæ, nisi vt & noua mysteria non apprehenderent, & antiqua violarent? Prouidẽtibus ergo principibus, ne in die festo tumultus oriretur, non deuotioni sed facinori studebatur, nec religiom seruiebat hęc cura, sed crimini. Diligentes enim pontifices & soliciti sacerdotes, seditiones turbarũ fieri in præcipua solennitate metuebant, non vt populus non peccaret, sed ne Christus euaderet. At Iesus consilij sui certus, & in opere paternæ dispositionis intrepidus, vetus testamentum consummabat, & nouum pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis ad edendam mysticam cœnam, cùm in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi: ille corporis & sanguinis sui ordinãs sacramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudas quoque Christi corpus accepit. Matt.16.

cramentum,docebat qualis Deo hostia deberet offerri,nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto,vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus,qui in voluntaria erat impietate perstiturus.Ipse enim sibi fuit materia ruinæ & causa perfidiæ, sequés diabolum ducem,& nolens Christum habere rectorem.Dicens itaq; Dominus:Amen dico vobis,quòd vnus vestrum me traditurus est,notam sibi traditoris ac proditoris conscientiam demõstrauit: non aspera nec aperta impium increpatione cõfundens, sed leni ac tacita admonitione conueniens,vt faciliùs corrigeret pœnitudo,quę nulla deformasset abiectio. Cur infelix Iuda,tanta benignitate non vteris? Ecce parcit auribus tuis Dominus, & nulli te, nisi tibi indicat Christus, nec nomen tuum, nec persona detegitur,sed veritatis & misericordiæ verbo,cordis tui tantùm arcana tanguntur.Non apostolici ordinis honor,non sacramentorum tibi communio denegatur.Redi in integrum,& deposito furore resipisce.Clemẽtia inuitat,salus pulsat, ad vitam vica te reuocat. Ecce immaculati& innocentes condiscipuli tui ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi, non ædito impietatis authore, formidant.Contristati enim sunt,non de conscientiæ reatu,sed de humanæ mutabilitatis incerto,timentes ne minùs verum esset,quod in se quisq; nouerat, quàm quod

Ibidem.

ipsa veritas præuidebat.Tu autem in hac trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia,& abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo euidentiore terreris.Cumq; se à cibo alij,in quo iudicium Dominus polluerat,continerent,tu manum non retrahis à paropside,quia animã non auertis à crimine. Se-

Ioan.13.

cutum est itaq; (dilectissimi) sicut Ioannes Euangelista narrauit,vt eũ traditori suo Dominus manifestiùs designando,panem porrexisset intinctum,totum Iudam diabolus occuparet,& quę malignis cogitationibus obligarat,iam ipso impietatis opere possideret.Corpore enim tantùm cum cœnantibus recumbebat,mente autem sacerdotum inuidiam,testium falsitatem,& furorem imperitæ plebis armabat. Denique videns Dominus,cui flagitio Iudas esset intentus,Quod facis,inquit, fac citiùs.

Ibidem.

Vox hæc non rubentis est,sed sinentis, nec trepidi,sed parati, qui habens omnium temporum potestatem,ostendit se moram non facere traditori,& sic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem,vt facinus,quod à persequentibus parabatur,nec impelleret,nec timeret.Postquàm igitur Iudas persuasus à diabolo,discessit à Christo,seq; à corpore apostolicæ vnitatis abscidit,nullo Dominus pauore turbatus,sed de sola redimendorum salute solicitus,omne temporis spatiũ,quod à persequentium vacabat incursu,mysticis sermonibus sacratæq; doctrinæ,sicut Ioannis

Ioan.17.

Euangelio declaratur,impendit,eleuans ad cœlum oculos,& pro vniuersa Ecclesia supplicans patri,vt omnes quos dedisset,daturusq; esset filio pater,vnum fierent, & in gloria redemptoris indiuidui permanerent,adijciens postremò illam orationem,

Matt.26. Christus vt à se calicẽ transferri petierit. Ibidem. Ioan.3. Colos.1.

qua ait:Pater si fieri potest,transeat à me calix iste.Vbi non existimandum est,quòd Dominus Iesus passionem & mortem,cuius iam discipulis sacramenta tradiderat, voluerit declinare,cùm ipse beatum apostolum Petrum,deuota fide & charitate feruentem,vti aduersum persecutores gladio vetet,dicens: Calicem quem dedit mihi pater,non vis vt bibam illum?certumq; sit,quod & Dominus ipse testatus est dicẽs: Sic enim Deus dilexit mundum,vt filium suum daret vnigenitum,vt omnis qui credit in eum,non pereat,sed habeat vitam æternam:& quod de ipso ait apostolus Paulus:Christus nos dilexit,& tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suauitatis. In saluandis enim hominibus per crucem Christi, communis voluntas erat patris & filij,communeq; consilium,nec vlla poterat ratione turbari,quod ante æterna secula,& misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitũ. Qui ergo verum totũq; hominem adsumpsit, veros & corporis sensus & animi suscepit effectus.Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis,plena miraculis,ideo aut falsis lachrymis fleuit,aut mendaci esurie sumpsit cibũ, aut simulato sopore dormiuit.In nostra humilitate cõtemptus,in nostra mœstitudine cõtristatus, in nostro est dolore crucifixus.Passionem enim mortalitatis nostræ ob hoc virtus recepit, vt

vinceret

vinceret,quod Isaias apertissimè prophetauit, dicens: Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet,& nos putauimus illum esse in dolore & plaga & vexatione.Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra,& infirmatus est propter facinora nostra, & liuore eius sanati sumus. Cùm itaq; (dilectissimi) Dei filius dicit:Pater si fieri potest,transeant à me calix ille,nostræ vtitur voce naturæ,& causam fragilitatis & trepidationis agit humanæ. vt in ijs quæ toleranda sunt,& patientia roboretur,& formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere exculato quodammodo nostræ infirmitatis metu,in quo nobis remanere non expedit,in alium affectum transit, & dicit:Veruntamen non sicut ego volo,sed sicut tu.Et iterum: Si non potest, inquit, calix iste transire à me nisi bibam illum,fiat voluntas tua.Hæc vox capitis,salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronauit.Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus patiens,patri diceret:Fiat voluntas tua?Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesię filij,magno precio redempti,gratis iustificati: & cùm aduersitas violentiæ alicuius tẽtationis incubuerit,præsidio potentissimæ rationis vtantur,vt superato tremore formidinis,accipiant tolerantiam passionis.Hinc iam (dilectissimi) ad perstringendum ordinem dominicæ passionis sermo est dirigendus,quem ne vos cumulo prolixitatis oneremus,in quartam sabbati,diuiso communi labore differamus. Aderit precantibus nobis gratia Dei, quæ mihi soluendi debiti tribuat facultatem,per Dominum nostrum Iesum Christum,qui viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

Psal.53.

Ex Christi vox: Fiat voluntas tua, quàm sit efficax.

Sermo octauus de passione Domini.

De peccato Pilati ac Iudæorum,mysterio quoque & gloria crucis,& de Simone Cyrenæo.



Decursis(dilectissimi)sermone proximo ijs,quæ comprehensionem Domini præcesserunt, superest nunc, vt auxiliante Dei gratia, de ipso iam passionis ordine,sicut promisimus,differamus. Nam cùm verbis sacræ orationis suæ Dominus declarasset, verissimè sibi atq; plenissimè & humanam & diuinam inesse naturam,ostendens vnde esset quod pati nollet,& vnde quod vellet,depulsa trepidatione infirmitatis,& confirmata magnanimitate virtutis, rediit in sententiam suæ dispositionis æternæ, & sæuienti diabolo per ministeria Iudæorum, formam serui nihil peccati habentis obiecit, vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa.Irruerunt ergo in lumen verum filij tenebrarum,& vtentes faculis atq; laternis,non euaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerũt lucis authorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi: qui si vellet obniti,nihil quidẽ in iniuriam eius impiæ manus possent,sed mundi redemptio differretur,& nullũ saluaret ille ęsus,qui pro omniũ salute erat moriturus.Sinens igitur inferri sibi,quicquid sacerdotũ instinctu furor popularis audebat,ad Annam Caiphæ socerũ,ac deinde ad Caipham ex Annæ transmissione perducitur, & post insanas calumniantium voces,post cõmentitias subornatorum testium falsitates, ad examen Pilati Pontificum delegatione transfertur.Qui diuino iure neglecto, clamãtes se regem non habere,nisi Cæsarem,tanquàm Romanis deuoti legibus,omne iudicium potestati * præsidis reseruassent,expetierunt executoré magis sæuitiæ,quàm arbitrum causæ. Offerebant enim Iesum duris nexibus vinctum,colaphis & alapis frequentibus cæsum,sputis oblitum, clamoribus prædamnatum: vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absoluere. Denique nec in accusato eum reperisse culpam, nec in sententia sua tenuisse constantiam docet ipsa cognitio: in qua iudex, quem innocentem pronunciat, damnat,

Matt.17.

** Cæsaris*

Universidad de Deusto
Biblioteca

addicens iniquo populo sanguinem iusti, à quo abstinendum sibi, & intellectu proprio senserat, & somnio vxoris nouerat. Nec purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mẽte committitur. Excesit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & inuidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse euasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transiuit alienum. Quod ergo Pilatus (dilectissimi) implacabilis populi victus insania, multis Iesum dehonestari ludibrijs, & immodicis vexari permisit iniurijs, quodq; eum flagellis cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutum, persequentium ostentauit aspectui, mitigandos proculdubiò inimicorum animos existimauit, vt exaturatis inuidiæ odijs, non vltrà iam crederent persequẽdum, quem tot modis intuebantur afflictum. Sed cum inardesceret ira clamantium, vt Barabbam indulgentia relaxaret, & Iesum crucis pœna susciperet, cùm consono fremitu diceretur à turbis: Sanguis eius super nos & super filios nostros, obtinuerunt iniqui in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant: quorum dentes, sicut Propheta attestatus est, arma erant & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Frustrà enim à crucifigendo maiestatis Domino manus proprias continebant, in quem letalia vocum spicula, & venenata verborum tela iaciebant. Vobis, vobis, falsi Iudæi & sacrilegi principes populi, totum facinoris istius pondus incumbit, & licet immanitas sceleris & præsidem obligarit & milites, omnis tamen facti summa vos arguit: & quicquid in supplicio Christi, vel Pilati peccauit iudiciũ, vel cohortis obsequiũ, hoc vos facit humani generis odio digniores: quia vestri furoris impulsu, nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit. Traditus itaque Dominus sæuientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur quod Esaias propheta præuiderat, dicens: Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius. Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, & diceret: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Euntibus autem cum Iesu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inuentus est, in quem lignum crucis transfertur à Domino, vt etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum & mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo: Si compatimur, & conregnabimus: vt sacratissimo saluatoris opprobrio, non Hebræus quisquam nec Israelita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translatorem, à circuncisione ad præputium, à filijs carnalibus filios spiritales, immaculati agni propitiatio, & omnium sacramẽtorum plenitudo transibat. Siquidem pascha nostrum, vt ait Apostolus, immolatus est Christus, qui se nouum & verum reconciliationis sacrificium offerens patri, non in templo, cuius iam erat finita reuerentia, nec intra septa ciuitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris & extra castra crucifixus est, vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari: & crux Christi, non templi esset ara, sed mundi. Exaltato igitur (dilectissimi) per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Mosen dictum est: et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo cõscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quem spiritus veritas illuminat, gloriam

Pilati scelus & iudicium.

Matt. 27.

Psal. 59.

Iudæorum scelus.

Esai. 9.

Crucis mysterium.

Matt. 10.

Matt. 27.

Simonis Cyrenæi mysteriũ.

Rom. 8.

1. Cor. 5.

Hebr. 13.

Deut. 28.

gloriam crucis cœlo terraq; radiantem puro ac libero corde susciat, & interiore acie videat, quale sit, quod Dominus cùm de passionis suæ loqueretur instantia, dixit: Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Et infrà: Nunc, inquit, turbata est anima mea, & quid dicam? Pater, salua me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica filium tuum. Et cùm vox patris venisset è cœlo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. respondens Iesus circunstantibus, dixit: Non propter me vox hæc facta est, sed propter vos. Nunc iudicium mundi est, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum. O admirabilis potentia crucis. O ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cœli, & cõuerso in noctem die, terra quoq; motibus quateretur insolitis, vniuersaq; creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam sciso templi velo, sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoq; sacramento, vniuersarum vbiq; nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarũ, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente sit regnum. Cõfiteamur igitur (dilectissimi) quod beatus magister gentium Paulus apostolus glorioſa voce confessus est, dicens: Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia Dei, quòd non pro iustis neq; pro sanctis, sed pro iniquis & impijs Christus mortuus est, & cùm mortis aculeum recipere nõ posset natura deitatis, suscepit tamen nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostræ mortis suæ potentiam minabatur, dicens per Osee prophetam: O mors, ero mors tua, & ero morsus tuus inferne. Leges enim inferni moriendo subijt, sed resurgendo dissoluit, & ita perpetuitatẽ mortis incidit, vt eam de æterna faceret temporalem. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Fiat itaq; (dilectissimi) quod apostolus Paulus ait: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit. Et quia vetera transierunt, & facta sunt omnia noua, nemo in carnalis vitæ vetustate remaneat, sed omnes de die in diem proficiendo, per pietatis augmenta renouentur. Quantumlibet enim quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit & melior. Qui autem non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, non nihil perdit. Currendũ enim nobis est fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore iustitiæ, vt diem redemptionis nostræ spiritaliter celebrantes, non in fermento veteris malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis, resurrectionis Christi mereamur esse participes, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ioan. 17.

Ioan. 12.

Christus crucifixus vt omnia ad se traxerit.

Esai. 65.

Rom. 10.

Crux Christi quanta efficatia.

Ioan. 1.

1. Tim. 2.

Ibidem.

Rom. 5.

Osee 13.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

1. Cor. 5.

Sermo nonus de passione Domini.

Passio Christi varijs prophetarum oraculis & figuris prædicta, & de diaboli ruina, ac auaritiæ morbo, Petriq; negatione.

Sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.42.

SAcramentũ (dilectissimi) dominicæ passionis in salutẽ generis humani, ante tempora æterna dispositũ,& per multas significationes omnibus retrò seculis nunciatũ, non adhuc expectamus manifestãdum,sed iam adoramus impletũ,concurrentibus ad eruditionẽ nostrã & nouis testimonijs & antiquis,dum quod prophetica cecinit tuba, Euangelica pandit historia,& sicut scriptum est: Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarũ. Quoniam ad enarrandum gloriam gratiæ Dei, paribus sibi vocibus vtriusque testamenti altitudo respondet: & quod erat sub velamine figurarum profundum, fit reuelata luce perspicuum. Si enim inter illa miracula saluatoris, quæ sub populorum gerebantur aspectu, pauci veritatis præsentiam sentiebant, ipsique discipuli voluntaria Domini passione turbati, non euaserunt scandalum crucis sine tentatione formidinis,vnde fides nostra intelligentiam sumeret,vnde constantia robur acciperet, nisi quæ facta cognoscimus prædicta legeremus? Peracto igitur (dilectissimi) saluatoris triumpho, & consummatis dispensationibus, quas omnia veteris testamenti eloquia nunciarunt,lugeat carnalis Iudæus,sed spiritalis gaudeat Christianus, & festiuitas quæ illis conuersa est in noctem,nobis coruscet in lucem,quoniam crux Christi eadem est & credentium gloria,& non credentium pœna. Quamuis enim persequentium furor nihil aliud in Dominum maiestatis operatus est,quàm atrocem crudelitatem & immite supplicium: redemptis tamen hac Domini passione, vereor iustiorq; lætandi est ratio, quàm dolendi. Fuerit tunc discipulorum excusabilis pauor, nec dissidentiæ culpam apostolicus mœror inciderit, quando concurrentibus ad vnum scelus Iudæis Iudæorumq; principibus, superbus taurorum pinguium tumor & proterua vitulorum petulantia sæuiebat, quando sub oculis ouium, pastoris iusti sanguinem frementium bestiarum rabies expetebat, quando denique etiam ipse qui pati venerat,de nostræ naturæ communione dicebat: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Nunc autem postquam susceptione infirmitatis potentia est clarificata virtutis, nulla fidelium mœstitudine paschalis est obscuranda solennitas,nec cum tristitia nobis gestorum ordo recolendus est, cùm ita Dominus vsus sit malitia Iudæorum, vt de intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis. Si autem in exitu Israel de Aegypto,agni sanguinis fuit restitutio libertatis,& sacratissima est facta festiuitas,quæ per hostiam pecudis, iram auerteret vastatoris: quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, vt in occisione Christi,pascha esset verum & singulare sacrificium,quo non ex dominatione Pharaonis vnus populus,sed ex diaboli captiuitate,totus mundus eruitur? Hoc igitur illud est (dilectissimi) sacramentum,cui ab initio omnis sunt famulata mysteria. Nũc sanguis iusti Abel,mortẽ summi pastoris eloquitur, & in patricidio Iudæorũ, Cain interfector fratris agnoscitur. Nũc diluuiũ & Noë arca manifestat, quid sit renouationis in baptismo,& quid sit salutis ligno. Nunc Abraham gentium pater promissos acquirit hæredes,& in semine eius,non germen carnis,sed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum,sacer nouorum mensis *emicuit tuit, vt in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. Quamuis igitur furentes Iudæi fecerunt in Dominum Iesum quæcunque voluerint, & suscepti hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas diuina subtraxerit: patientia tamen Domini, consilij sui munus impleuit,& pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi saluatoris,quod non scribæ, non pharisæi, nec summi intellexere pontifices. Si enim cognouissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Nec itaq; ipse diabolus intellexit,quod sæuiendo in Christum, suum destrueret principatum: qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini sanguine contineret. Sed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem,incidit in saluatorem. Inuenit sanè in illo mortali limine, imprudentis audaciæ dignum cooperatorem, dignumq; consortem: cùm impius

Pauor discipulorũ excusabilis.

Matt.26.

Rom.8.

Genes.4.
Genes 6. & 7.
Genes.22.
Rom.8.

*emicuit

Mundus quo tempore creatus.

1.Cor.2.

impius Iudas maluit minister esse diaboli quàm apostolus Christi,quem non timoris perturbatione deseruit, se pecuniæ cupiditate distraxit. Videre (dilectissimi) & prudenter inspicite, quæ germina, & quales fructus de auaritiæ surpe nascantur, quàm meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definiuit: quia nullũ peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus, istius auiditatis est morbus. Amori pecuniæ,vilis est omnis affectio,& anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit,nullumq; est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrũ, peruenit ad laqueum,& tam stultè impius fuit,vt triginta argenteis & dominũ venderet & magistrum. Cùm autem se ad excipiendum iniquitatis iudicium,Dei filius præbuisset,beatus apostolus Petrus,cuius fides ea deuotione seruebat,vt & Domino compati paratus esset & commori,ancilla sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit.ob hoc,sicut apparet,hęsitare permissus, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quãdo mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset euadere. Dominus autem Iesus,qui intra pontificale cõsilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi,diuino vidit intuitu,& pauentis animum mox vt respexit, erexit,& in fletus pœnitudinis incitauit. Fœlices sanẽte apostole lachrymæ tuæ,quæ ad diluendam culpam negationis,virtutem sacri habuere baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Iesu Christi,quæ labentem te, priusquàm deijceris, exciperet,& firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam,non dilectionem auersam,sed constantiam fuisse turbatam. Abundauit fletus,vbi non defecit affectus,& fons charitatis lauit verba formidinis, nec tardatum est remedium abolitionis,vbi non fuit iudicium voluntatis. Citò igitur in soliditatem suam redijt petra,tantam recipiẽs fortitudinem, vt quod in Christi expauerat passione,in suo post supplicio non timeret,Amen.

Auaritia quàm permitiosa.
1.Tim.6.

Petri negatio.

Petrus lacrymis expiat culpã negationis.

Sermo decimus de passione Domini.

Quòd Christus falsò sit accusatus, quòd se regem fecerit,& de compositione mulierum,ac ruina diaboli.

CVm multis modis (dilectissimi) Iudaica impietas laboraret,vt occasionem aliquam perpetrandi in Dominum Iesum sceleris inueniret,& mendacia,quæ falsi testes iniustis sacerdotibus famulando protulerant,nihil quod morte dignũ esset,adferrent,hoc quasi insuperabile repererunt,vt Dominum mundi affectati regni inuidia perurgerent. Cumq; Pilatus Iesum,quem frustrà videbat arguisse,vellet absolui,calumniosè & minaciter conclamarunt: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsari. Omnis enim qui se regẽ facit,cõtradicit Cęsari: Stultã insimulationẽ imprudenter Pilate timuisti. Sed formidabile fuerit nomẽ regiũ,vt pro imperio Cæsaris opprimi debuerit nouæ molitio potestatis,dominandi consiliũ tyrannicus tibi prodidit apparatus,si prouisio armorum,si congregatio diuitiarum, si præsidia detecta sunt militum. Quid enim grauari finis de affectata potentia,cuius specialis fuit de humilitate doctrina. Romanis legibus non contradixit, censum subijt, didrachma soluit, vectigalia non inhibuit, quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddenda constituit, paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicauit. Hoc est verè non impugnare Cæsarem, sed iuuare. Veruntamen ne in totum inánis videatur Iudæorum obiectio, discute diligentius præses, quid de Domini Iesu operibus notum sit,quid de potestate compertum. Cęcis visum,surdis auditum,claudis gressum,mutis donauit eloquium. Febres abegit, dolores resoluit, dæmo-

Ioan.19.

Luc.2.
Matt.27.
Matt.22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæmonia eiecit, mortuos viuificauit, mari & ventis vt quiescerent imperauit. Ma-
Matt. 8. gnum prorsus regem ista demonstrant, qui non humana excellat potentia, sed vir-
**actionem* tute diuina. Hanc ergo Iudæi obijciant potestatem, commutent * accusationem su-
am, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui
cælestia persequuntur? quamuis ergo Pilatus onerosum sibi inuidiosumq; sentiret,
quòd eum Iudæi de neglectu amicitiæ Cæsaris impetebant, aliquamdiu tamen fu-
rorem ipsorum mitigare conatus est: & ideo Dominum Iesum diuersis contume-
lijs affici aut permisit aut iussit, vt satiata iniquitas de innocentis iniurijs, vlterius nõ
sæuiret. Sed pertinax malitia proprijs crescebat augmentis, & in quem obtinuerat
ius illusionis, exigebat & mortis. Vnde cùm & summi sacerdotes & principes Iudæ-
orum omnisq; multitudo crebris vocibus acclamarẽt, Crucifige, crucifige, tradidit
Iesum persequentium voluntati, Barabba illis latrone dimisso, vt qui in die festo au-
thorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ. Euntes itaq; (dile-
ctissimi) ad locum clarificationis Domino, & misericordia ab impiorum tabernacu
Psal 118. lis exeunte, vt adimpleretur quod scriptum est: Longè à peccatoribus salus, sequeba-
Luc. 23. tur eum multitudo populi, & mulierum plangentium & lamentantium eum. Solet
enim sexus infirmior, etiam pro ijs qui morte sunt digni, in lachrymas commoueri,
& damnatorum exitijs, pro naturæ communis consideratione misereri. Sed istum
sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus trium-
Christus cur voluerit se plangi à mulieribus. phum, nec lamenta victoriam. Deniq; conuersus ad eas: Filiæ, inquit, Hierusalẽ no-
lite flere super me, sed super vos ipsas & super filios vestros flete. Quia venient dies,
in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non la-
ctauerunt. Vbi est tristitia crucifigendi? vbi formido morituri? Non terret passuri
animum hora supplicij, & docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœni-
tentiam, denunciando vidictam. Non est, inquit, quod dolere in me Hierusalem fi-
liæ debeatis: pro vobis plangite, & pro vestris filijs eiulate. Super illos fundantur isti
ploratus, quòd tales viscera vestra pepererunt. Lugendum vobis planè est, nõ de sal-
uatore credentium, sed de impietate & temeritate pereuntium. Ego crucem volens
patior, & mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi
redemptione morientem, quem in maiestate patris videbitis iudicantem. Exaltatus
autem Christus Iesus in ligno, retorsit mortem in mortis authorem, & omnes prin-
cipatus aduersaq; virtutes, per obiectionem passibilis carnis elisit, admittẽs in se an-
tiqui hostis audaciam: qui in obnoxiam sibi sæuiendo naturam, etiam ibi exactor
Diabolus in cruce victus. ausus est esse debiti, vbi nullum potuit vestigium inuenire peccati. Euacuatum est
igitur illud generale venditionis nostræ & lethale chirographum, & pactum capti-
uitatis in ius transijt redemptoris. Claui illi, qui manus Domini pedesq; transfode-
rant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, ini-
micarum fuit interfectio potestatum, sic suam Christo consummante victoriam, vt
in ipso & cum ipso, omnes qui in eum crederent, triumpharent. Cùm ergo Domi-
nus crucifixi corporis eleuatione sublimis, reconciliationem mundi exequeretur in
quadam arce supplicij, latronemq; conuersum ad paradisi vocaret habitaculum, vos
principes Iudæorum, legisq; doctores, nec conscientiæ impietate compuncti, nec af-
Matt. 27. fectu sceleris mitigati, fixuris clauorum addebatis tela linguarum, dicentes: Alios
saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat de cruce, &
credimus ei. Sed his vocibus vestris stultis atque blasphemis reddunt omnia elemẽ-
ta responsum, & vnam in vos sententiam ferunt, Cœlum, terra, sol syderaq; indi-
gnos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoq; defectu tenebras
Matt. 17. mundo vestræ cæcitatis ostendunt. Quòd si ad arguendum vos, nec cœlestia nec in-
Velum templi scißum quid significet. ferna sufficiunt, & crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta quàm
corda vestra sentire, saltem quod in templo actum est, scienter aduertite. Velum, cu
ius obiectu includebantur sancta sanctorum, à summo vsque ad ima diruptum est, &
sacrum illum mysticumq; secretum, quod solus summus pontifex iussus fuerat in-

trare

trare reseratum est, vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis. Re-
pudiatos itaq; vos debuistis agnoscere, & omne ius sacerdotij perdidisse, quia verum *Ioan. 5.*
erat, quod veritas vobis dixerat: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. Meritò er-
go vos testamentum vtrunque condemnat, & gratia vacuatos & lege priuatos,
qui ideò restituistis nouis, quia non credidistis antiquis. Nos autem (dilectissimi) qui
ab ignorantiæ tenebris liberati, fidei lumen accepimus, & in noui testamenti hæ-
reditatem per electionem adoptionis intrauimus: in festiuitate, quam carnalis Israel
perdidit, gaudeamus, quoniam pascha nostrum immolatus est Christus, per cuius
ineffabilem gratiam, omnium charismatum benedictione ditamur, & ita in nouita- *2. Cor. 5.*
tem à vetustate transferimur, vt non solùm paradisi restituamur habitaculo, sed eti-
am regni cœlestis gloriæ præparemur, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui
cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo vndecimus de passione Domini.

De confessione Petri, & de gemina Christi natura, deq; occulto dæmonibus incarnationis mysterio, atque Iudæ desperatione.

DEsiderata nobis (dilectissimi) & vniuerso optabilis mundo adest
festiuitas dominicæ passionis, quæ nos inter exultationes spiritaliũ
gaudiorum silere non patitur. Quia etsi difficile est de eadem so-
lennitate sæpiùs dignè apteq; disserere, non est tamen liberum sa-
cerdoti, in tanto diuinæ misericordiæ sacramento fidelibus popu-
lis subtrahere sermonis officium: cum ipsa materia, ex eo quod est
ineffabilis, sandi tribuat facultatem: nec possit deficere quod dicatur, dum non po-
test satis esse quod dicitur. Succumbat ergo humane infirmitas gloriæ Dei, & in ex-
plicandis operibus misericordiæ eius, imparem se semper inueniat. Laboremus sen-
su, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: bonum est, vt nobis parum sit, quod eti-
am rectè de Domini maiestate sentimus. Dicente enim Propheta. Quærite Domi- *Psal. 104.*
num, confirmamini, quærite faciem eius semper: nemini præsumendum est, quòd
totum quod quærit inuenerit, ne desinat propinquare, qui cessarit accedere. Quid *Passionis*
autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, *Christi con*
ita contemplationem mentis nostræ & oblectat & superat, sicut passio saluatoris? *templatio*
De cuius omnipotentia quæ ei cum patre vnius & æqualis essentiæ est, quoties vt *quid præ-*
possumus, cogitamus, mirabilior nobis fit in Deo humilitas quàm potestas, & diffi- *stet.*
cilius capitur diuinæ maiestatis exinanitio, quàm seruilis formæ in summa proue-
ctio. Sed multum nos ad intellectum iuuat, quòd licet aliud sit creator, aliud creatu
ra, aliud deitas inuiolabilis, aliud caro passibilis: vnam tamen personam concurrat
proprietas vtriusq; substantiæ: vt siue in infirmitatibus, siue in virtutibus, eiusdẽ sit
contumelia, cuius & gloria. Hac fidei regula (dilectissimi) quã in ipso exordio sym-
boli per authoritatem apostolicæ institutionis accepimus Dominum nostrum Ie-
sum Christum, quem filium Dei patris omnipotentis vnicum dicimus, eundẽ quo-
que de spiritu sancto natum ex Maria virgine cõfitemur. Nec ab eiusdem maiestate
discedimus, cum ipsum crucifixum & mortuum, & tertia die credimus suscitatum.
Omnia enim quæ Dei sunt, & quæ hominis, simul & humanitas & deitas expleuit,
vt dum passibili impassibilis inest, nec virtus infirmitate affici, nec infirmitas possit
virtute superari. Meritò beatus Apostolus Petrus in huius vnitatis confessione lau-
datus est, qui cum dominus quid de ipso intelligerent discipuli, scrutaretur omniũ
celerrimè ora præueniẽs: Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Quod vtiq; nõ reue-
lante vidit carne vel sanguine, quorũ obiectu interiores oculi poterãt impediri, sed
ipso spiritu patris in corde operante credentis, vt ad regimẽ totius Ecclesiæ præpara-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus,primùm discerет quod doceret, & pro soliditate fidei, quam erat prædicaturus, audiret: Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,& portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Christianæ igitur fidei fortitudo, quæ portas mortis super inexpugnabilem petram ædificata non metuit, vnum Dominũ Iesum Christum,vt verum Deum & verum hominẽ confitetur, eundẽ credens filium virginis,qui author est matris,eundem natum in fine seculorũ, qui creator est temporum: eundẽ omnium Dominum virtutum,& vnũ de stirpe mortalium: eundẽ peccati nescium,& in similitudine carnis peccati pro peccatoribus immolatum. Qui vt humanũ genus vinculis mortiferæ præuaricationis absolueret,& sæuienti diabolo potentiam suæ maiestatis occultauit,& infirmitatem nostræ humilitatis obiecit. Si enim crudelis & superbus inimicus,consilium misericordiæ Dei nosse potuisset,Iudæorum animos mansuetudine potius temperare,quàm iniustis odijs studuisset accendere,ne omniũ captiuorum amitteret seruitutem,dum nihil sibi debentis persequitur libertatẽ.Fefellit ergo illum malignitas sua,intulit suppliciũ filio Dei, quod cunctis filijs hominũ in remedium verteretur.Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo,& precium esset & poculũ.Suscepit Dominus quod secundũ propositum suæ voluntatis elegit.Admisit in se impias manus furentiũ,quæ dũ proprio incumbunt sceleri,famulatæ sunt redemptori.Cuius etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio,vt de cruce supplicans patri,se non vindicari, sed illis postularet ignosci,dicens: Pater ignosce illis,quia nesciunt quid faciunt.De cuius vtiq; orationis potentia fuit,vt prædicatio Petri Apostoli,ex ijs qui dixerunt: Sanguis illius super nos & super filios nostros,multorum ad pœnitentiam corda cõuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudęorũ:fieretq;omnium cor vnũ & anima vna,paratorum iam pro eo mori, quẽ poposcerant crucifigi. Ad hãc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit,quoniã perditionis filius,cui diabolus stabat à dextris,priùs in desperationẽ transijt, quàm sacramentũ Christus generalis redemptionis impleret.Nã mortuo pro omnibus impijs Domino,potuisset etiam hic consequi remedium,si non festinasset ad laqueum.Sed maligno cordi,nunc furtis fraudium dedito,nunc parricidalibus commercijs occupato, nihil vnquam documentorum misericordiæ saluatoris insederat, nec pijs acceperat auribus Domini verba dicentis: Non veni vocare iustos,sed peccatores.Et:Filius hominis venit quærere & saluare,quod perierat.Nec intellexerat clementiam Christi,qui non solùm corporeis infirmitatibus medebatur,sed etiam vulnera debilium curabat animarũ,dicens paralytico: Confide fili,remittuntur tibi peccata tua.Dicens & oblatæ sibi adulteræ: Nec ego te condemnabo,vade & ampliùs noli peccare: vt per omnia opera sua ostenderet,in illo aduentu suo,saluatorem mundi se venisse,nõ iudicem. A quo intellectu alienatus impius traditor,insurrexit in semetipsum,nõ iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis,vt qui vitæ authorem interfectoribus vendidisset,in augmentum damnationis suæ,etiã moriendo peccaret.Quod ergo falsi testes, quod cruenti principes,quod impij sacerdotes,in Domini Iesu Christi mysterio,ignauia præsidis & famulatu imperitæ cohortis egerunt,& detestandum vniuersis seculis, & amplectendum fuit. Crux enim Domini,sicut in Iudæorum erat mente crudelis, ita est in crucifixi virtute mirabilis. Furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus. Quod sæuitia infertur,potestate suscipitur,vt licentia sacinoris,æternæ opus impleat voluntatis. Vnde omnis ordo rerum gestarum,quem plenissimè Euangelica narratio percurrit,ita fidelium est accipiendus auditu,vt salua fide actionum,quæ tempore dominicæ passionis impletæ sunt, intelligamus non solùm remissionem peccatorum in Christo completam,sed etiam formam iustitiæ esse propositam. Verùm vt hoc diligentiùs iuuante Domino differatur,hæc sermonis portio in quartam sabbati reseruetur. Aderit,vt speramus,gratia Dei,quæ nos orantibus vobis faciat promissa complere,per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto regnat in secula seculorum,Amen.

Incarnationis mysterium diabolo occultatum.

Luc. 23.
Matt. 27.
Actor. 2.
Actor. 4.

Psal. 180.

Matt. 9.
Luc. 19.

Matt. 9.
Ioan. 18.

Sermo

Sermo duodecimus de passione Domini.

De virtute ac necessitate mortis Christi, & de eius vera diuinitate & humanitate contra Manichæos, & cur solus filius incarnatus sit.



OMnia quidem tempora(dilectissimi)Christianorum animos sacramento dominicæ passionis & resurrectionis exercent, neq; vllum nostræ religionis officium est,quo tam mundi reconciliato quàm humanæ in Christo naturæ adsumptio celebretur. Sed nunc vniuersam Ecclesiam maiore intelligentia instrui, & spe feruentiore oportet accendi,quando ipsa rerum dignitas ita sacratorum dierũ recursu,& paginis Euangelicæ veritatis exprimitur,vt pascha Domini non tam præteritum recoli,quàm præsens debeat honorari.In nullo igitur ab ijs quæ ad crucem Iesu Christi pertinent,fidei nostræ peregrinetur intuitus,& nihil eorum, quæ narratione Euangelij retexuntur,ocioso capiamus auditu. Vt quia non defuerunt,nec adhuc desunt,qui veritatem dominicæ incarnationis impugnent,& quòd in vtero virginis Mariæ verbum caro factum est,quòd infans æditus,per incrementa cõporea ad perfectæ virilitatis profecit ætatẽ,quodq; crucifixus mortuus ac sepultus, die tertia resurrexit,in nostræ quidem imaginis forma,sed non in nostræ carnis adferãt gestum esse natura,nos ab Euangelicis & Apostolicis testimonis nullatenus recedentes,eorum intelligentia roboremur,quorum nos certissima experimenta docuerunt: vt piè atque constanter possimus dicere, quoniam in illis & nos eruditi sumus,& quod viderunt,vidimus,& quod didicerunt,didicimus,& quod contrectauerunt,palpauimus.Et ideo in passione Domini,non conturbamur, quia in generatione non fallimur.Scimus etenim (dilectissimi) & toto corde profitemur, patris & filij & spiritus sancti,vnam esse deitatem,& consubstantialem sempiternæ Trinitatis essentiam,in nullo à se diuisam,in nullo esse diuersam,quia simul est intemporalis,simul est incommutabilis,simul quod est,esse non desinens. In hac aũt ineffabili vnitate Trinitatis,cuius in omnibus communia sunt opera atq; iudicia, reparationem humani generis propriè filij persona suscepit,vt quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt,& sine ipso factum est nihil,quiq; plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animauit,idem naturam nostram ab æternitatis arce deiectam, amissæ restitueret dignitati, & cuius erat conditor,etiam esse reformator,sic consilium suum dirigens in effectum,vt ad dominationem diaboli destruendam magis vteretur iustitia rationis,quàm potestate virtutis.Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere lauciata corruerat,nec vlla sanctorũ merita conditionẽ poterant illatæ mortis euincere,venit è cœlo medicus singularis, multis sæpè significationibus nunciatus,& prophetica diu pollicitatione promissus, qui manens in forma Dei,& nihil propriæ maiestatis amittens,in carnis nostrę animæq; natura,sine cogitatione antiquæ præuaricationis oriretur. Solus enim beatæ virginis natus est filius absq; delicto,non extraneus ab hominũ genere, sed alienus à crimine,in quo illius ad imaginem & similitudinem Dei conditi, & perfecta esset innocentia,& vera natura,cùm de Adæ propagine vnus existeret,in quo diabolus,quod suum diceret,non haberet. Qui dum in eum sæuit, quem sub peccati lege non tenuit,ius impiæ dominationis amisit. Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium,tam diues ad precium,vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet,nullum tyrannica vincula retinerẽt. Quoniam sicut ait Apostolus,vbi abundauit peccatũ,superabundauit & gratia.Et cũ sub peccati præiudicio nati,potestatem acceperint ad iustitiam renascendi,validius donum factum est libertatis,quàm debitum seruitutis.Quam itaq; fibi in huius sacramẽti præsidio

1.Ioan. 1.

Filij persona cur incarnata sit

Ioan. 1.

Sanguinis Christi vir tus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpem relinquunt, qui ſaluatoris noſtri corpore negant humanę ſubſtantiæ veritatẽ?
Rom.5. Dicant, quo ſacrificio reconcilati, quo ſanguine ſint redempti. Quis eſt, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorẽ ſuauitatis? At quod vnquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod pontifex verus altari crucis per immolationẽ ſuæ carnis impoſuit? Quamuis enim in conſpectu Domini multorũ ſanctorum precioſa fuerit mors, nullis tamen inſontis occiſio, propiciatio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt
Ephe.5.
Pſal.115. patientiæ non dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquã debitum ſuo funere ſoluit, cùm inter filios hominũ ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, in quo oẽs crucifixi, omnes mortui, oẽs ſepulti, omnes
Ioan.12. etiam ſunt ſuſcitati. De quibus ipſe dicebat: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. Fides enim vera iuſtificans impios & creans iuſtos, ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt
1.Tim.2. mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, per communionem ſui generis, ad pacem peruenit deitatis, liberum habens de eius potentia gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum, in carnis noſtræ infirmitate congreſſus, ijs victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Cùm igitur in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto vero Dei atq; hominis filio, diuinam confitemur de patre naturam, humanã de matre ſubſtantiam, licet verbi Dei & carnis vna perſona ſit, nõ vna ſubſtantia, & vtraq; eſſentia communes habeat actiones: intelligendæ tamen ſunt ipſorum operũ qualitates, & ſyncerę fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid ſit, quod caro ſine verbo non agit, & quid ſit, quod verbum ſine carne non efficit. Sine potentia enim verbi, nec conciperet virgo, nec pareret: & ſine veritate carnis, obuoluta pannis infanta non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent Magi puerum nouo ſydere declaratũ, & ſine veritate carnis non iuberetur puer in Aegyptum transferri, quẽ Herodes
Matt.2.
Matt.3 cupiebat occidere. Sine verbi potentia nõ diceret vox patris miſſa de cœlo: Hic eſt fi-
Luc.3. lius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et ſine veritate carnis non proteſtaretur Ioannes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia
Ioan.1.
Ioan.10. nõ fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum, & ſine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremò ſine verbi potentia non ſe Dominus patri profiteretur æqualem, & ſine veritate carnis non idem di-
Ioan.14. ceret, patrem ſe eſſe maiorem, cùm catholica fides vtrunq; ſuſcipiat, vtrunq; defendat, quæ ſecundum proprietatem diuinæ humanæq; ſubſtantiæ, vnum Dei filium & hominem credit & verbum. Multa ſunt (dilectiſsimi) quæ ad expoſitionem huius, quam prædicamus, fidei, de toto ſcripturarum corpore poſſemus adſumere, quia nihil ſæpiùs diuinis commendatur eloquijs, quàm Dei filius ſecundum deitatem ſempiternus ex patre, & idem ſecundum carnem temporalis ex matre. Sed ne charitatis veſtræ fatigetur auditus, hodierno ſermoni adhibendus eſt modus, vt quarta ſabbati, quæ ſunt adijcienda, ſeruemus auxiliante Domino Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto, viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermo decimuſtertius de paſſione Domini.

De reparatione hominis ac legalibus ſacramentis per Chriſtum completis, de ſpiritalibus Iſraelitis, & vera Chriſti humanitate.

EVangelica lectio (dilectiſsimi) quæ ſacratiſsimum dominicæ paſſionis reſerauit hiſtoriam, ita vniuerſæ Eccleſiæ nota eſt de communi frequenter auditu, vt rerum geſtarum ordinem, tanquàm ſub veſtris habitum oculis, ſinguli quiq; recolatis. Nec parum æſtimandi ſunt profeciſſe, qui de ijs quæ audiunt non dubitant, vt etiã ſi nondum

dum liquidè aliquod valeant ſcripturarum capere ſacramentum, firmiſsimè tamen credant, in diuinis libris nullum eſſe mendacium. Quia ergo ſyncerę fidei promiſſa eſt intelligentiæ plenitudo, erigat ſe ad promerendam ſpiritus ſancti eruditionem, illuminatarum mentium vigor, & non contentus ſit facti ordinem noſſe, niſi etiam ipſam rationem impenſæ ſibi pietatis inſpiciat: vt authorem ſuum humana natura ſciendo, quantum ab eo ſit dilecta, plùs diligat. Miſerendi enim noſtri cauſam Deus *Reparatio*
niſi in ſua bonitate non habuit. Et mirabilior eſt ſecunda hominũ generatio, quàm *hominis*
prima conditio: quia plus eſt in nouiſsimis ſeculis reparaſſe Deum, quod perierat, *maior quã*
quàm à principio feciſſe, quod non erat. Libertatẽ itaq; innocentiæ naturalis, quàm *creatio.*
primorum parentum præuaricatione perdidimus, nulla per ſe ſanctorum præcedẽtium merita receperũt: quia lata in tranſgreſſores ſententia, omnem progeniem captiuæ poſteritatis obſtrinxit, & nemo extitit exors à damnatione, quia nullus fuit liber à crimine. Sed redemptio ſaluatoris deſtruens opus diaboli, & rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis ſuæ diſpoſuit ſacramentum, vt vſq; ad conſummationem * *multi-*
quidem mundi, præfinita generationum * plenitudo decurreret, ſed renouatio ori- *tudo*
ginis, per iuſtificationem indiſcretæ fidei, ad omnia retrò ſecula pertineret. Incarnatio quippe verbi, & occiſio ac reſurrectio Chriſti, vniuerſorum fidelium ſalus facta, eſt, & ſanguis vnius iuſti, quem nobis pater donauit, qui eum pro reconciliatione mundi credimus fuſum, hoc contulit patribus, qui ſimiliter credidere fundendum. Nihil ergo (dilectiſsimi) ab antiquis ſignificationibus, in Chriſtiana religione di- *Videseadẽ*
uerſum eſt, nec vnquam à præcedentibus iuſtis, niſi in Domino Ieſu Chriſto ſperata *noſtra &*
ſaluatio eſt, diſpenſationibus pro diuinæ voluntatis ratione varietas, ſed in idipſum *antiquo-*
coruſcantibus & legis teſtimonijs, & prophetiæ oraculis, & oblationibus hoſtiarũ: *rum.*
quia ſic congruebat illos populos erudiri, vt quæ reuelata non caperent, obumbrata ſuſciperent, & maior Euangelij eſſet authoritas, cui tot ſignis totq; miraculis atque myſterijs, veteris teſtamenti paginæ deſeruiſſent. De quibus Dominus profite- *Matt.5.*
batur, quòd non venerat legem ſoluere, ſed adimplere. Nõ æſtimet ſibi prodeſſe Iudæus, quòd in literæ carnaliter ſuperficie demoratur, & ijs ſcripturis conuincitur, quæ apud nos veram ſui obtinent dignitatem, dum & erudimur prædictis, & ditamur impletis. Dicente enim Domino: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me, *Ioan.12.*
nihil legalium inſtructionum, nihil propheticarum reſedit figurarum, quod nõ totum in Chriſti ſacramenta tranſierit. Nobiſcum eſt ſignaculum circunciſionis, ſanctificatio chriſmatum, conſecratio ſacerdotum. Nobiſcum puritas ſacrificij, baptiſmi veritas, honor templi, vt meritò ceſſarint nuncij, poſtquàm nunciata venerunt. Nec vacuatur reuerentia promiſſionum, quia plenitudo manifeſta eſt gratiarum. Verùm quia ſicut ait Apoſtolus. Cæcitas in Iſrael ex parte facta eſt, nec qui filij car- *Rom.11.*
nis, ij filij ſunt promiſsionis, ineffabilis miſericordia Dei Iſraeliticum ſibi populum de omnibus nationibus fecit, & ſaxeo illo gentilium cordium rigore mollito, veros Abrahę filios de lapidibus excitauit: vt cõcluſis omnibus ſub peccato, qui carne na- *Rom.9.*
ti ſunt, ſpiritu renaſcantur, nec interſit, quo patre ſit quiſq; genitus, quùm per indiſ- *Matt.3.*
cretam huius fidei confeſsionem, & fons baptiſmatis faciat innocentes, & electio *Rom.11.*
adoptionis confirmet hæredes. Quid enim aliud egit crux Chriſti, quàm vt deſtructis inimicitijs, reconcilietur mundus Deo, & per ſacrificium immaculati agni veram in pacem cuncta reuocentur? Non autem concordat Deo, qui ab ea, quam in regeneratione ſua ædidit, profeſsione diſſentit, & diuini immemor pacti, inhærere oſtenditur renunciatis, dum reſilire inuenitur à creditis. Fruſtrà enim Chriſtianum nomen ſibi vſurpat, & nequaquam æſtimet ſe paſcha Domini celebrare, qui Ieſum Chriſtum in ea, qua natus eſt & paſſus & mortuus & ſepultus carne, reſurrexiſſe nõ credit, & noſtræ in illo naturæ reſuſcitatas primitias non fatetur. Verus itaque venerator dominicæ paſsionis ſic crucifixum Ieſum oculis cordis aſpiciat, vt illius carnem ſuam eſſe cognoſcat. Contremiſcat in redemptoris ſui ſupplicio terrena ſubſtantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis grauabantur ſe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulchris,discussa obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoq; in ciuitate sancta,in Ecclesia Dei,futuræ resurrectionis indicia,& quod gerendũ est in corporibus,fiat in cordibus.Nulli infirmorum crucis est negata victoria,nec quisquam est,cui non Christi auxilietur oratio.Quæ si multis in eũ sæuientibus profuit,quãto magis eos,qui ad ipsum conuertuntur,adiuuit?Sublata est ignorantia, tempe-
Gene.3. rata est difficultas,& igneam illam,qua vitæ regio erat inclusa, romphæã, sacer Christi sanguis extinxit.Veræ luci,antiquæ noctis cessit obscuritas. Inuitatur ad paradysi diuitias populus Christianus, & cunctis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reditus,si nemo sibi illam viam faciat claudi,quæ fide latronis potuit aperiri.Celebrantes igitur (dilectissimi) paschalis festi ineffabile sacramentum,agnoscamus docente spiritu Dei, ad cuius gloriæ participationem vocati, & ad quã spem simus ingressi.Nec ita nos nunc anxie,nunc superbè præsentis vitæ occupent actiones,vt non toto cordis affectu cõformari redemptori nostro per illius exempla nitamur.Nihil enim non ad nostram salutem, aut egit aut pertulit, vt virtus, quæ in-
Ioan.1. erat capiti,inesset etiam & corpori.Nam primùm ipsa illa substantiæ nostræ in deitate susceptio,qua verbum caro factum est,& habitauit in nobis, quem hominum misericordiæ suæ,nisi infidelem reliquit exortem? Et cui non cõmunis natura cum Christo est,si adsumentẽ recipit, & eo spiritu est regeneratus,quo ille progenitus? Deinde quis in illo suas non agnoscit infirmitates?Quis perceptionem cibi,requietionem somni,solicitudinem mœstitudinis, lachrymas pietatis, non videat formæ fuisse seruilis? Quæ quoniam ab antiquis sanada vulneribus,& à colluuione erat purganda peccati: ita vnigenitus Dei,etiam hominis factus est filius,vt & omni humanitatis veritate,& diuinitatis plenitudine non careret. Sicut itaq; nostrum est, quod cum vnitione deitatis peperit materna virginitas: ita nostrum est,quod Iudaica crucifixit impietas. Nostrum est, quod exanime iacuit, & quod die tertia resurrexit,quodq; super omnes altitudines cœlorum ad dexteram paternæ maiestatis ascendit: vt si per viam mandatorum eius incedimus,& si quæ in humilitate corpo-
Matt.10. rea nostræ impendit saluti,non erubescimus confiteri,nos quoq; in gloriæ eius cõsortium prouehamur. quoniam manifestè quod denunciauit implebitur: Omnis qui cõfitebitur me coram hominibus,& ego confitebor eum coram patre meo,qui in cælis est. Huic autem cohortationi nostræ adest atq; auxiliatur gratia Dei, quæ incarnationis Christi & mortis ac resurrectionis eius inimicos, reuelata per omnes Ecclesias veritate,destruxit,vt totius mundi fideles,cum apostolicæ fidei authorita-
Rom.6. te concordes,vnà nobiscum exultatione gauderent,dicente Beato Paulo,An ignoratis,quia quicũq; baptizati sumus in Christo Iesu,in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem,vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriã patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim cõplantati facti sumus similitudini mortis eius,simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes,quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus in Christo, credimus quia etiam simul viuemus cum illo,qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum,Amen.

Sermo decimusquartus de passione Domini.

De modo redemptionis generis humani, atq; fidei Ecclesiæq; vnitate & imitatione Christi.

GLoria (dilectissimi) dominicæ passionis,de qua nos etiam hodie locuturos esse promisimus,humilitatis maximè est miranda mysterio, quæ omnes nos & redemit & docuit, vt vnde datum est precium, inde & iustitia sumere-

sumeretur.Omnipotentia enim filij Dei,quæ per eandem essentiam æqualis est patri,potuisset humanũ genus à dominatu diaboli,solo imperio suæ voluntatis eruere,nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo quod vicerat vinceretur, & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas.Dicente aũt euangelista,quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis,& dicente Apostolo, quòd Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi,ostensum est,quia vnigenitus summi patris tale inijt cum humana humilitate consortium,vt susceptæ nostræ carnis animæq; substantia,vnus atq; idem Dei filius permaneret, nostra augendo,non propria: quia infirmitas erat prouehenda,non virtus: vt cùm suo creatura esset vnita,nihil adsumpto diuinũ, nihil adsumenti deesset humanum. Hoc consilium misericordiæ & iustitiæ Dei, licet in præteritis seculis,quibusdam velaminibus fuerit obumbratum,nõ tamen ita obtectum est,vt sanctorum,qui ab initio vsq; ad aduentum Domini laudabiles extiterunt,intellectui negaretur,cùm & propheticis verbis,& rerum gestarum significationibus,salus quæ in Christo erat ventura,promissa sit: quam non solùm qui prædicabant,adepti sunt,sed omnes etiam qui prædicantibus crediderũt. Vna enim fides iustificat vniuersorum temporum sanctos, & ad eandẽ spem fideliũ pertinet, quicquid per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum,vel nos cõfitemur factum,vel patres nostri adorauere faciendum.Nec inter Iudæos atq; gentiles vlla est distinctio.Siquidem,sicut ait Apostolus: Circuncisio nihil est,ac præputiũ nihil est, sed obseruatio mandatorũ Dei: quæ si cum integritate fidei seruentur,veros Abrahæ filios,id est,perfectos faciunt Christianos, dicente Apostolo eodem: Quicunq; enim in Christo Iesu baptizati estis,Christum induistis. Non est Iudæus neq; Græcus,non est seruus neq; liber,non est masculus neq; fœmina.Omnes enim vnũ estis in Christo.Si autem vos Christi,ergo Abrahę semen estis,secundum promissionem hæredes. Non ergo est dubium (dilectissimi) naturam humanam in tantam connexionem à filio Dei esse susceptam,vt non solùm in illo homine,qui est primogenitus totius creaturæ,sed etiam in omnibus sanctis suis vnus idemq; sit Christus: & sicut à membris caput,ita à capite mẽbra diuidi nõ possunt.Quamuis enim nõ istius vitæ sit,sed æternæ,vt sit Deus omnia in omnibus,tamen,modo etiã templi sui,quod est Ecclesia,indiuisus habitator est,secundum quod ipse promisit, dicens: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quibus Apostolus consonans ait:Ipse est caput corporis Ecclesiæ,qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare, & per eum reconciliare omnia in ipso. Ijs autem & alijs pluribus exemplis & testimonijs quid insinuatur cordibus nostris, nisi vt per omnia ad imaginem eius renouemur,qui permanens in forma Dei,carnis peccati forma fieri dignatus est?Omnes enim infirmitates nostras,quæ veniunt de peccato,absq; peccati cõmunione suscepit,vt & famis,& sitis,& somni, & lassitudinis, mœroris ac fletu,affectionibus non careret,doloresq; sæuissimos,vsq; ad mortis extrema pateretur: quia nemo posset laqueis mortalitatis absolui,nisi ille,in quo solo innocens erat natura omnium,sineret se interfici manibus impiorum.Vnde Saluator noster filius Dei,vniuersis in se credentibus & sacramentum condidit,& exemplum vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc enim docet beatus Petrus apostolus dicens:Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,vt sequamini vestigia eius.Qui peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius.Qui cum malediceretur,non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autẽ iudicanti se iniustè. qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ,vt peccatis mortui,iustitiæ viuamus. Sicut ergo nemo est credentium (dilectissimi) cui dona neganda sint gratiæ,ita nemo est, qui nõ sit Christianæ debitor disciplinæ: quia etsi remota est * iustitiæ legis asperitas,volũtariæ tamen obseruantiæ creuit vtilitas, dicente Euangelista Ioanne: Quia lex per Mosen

Deus cur nos potere, nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo quod vicerat vinceretur, & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas. *mere noluerit.* *Ioan.1.* *2.Cor.5.* *Fides vna saluando-rum.* *1.Cor.7.* *Galat.3.* *Coloss.1.* *1.Cor.15.* *Matt.28.* *Coloss.1.* *Philip.2.* *1.Pet.2.* * *mystica*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Omnia enim quæ secundum legem, siue in circunci sione carnis, siue in diuersitatibus hostiarum, siue in sabbati obseruantia præcesserunt, Christum testificata, Christi sunt gratiam
Rom. 10. prælocuta. Et ipse est finis legis, non euacuando significationes ipsius, sed implen-
Veteris legis quæ Christus mutarit et quænam. do. Qui licet idem sit author veterum, qui nouorum, figuratarum tamẽ promissionum sacramenta mutauit, quia promissa perfecit, & denuntiationibus cessationem imposuit, quoniam denunciatus aduenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta, vt perfectiora & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia saluatorem. Omnia igitur, quæ Dei filius ad reconciliationem mundi, & fecit & docuit, non in historia tantum præteritarum actionum nouimus, sed etiam in præsentium operum virtute sentimus. Ipse est qui de spiritu sancto ex matre æditus virgine, incontaminatam ecclesiam suam eadem inspiratione fœcundat, vt per baptismatis partum, in-
Ioan. 1. numerabilis filiorum Dei multitudo gignatur, de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ipse est, in quo semẽ Abrahæ totius mundi adoptione benedicitur, & fit patriarcha
Gene. 22. gentium pater, dum promissionis filij fide, non carne nascuntur. Ipse est, qui nullius gentis exceptionem faciens, de omni natione, quæ sub cœlo est, vnum sanctarum
Ioan. 10. ouium efficit gregem, quotidie implet, quod promiserat, dicens: Habeo alias oues quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Quamuis enim beato Petro principaliter dicat: Pasce oues meas, ab vno tamen Domino, ipsa omnium regitur cura pastorum, & venientes ad petram tam lætis tamque irriguis pascuis alit, vt innumeræ oues dilectionis pinguedine roboratæ, sicut bonus pastor dignatus est pro ouibus suis animam
1. Ioan. 2. ponere, ita & ipsæ non dubitent pro nomine pastoris occumbere. Ipse est enim, cui non solùm gloriosa Martyrum fortitudo, sed etiam omnium renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur Deo, dum in nouitatem à vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, & cœlestis forma suscipitur, quædam species mortis & quædam similitudo resurre-
Baptismus qui mutet hominem. ctionis interuenit, vt susceptus à Christo, Christumq; suscipiens, non idem sit post
Psal. 76. lauacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati, fiat caro crucifixi. Hæc
1. Cor. 12. commutatio (dilectissimi) dexteræ excelsi est, qui operatur omnia in omnibus, vt singulis fidelibus, per bonæ conuersationis qualitatem, ipsum piorum operum intelligamus authorem, gratias agentes misericordiæ Dei, qui innumeris charismatum donis ita vniuersum Ecclesiæ corpus exornat, vt per multos vnius luminis radios idem vbique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cuiuslibet
Colos. 1. meritum Christiani. Hoc est illud verum lumen, quod omnem hominem iustificat & illustrat. Hoc est illud quod eruit de potestate tenebrarum, & transfert in
1. Cor. 5. regnum filij Dei. Hoc est quod per nouitatem vitæ desideria animi prouehit, & concupiscentias carnis extinguit. Hoc est, quo pascha domini, in azymis synceritatis & veritatis legitimè celebratur, dum fermento veteris malitiæ abiecto, noua
Eucharistiæ perceptio quid efficiat. creatura de ipso Domino inebriatur & pascitur. Non enim aliud agit participatio
Colos. 3. corporis, & sanguinis Christi, quam vt in id quod sumimus, transeamus: & in quo mortui, & sepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cũ Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tũc & vos cum Christo apparebitis in gloria, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo

Sermo decimusquintus de passione Domini.

De vera Christi humanitate, patientia in morte, obcæcatione Iudæorum, & Manichæorum perfidia.

SErmonem (dilectissimi) de gloriosa Domini nostri Iesu Christi passione promissum, ita expectationi vestræ intelligo esse reddẽdum, vt officium differendi, & festo paschali conueniat, & ausibus impij erroris occurrat. Qui enim Dei filium veram nostræ carnis negant suscepisse naturam, inimici sunt fidei Christianæ, & Euangelicam prædicationem nimis impudenter impugnant, vt secundum ipsos crux Christi, aut simulatio fuerit phantasmatis, aut supplicium deitatis. quòd à cordibus piorum longè est repellendum: quia catholica integritas, nec maculam perfidiæ, nec rugam potest habere mendacij, quæ vnum Christum, sic Deum, sic hominem confitetur, vt nec falsum hominem, nec Deum dicat fuisse passibilem. Quam- *Ioan. 1.*
uis ergo ab illo initio, quo in vtero virginis verbum caro factum est, nihil vnquàm inter diuinam humanamq; substantiam diuisionis extiterit, & per omnia incremẽta corporea vnius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus: sed quid cuius naturæ sit, ex operum qualitate sentimus. Nec enim diuina humanis præiudicant, nec humana diuinis, cum ita in idipsum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. Transcursis igitur ijs, quæ passionem Domini præcesserunt, quid documentorum habeat sacramentum paschale tractemus. Nam exardescente ad effectum sui sceleris sæuitia Iudæorum, cùm Deus esset in Christo mũ- *2. Cor. 5.*
dum reconcilians sibi, nulla vis templo corporis eius, nisi ipse permitteret, potuisset inferri. Siquidem terribilis militum cohors illa, & à principibus & pharisæis cum gla- *Ioan. 18.*
dijs & fustibus missa multitudo ita vt Domini voce percussa est, vt cum tur bæ dixissent Iesum se quærere Nazarænum, & ipse respondisset, Ego sum, nemo eorum subsisteret, sed omnes simul amisso membrorum officio, retrorsum acti elisique corruerent. In quo vtique diuinæ potestatis erat indicium, quæ impiorum conatus, non armis contrarijs, neque vllius creaturæ potentis auxilio, sed sola verbi virtute prosterneret. Quia verò saluando humano generi alterius operis ratio congrue- *Christus cur in passione noluerit vti potentia sua.*
bat, nec posset sanguis Christi precium credentium fieri, si redemptor se non sineret comprehendi, admisit in se impias manus, & cohibita est potẽtia deitatis, vt perueniret ad gloriam passionis. Cuius vtique inanis fuisset species, & nulli profutura imago tolerantiæ, nisi vera diuinitas veris se humanæ carnis sensibus induisset: vt vnus Dei atque hominis filius, aliunde intemerabilis, aliunde passibilis, mortale nostrum per suum immortale renouaret. Et ideò mœstitudine, ideò formidine non carebat, vt ad euincendas huius mundi perturbationes, non solùm nos sacramento susceptionis, sed etiam exemplo fortitudinis roboraret. Nam iniusta videretur eius ad patientiam cohortatio, cui nulla esset in nostra infirmitate communio. Veras autem Domini passiones Esaias propheta ipsius voce pronunciat, dicens: Dorsum *Esai. 53.*
meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas: vultum autem non auerti à confusione sputorum. Quòd itaque verbi caro patiebatur, non verbi erat pœna, sed carnis, cuius iniuriæ atque supplicia etiam ad impassibilem redundabant, vt meritò ei dicantur illata, quæ in ipsius sunt corpus admissa, dicente Apostolo: Si enim co- *1. Cor. 2.*
gnouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Obcæcati enim Iudæi malitia sua, in quod prorupissent facinus, nesciebant. Vnde misericors Dominus Iesus, cum etiam interfectores suos vellet sua morte saluare, pro ignorantia sæuientium, de crucis altitudine supplicabat, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt *Luc 23.*
quid faciunt. Nec intellectu enim cordis, nec auditu auris, nec oculorum intuitu sentiebant, quem falsis testimonijs appetissent, quem adfigi patibulo coegissent,

dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum in corpore hominis non agnoſcunt ſubſtantiam deitatis. Viderũt humilem,& non adorauerunt vniuerſitatis authorem,nec intellexerunt poteſtatem iudicaturi, deſpicientes manſuetudinem iudicati,vt perſequutores veri Dei, & negatores veri hominis,vna impietas ſociaret,dum ſerui formam in Chriſto,& Iudæi æſtimant ſolam,& hæretici adſerunt falſam. Dicant ergo iſti phantaſtici Chriſtiani,quæ ſubſtãtia ſaluatoris adfixa ſit ligno,quæ iacuerit in ſepulchro,& reuoluto monumenti lapide,quæ tertia die caro reſurrexerit,vel quale corpus Ieſus diſcipulorũ viſui,clauſis ad eos oſtijs ingreſſus,intulerit,cùm ad abigendũ cernentium diffidentiam, inſpici oculis,digitisq; tractari patentes adhuc fixuras clauorum,& recens cõpuncti lateris vulnus exegerit. At ſi tanta in luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio nõ relinquit,oſtendant vnde ſibi ſpem vitæ polliceãtur æternæ,vnde reſurrectionis Chriſti ſe credant eſſe conſortes. Nõ enim poſſunt cum Apoſtolo dicere: Chriſtus reſurrexit à mortuis,primitiæ dormientium,quia non ſunt primitiæ hominum,ſi nõ ſunt de humanæ ſtirpe naturæ. Qui enim primus hominum reſurrexit, eius plenitudinis eſt portio,quæ præceſſit: & pie creditur hoc,quod eſt in capite inchoatum,in membris quoq; eſſe complendum. Quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Amplectentes igitur (dilectiſsimi) Chriſtianæ ſpei vnicũ pignus,non diuellamur à compage corporis Chriſti,in quo habitat, ſicut Apoſtolus ait,omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,& eſtis repleti in illo. Nam cùm incorporea ſit ſubſtantia Dei,quomodo corporaliter in Chriſto habitat, niſi quia caro noſtri generis,facta eſt caro deitatis, & in illo ſumus Deo repleti,in quo crucifixi,in quo ſepulti,in quo ſumus etiam ſuſcitati? vt poſsimus cum Apoſtolo dicere: Noſtra autem couerſatio in cœlis eſt,vnde etiam expectamus ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,qui reformabit corpus humilitatis noſtræ conforme fieri corpori gloriæ ſuæ,viuẽs & regnans cũ patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorũ, Amẽ.

Hæretici phantaſtici.

Ioan. 20. Luc. 24.

1. Cor. 15.

Ibidem.

Ibidem.

Coloſ. 2.

Philip. 3.

Sermo decimuſſextus de paſsione Domini.

De paſsione Chriſti per prophetas prænunciata, Iudæorum inexcuſabilitate, Iudæ ſcelere & Chriſti querela in cruce.

Cogitationes Chriſtiani quales eſſe debeant.

Emper quidem (dilectiſsimi) fidelium mentes in diuinorum operum decet admiratione verſari,& rationales animos ijs maximè cogitationibus inhærere,per quas incrementũ fidei cõſequantur. Cũ enim pia cordis intentio,vel ad generalia beneficia, vel ad ſpecialia ipſius gratiæ dona dirigitur,multas à ſe vanitates abigit,& à corporalibus curis in quoddam ſecretum ſpirituale ſecedit. Sed hoc in tempore dominicæ paſsionis,multò auidiùs excellentiusq; faciendum eſt,vt ea quę ſunt ſacris lectionibus recenſita,ſanæ intelligentiæ ſuſcipiantur auditu,& quæ magna ſunt verbis,appareant maiora myſterijs. Prima nanq; erigendi ſurſum noſtri cordis eſt ratio, quod ea etiam, quæ Euangelica veritas enarrauit, voces propheticæ non tanquàm gerenda,ſed tanquàm geſta cecinerunt: & quod humanæ aures nondum cognouerant faciendum,iam ſpiritus ſanctus prædicabat impletum. Nam rex Dauid,cuius ſecundum hominem ſemen eſt Chriſtus,diem crucis Domini mille & plus quàm centum annorum ætate præceſsit,& nihil eorum ſuppliciorum,quæ ſibi memorat illata,perpeſſus eſt. Sed quia per os eius ille loquebatur,qui carnẽ paſsibilem ex ipſius ſtirpe erat ſumpturus, meritò ſub ipſius perſona præmittitur hiſtoria crucis,qui in ſe gerebat corporeã originẽ Saluatoris. Verè enim Dauid in Chriſto eſt paſſus,quia verè Ieſus in carne Dauid eſt crucifixus. Cũ ergo omnia,quæ in Chriſtũ Iudaica admiſit impietas,tãto antè prædicta ſint,vt nõ tam de futuris,quàm de præſentibus propheticus ſit ſermo contextus, quid aliud nobis, quàm ſempiternarum diſpoſitionum Dei incommutabilis ordo reſeratur, apud quem, & diſcernenda iam dijudicata,

Rom. 1. Matt. 1.

Deo omnia præſentia.

dijudicata,& futura iam facta ſunt? Cùm enim & qualitates actionũ noſtrarũ,& effectus omnitũ voluntatum,ſcientia diuina præueniat,quanto magis Deo nota ſunt opera ſua,& rectè placuit,quaſi facta recoli,quæ nõ poterant omnino nõ fieri? Vnde & apoſtoli ſpiritu Dei pleni,cùm inimicorũ Chriſti minas ſæuitiamq; paterẽtur, concordi ad Deum voce dixerunt: Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum Ieſum,quem vnxiſti,Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael facere,quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri. Numquid iniquitas perſequentium Chriſtũ ex Dei eſt orta conſilio? & illud facinus quod omni maius eſt crimine,manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc plane de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt,quia multùm diuerſum multumq; contrariũ eſt,id quod in Iudæorum malignitate præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſsione diſpoſitũ. Non inde proceſsit voluntas interficiendi,vnde moriendi,nec deo vno extitit ſpiritu attrocitas ſceleris,& tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immiſit in ſe Dominus,ſed admiſit,nec præſciendo quod faciendum eſſet, coegit vt fieret,cùm tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet,vt fieret. Deniq; inter crucifixũ & crucifigentes tam diſpares cauſæ ſunt, vt quod à Chriſto ſuſceptum eſt, non poſsit reſolui,quod ab illis commiſſum,poſsit aboleri. Qui enim venit peccatores ſaluos facere,nec ipſis quidem interfectoribus ſuis miſericordiam denegauit, ſed impiorum malum,in bonum credentium commutauit, vt mirabilior fieret gratia Dei, non ſecundum merita hominum,ſed ſecundũ multitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei miſericorditer præparata,quando & ipſos,qui fuderant ſanguinem ſaluatoris,reciperet vnda baptiſmatis. Nam ſicut ſcriptura, quæ Apoſtolorum actus continet,loquitur: Cùm prædicatio beati Petri apoſtoli,Iudæorum corda compungeret, & agnita impietate ſui ſceleris dicerent: Quid faciemus viri fratres? idem Apoſtolus ait: Pœnitentiam agite,& baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vobis eſt enim facta repromiſsio & filijs veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit dominus Deus noſter. Moxq; addidit ſcriptura, & dixit: Qui ergo receperunt ſermonem eius,baptizati ſunt,& appoſitæ ſunt in illo die animæ circiter tria millia. Quod itaq; Dominus Ieſus Chriſtus furorem frementium pati voluit, in nullo author eorum criminum fuit: nec egit,vt hæc vellent,ſed ceſsit,vt poſſent, & ſic vſus eſt obcæcatæ plebis inſania,quomodò & perfidia traditoris,quem ab immanitate concepti ſceleris,& beneficijs eſt reuocare dignatus & verbis, adſumendo in diſcipulum,prouehendo in apoſtulum, monendo ſignis, conſecrando myſterijs, vt cui nihil benevolentię deeſſet ad correctionẽ,nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen. Sed tu impiiſsime homo,ſemen Chanaan & non Iuda,nec iam vas electionis, ſed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas, vt facibus inflammatus auaritiæ,ad triginta argenteorum lucrum inardeſceres, & quid diuitiarum amitteres,non videres. Nam etſi putabas credendum eſſe promiſsis, quæ fuit ratio,vt tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis? Imperabas dæmonijs,& medebaris infirmis,honorabaris cum Apoſtolis,& vt finem tuę cupiditatis expleres,patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minùs licuit, ampliùs incitauit, nec tam placuit quantitas precij, quàm magnitudo peccati. Vnde facinus commercij tui non ideò deteſtandum eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti,ſed quia redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres,vendidiſti. Et meritò tibi tua pœna eſt commiſſa,quia in ſupplicium tuum nemo te fœuior potuit inueniri. Quod igitur in tempore præſtituto, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ Ieſus Chriſtus crucifixus & mortuus & ſepultus eſt, non propriæ conditionis neceſsitas, ſed noſtræ captiuitatis redemptio fuit. Ideo enim verbũ caro factum eſt, vt de vtero virginis ſumeretur natura paſsibilis, & quod in filium Dei perpetrari non potuit, in filium hominis poſſet admitti. Nam licet in ipſo ortu coruſcarent in eo ſigna deitatis, & omnia incrementa corporalium prouectum diuinis eſſent plena miracu-

Actor. 4.

Dei præſcientia non tollit liberũ arbitrium.

Matt. 3.

Actor. 2.

Ibidem.

Iudam quãtopere Chriſtus à ſcelere reuocare conatus ſit.

Daniel. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

miraculis: infirmitatum tamen noſtrarum ſuſceperat veritatem,& excepta communione peccati,nihil à ſe humanæ infirmitatis excluſerat,vt & ſua nobis inſeret, & in ſe noſtra curaret.Ab omnipoteni enim medico duplex nobis miſeris remediũ præparatum eſt,cuius aliud eſt in ſacramento,aliud in exemplo,vt per vnum conferantur diuina,per aliud erigantur humana. Quia ſicut Deus iuſtificationis eſt author, ita homo deuotionis eſt debitor.Per hãc ergo (dilectiſsimi) ſalutis noſtræ ineffabilẽ reparationem, nec ſuperbiæ nobis, nec defidiæ locus relinquitur, quia nihil habemus,niſi quod accepimus,& iugiter admonemur,vt dona gratiæ Dei non negligẽter habeamus. Iuſtè enim nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio,& benignè incitat ad obedientiam,qui ducit ad gloriam.Vnde meritò Dominus ipſe nobis factus eſt via, quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientiæ & humilitatis eius incedit, in quo planè itinere,nec æſtus deeſt laboris,nec nubes triſtitiæ,nec procella formidinis.Ibi ſunt inſidiæ iniquorum,perſecutiones infidelium,minæ potentium,contumeliæ ſuperborum,quæ Dominus virtutum & rex gloriæ ideo omnia in infirmitatis noſtræ forma,& in carnis peccati ſimilitudine percurrit, vt inter præſentis vitæ pericula, non tam optandum ſit nobis declinando iſta effugere,quam tolerãdo ſuperare.Inde eſt, quòd caput noſtrum Dominus Ieſus Chriſtus,omnia in ſe corporis ſui mẽbra tranſformans,quod olim in pſalmo eructauerat,id in ſupplicio crucis ſub redemptorum ſuorum voce clamabat.Deus,Deus meus reſpice in me,quare me dereliquiſti? Vox iſta (dilectiſsimi) doctrina eſt,non querela.Nã cum in Chriſto,Dei & hominis vna perſona ſit,nec ab eo potuerit relinqui,à quo non poterat ſeparari, pro nobis trepidis & infirmis interrogat,cur caro pati metuens exaudita non fuerit.Inſtante enim paſſione ad ſanandũ & corrigendũ noſtræ fragilitatis metũ, dixerat: Pater ſi poſſibile eſt,tranſeat calix iſte à me.Veruntamen nõ ſicut ego volo,ſed ſicut tu. Et iterũ Pater ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tuas. Qui ergo trepidatione carnis euicta,iam ad paternam tranſierat voluntatẽ,& toto mortis terrore calcato,opus ſuæ conſtitutionis implebat,cur in ipſo tantæ victoriæ exaltatus triumpho,cauſam & rationẽ, qua ſit relictus, id eſt, non exauditus, inquirit, niſi vt oſtendat alium eſſe illum affectum,quẽ ad humanæ formidinis excuſationem recepit,alium illum,quẽ ex æterno placito patris pro mundi reconciliatione prælegit? Vnde ipſa vox non exauditi,magni eſt expoſitio ſacramenti,quòd nihil humano generi conferret redẽptoris poteſtas,ſi quod petebat,noſtra obtineret infirmitas.Hæc hodie (dilectiſsimi) ne vos prolixitate ſermonis oneremus, dicta ſufficiant: cætera in quartam ſabbati differamus.Aderit Dominus orantibus nobis, vt quæ ſoluenda promittimus,ipſo largiẽte reddamus,qui viuit & regnat in ſecula ſeculorũ, Amen.

Duplex nobis remedium in Chriſto.

1.Cor.4.

Ioan.14.

Per Chriſtũ vt eatur ad Chriſtum.

Pſal.23.

Rom.8.

Pſal.22.

Chriſtus quod ſe à patre derelictũ clamauit, qui accipiendum.

Matt.26.

Sermo decimuſſeptimus de paſſione Domini.

De vera Chriſti diuinitate ac humanitate,& clamore eius in cruce,fideq; Centurionis.

Pſal.22.

SErmo proximus (dilectiſsimi) cuius vobis promiſſam reſtituere cupimus portionem,in id differendi ratione proceſſerat,vt de illa clamantis ad patrem crucifixi Domini voce loqueremur,ne ſimplex & incurioſus auditor ita acciperet verba dicentis: Deus meus, Deus meus,quare me dereliquiſti? tanquã fixo Ieſu in crucis ligno, paternæ ab eo deitatis omnipotẽtia receſiſſet, cùm in tantã vnitatem dei & hominis natura conuenerit,vt nec ſupplicio potuerit dirimi,nec morte diſiungi. Manente enim in ſua proprietate vtraq; ſubſtãtia,nec Deus reliquit ſui corporis paſſionẽ,nec Deum fecit caro paſsibilem,quia diuinitas quæ erat in dolente nõ erat in dolore.Vnde ſecundũ verbi hominisq; perſonã,idem eſt,qui factus eſt inter omnia, &per

& per quem facta ſunt omnia.Idem eſt, qui impiorum manibus compræhenditur, & qui nullo fine concluditur.Idem eſt, qui clauis configitur, & qui nullo dolore ſauciatur.Idem poſtremo eſt, qui mortem ſubijt, & ſempiternus eſſe non deſijt,vt vtrunque ſignis non dubijs manifeſtetur,quod vera ſit in Chriſto humilitas,& vera maieſtas: quia ideò ſe humanæ infirmitati virtus diuina conſeruit,vt dum Deus ſua facit eſſe,quæ noſtra ſunt, noſtra faceret eſſe, quæ ſua ſunt.Non ergo aberat à patre filius,nec à filio pater,& illa deitas incõmutabilis & inſeparabilis Trinitas, nihil ſui poterat à ſe habere diſcretum.Quamuis enim ſuſceptæ incarnationis diſpenſatio,ad ad vnigenitum Dei filium proprie pertineret, ſic tamen pater non abiungebatur à filio,quemadmodum caro non diuidebatur à verbo. Ideò ergo Ieſus voce magna clamabat, dicens:Quare me dereliquiſti? vt notum omnibus faceret,quare oportuerit eum non erui,non defendi,ſed ſæuientium manibus derelinqui, hoc eſt, ſaluatorem mundi fieri,& omnium hominum redemptorem,non per miſeriam, ſed per miſericordiam, nec amiſsione auxilij, ſed definitione moriendi. Quæ vero illic vitæ interceſsio ſentienda eſt,vbi anima & poteſtate eſt emiſſa,& poteſtate reuocata? Dicit enim beatus Apoſtolus, quòd pater filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.Et iterum dicit: Quoniam Chriſtus dilexit eccleſiam,& ſemetipſum tradidit pro ea,vt eam ſanctificaret. Vnde tradi Dominum paſſioni,tam fuit paternæ quam ipſius voluntatis,vt cum non ſolùm pater relinqueret,ſed etiam ipſe ſe quadam ratione deſereret,non trepida diſceſsione,ſed voluntaria ceſsione.Continuit enim ſe ab impijs crucifixi poteſtas,& vt diſpoſitione vteretur occulta,vti noluit virtute manifeſta. Nam qui mortem & mortis authorem ſua venerat paſsione deſtruere,quomodo peccatores ſaluos faceret,ſi perſecutoribus repugnaret? Iudæorum igitur hoc fuerat (dilectiſsimi) vt Ieſum crederent à Deo relictum,in quem tanto ſcelere ſæuire potuiſſent,qui ſacramentum mirabilis patientiæ neſcientes ſacrilega eluſione dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si rex Iſrael eſt,deſcendat nunc de cruce,& credimus ei. Non veſtræ cæcitatis arbitrio ſtulti ſcribæ & impij ſacerdotes,oſtendenda erat potentia Saluatoris,nec ſecundum preces blaſphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti,cũ ſi deitatem filij voluiſſetis agnoſcere,innumera opera eius videritis,quæ vos ad eam quam fallaciter promittitis fidem;confirmare debuerint.Si autem,vt ipſi profitemini,verum eſt,quod alios ſaluos fecit,cur illa tot & tanta miracula,quæ ſub publico facta ſunt conſpectu,in nullo cordis veſtri duritiam mollierunt,niſi quia ita ſemper ſancto ſpiritui reſtitiſtis,vt omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? Nam etiamſi deſcenderet Chriſtus de cruce,vos tamen hæreticis in crimine. Spreta ergo ſunt vanæ inſultationis opprobria, & miſericordiam Domini perdita,& collapſa reparantem,nullæ contumeliæ,nulla conuitia à ſui via propoſiti remouerunt. Offerebatur enim Deo pro ſalute mundi, hoſtia ſingularis,& occiſio Chriſti veri agni per tot ſecula prædicata,promiſsionis filios in libertatem fidei tranſferebat. Confirmabatur quoque teſtamentum nouum, & Chriſti ſanguine æterni regni ſcribebantur hæredes. Ingrediebatur ſummus pontifex ſancta ſanctorum, & ad exorandum Deum immaculatus ſacerdos per velum ſuæ carnis intrabat. Denique adeo tunc à lege ad Euangelium, à ſynagoga ad Eccleſiam, à multis ſacrificijs ad vnam hoſtiam,quæ Deus eſt,euidens eſt facta tranſlatio: vt emittente ſpiritum Domino, velum illud myſticum,quod templi penetralia ſanctumque ſecretum ſuo intercludebat obiectu,à ſummo vſque ad imum vi ſubita ſcinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat,& ſuperflui erant nuncij ſub præſentia nunciati. Adijciebatur ijs elementorum omnium tremenda commotio,&authoribus crucis Chriſti,ipſa ſe naturæ officia ſubtrahebant. Cumque cuſtos ſupplicij Centurio territus ijs quæ viderat, diceret: Verè filius Dei erat homo iſte,impietatem tamen Iudaicam monumentis & petris omnibus duriorem,nulla proditur mitigaſſe compunctio,vt appareat paratiores ad intelligendum filium Dei tunc fuiſſe Romanos milites, quàm Iſraeliti-

Matth.27.

Roma.8.

Ephe.5.

Matth.27.

Hebr.9.

Duritia Iudæorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israeliticos sacerdotes. Quia ergo Iudæi omnium sacramentorum sanctificatione priuati, lucem sibi in tenebras, & in luctum festa verterunt, nos (dilectissimi) effusam super omnes gentes gratiam Dei prociduis corporibus atque animis adoremus, obsecrantes misericordem patrem & diuitem redemptorem, vt de die in diem, auxilio eius adiuti, omnia huius vitæ pericula possimus effugere. Adest enim callidus vbique tentator, & nihil vacuum à suis relinquit insidijs. Cuius auxiliante misericordia Dei, quæ nobis inter omnia aduersa prætenditur, fideli semper est constantia resistendum, vt quamuis impugnare non desinat, neminem tamen, quem expugnet, inueniat. Prosint omnibus (dilectissimi) religiosè celebrata ieiunia, & continentiæ vtilitas, quam & animis & corporibus probauimus congruentem, nullis corrumpatur excessibus. Quæ enim ad sobrietatem & parsimoniam pertinent, ideò diligentius in ijs sunt celebrata diebus, vt de breui studio in longam consuetudinem mitterentur, & siue in operibus misericordiæ, siue in studio parsimoniæ, nullum à fidelibus vacuum tempus habeatur: quoniam vtique in accessu dierum & cursu temporum, lucra debemus facere operum, non damna meritorum. Pijs autem studijs & religiosis animis aderit misericordia Dei, vt quod fecit concupisci, faciat obtineri, qui viuit & regnat cum Domino Iesu Christo filio suo, & cum spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Sermo decimusoctauus de passione Domini.

De figuris veteris testamenti in passione Domini referatis, & sacramento redemptionis humani generis diabolo & Iudæis abscondito, ac de vitandis hæreticorum colloquiis.

MAgnitudo quidem (dilectissimi) ineffabilis sacramenti, ita humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius vincit eloquij facultatem, vt & excellentissimis ingenijs, & facundissimis linguis, sublimior sit triumphus dominicæ passionis. Sed gaudendum nobis potius quã erubescendum est, quod tantæ superamur materię dignitate, de qua nemo humilius sensit, quam qui putauit sufficisse, quæ dixit. Non ergo superfluò prædicamus, nec de rebus diuinis loquenti, carnalium aurium sunt tumenda fastidia, tanquam despectui sint futura, quia crebro cognoscuntur iterata: cùm hoc maximè ad Christianæ fidei pertineat soliditatem, vt secundum Apostolicam doctrinam idipsum prædicemus omnes, & simus perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Infidelitas quippe, quæ omnium est mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi necesse habeat colorare, distrahitur. Veritatis autem testificatio, nunquam à sua luce discedit, & quòd alijs minùs, alijs amplius micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis. Cui secundum supernæ illuminationis auxilium, etiam meo sermone famulandum est, vt quoniam Dei agricultura, Dei ædificatio estis, ipse & dispensanti & accipienti tribuat sufficientiam, qui largitionum suarum iustam exigere nouit vsuram. Decurso igitur (dilectissimi) textu Euangelicæ lectionis, quam de gloria crucis Christi intento accepistis auditu, omnia vobis diuinorum eloquiorum mysteria patefacta sentire, & quicquid sub propheticis testificationibus vmbra veteris testamenti valebat, in sacramento passionis dominicæ manifestum esse gaudete. Ideo enim sacrificiorum varietates & purificationum differentiæ desliterunt, ideò mandatum circumcisionis, ciborum discretio, otium sabbati, & paschalis agni cessauit occisio, quia lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Præcesserunt figuræ, vt sequeretur effectus, & in aduentu rerum nunciatarum, finita sunt officia nunciorum sic reconciliatione humani generis temperata, vt salus quæ in Christo, quæ in Chri-

1. Corint. 1. *Infidelitas opinosa & varia.* *Veritas semper sui similis.* *1. Corin. 3.*

Ioan. 1. *Vetus lex figuras, nouas res ipsas habet.*

in Christo est, nullis seculis sub eadem iustificatione defuerit, & ad hoc dilationum profecerit ratio, vt quæ diu credita sunt, antequam fierent, incunctanter honorarentur. Nam cum virtus fidei in ijs, quæ visui non subiacent, constituta sit, indulgẽtius nobiscum egit doctrina cœlestis, quos in hæc mundi tempora distulit ad intelligentiæ facultatem, vt multo pluribus quàm priores, & vatibus vteremur, & testibus. Quod ergo nobis de passione Domini nostri Iesu Christi, sacra & digito Dei scripta Euangelia protestantur, sine nubilo hæsitationis accipite, & rerum gestarũ ordinem tam habetote manifestum, quàm si omnia corporeo & visu attingeretis & tactu. Vera in Christo deitas, & vera credatur humanitas. Ipse est caro, qui verbum, & sicut vnius cum patre substantiæ ita vnius cum matre naturæ. Nũ geminatus persona, non, nõ confusus essentia, potestate impassibilis, humilitate mortalis, sed vtraque sic vtens, vt & virtus glorificare posset infirmitatem, & infirmitas non valeret obscurare virtutem. Comprehẽdi se à persequutoribus patitur, qui continet mundum, & eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur. Iustitia non resistit iniustis, & cedit veritas testimonijs falsitatis, vt manens in forma Dei, formam impleret serui, & veritatem corporeæ natiuitatis confirmaret sæuitia corporeæ passionis. Sed hanc vnigenito Dei subire & perpeti, non conditio necessitatis, sed misericordiæ ratio fuit, vt de peccato damnaret peccatum, & diaboli opus de opere diaboli solueretur. Inimicus enim humani generis mortificatæ in ipsa origine vniuersitati letale vulnus intulerat, nec poterat declinare ius ferreum deditiij seminis, captiua progenies. Vnde cũ in tot generationibus mortali sibi lege subiectis, vnum videret inter hominum filios, cuius virtutem super omnes totius temporis sanctos miraretur, excellere, securum se fore credidit de perpetuitate sui iuris, si nulla iustitiæ merita sæuæ potuissent superare vim mortis. Famulis itaque suis & stipendijs vehementius incitatis, in præiudicium suum sæuit, & dum putat aliquid sibi debere quê potuisset occidere, non vidit libertatem singularis innocentiæ, similitudinem persequendo naturæ. Non autem errabat in genere, sed fallebatur in crimine. Adam enim primus & Adam secundus, vnum erant carne, non opere, & in illo omnes moriuntur, & isto omnes viuificabuntur. Ille per superbię cupiditatem iter fecit ad misericordiam, hic per humilitatis fortitudinem viam parauit ad gloriã. Vnde ipse dicit: Ego sum via, veritas & vita. Via scilicet in forma conuersationis iustæ, veritas in expectatione rei certæ, vita in perceptione felicitatis æternæ. Hoc magnæ pietatis sacramentum (dilectissimi) sicut Iudaica impietas, ita diabolica superbia nesciebat. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quia hostem humani generis latebat consilium misericordiæ Dei, & oppositio carnis velamine, Deus in Christo mundum reconcilians tegebatur, perstitit in eum furere, in quo nihil suum poterat inuenire. Nam & malignitati eius hoc magis potuisset prodesse, si parceret, & se ab effusione eius sanguinis abstineret, per quem omnium soluenda erat captiuitas, & reparanda libertas. Sed lucem tenebræ non comprehenderunt, nec mer dax cæcitas sapientiam veritatis potuit inspicere. Tenuit itaque disposita mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris & mortis, totumque supplicium transtulit in triumphum. Victi sunt errores, subactæ sunt potestates, accepit nouum mundus exordium, vt damnata generatio non obesset, quibus saluandis regeneratio subueniret. Transierunt vetera, & ecce facta sunt omnia noua, vt vniuersorum in Christo credentium, & in sancto spiritu renatorum, per ipsum & cum ipso vna esset passionis societas, & resurrectionis æternitas, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscõdita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. In hac igitur spe (dilectissimi) constituti, omnes diaboli cauete versutias, qui non solùm per carnis concupiscentias, & per corporeas tantùm insidiatur illecebras: sed inter ipsa quoque semina fidei, spargens zizania falsitatum, veritatis studet violare culturam, vt quos non potuerit corrumpere ma-

1. Cor. 2. *2. Cor. 5.* *Ioan. 14.* *Ioan. 1.* *Rom. 8.* *1. Cor. 15.* *Ioan. 14.* *2. Cor 5.* *Colos. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreticorum vitãda colloquia.

lis actibus, impijs subuertat erroribus. Fugite ergo mundanæ argumenta doctrinæ, & viperea hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis, qui catholicæ aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. Non enim templum spiritus Dei, nec membra sunt Christi, sed falsis opinionibus implicati, tot species habent diaboli, quod simulachra mendacij. A quibus malis per Dominũ Iesum Chri-

Ioan. 14.

stum, qui & via, & veritas, & vita est, liberati, omnes vitæ istius tentationes & prælia cum fidei exultatione toleremus. Si enim compatimur, & cõregnabimus. Quod

Rom. 8.

præmium non eis tantùm paratum est, qui pro nomine Domini impiorum sæuitia perempti, quoniam vniuersitas Deo seruientium Deoq; viuentium, sicut in Christo est crucifixa, ita est in Christo coronanda: illis quidem in omni gloria præcellentibus, qui terribiles mortes & sæua tormenta, vsque ad exhalationem spiritus tolerando superauerunt, sed etiam ijs subsequentibus, qui auaritiæ cupiditatem, superbiæ elationem desideriaq; luxuriæ, carnis suæ mortificatione vicerunt. Vnde meri-

2. Tim. 3.

tò Apostolus ait, quòd omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persequutionem

2. Cor. 5.

patientur, cuius vtique non est extraneus, qui non est pietatis alienus. Paschalem enim festiuitatem solenniter agit, qui non in fermento veteris malitiæ, sed in azy-

Philip. 2.

mis synceritatis & veritatis operatur. Nec iam in Adam primo, sed in Adam secun-

1. Tim. 2.

do viuit, membrum scilicet factus corporis Christi: qui cum esset in forma Dei, forma serui dignatus est fieri, vt in vno mediatore Dei & hominum homine Iesu Christo, & plenitudo maiestatis diuinæ, & veritas naturæ esset humanæ. Quam nisi ver-

**adsumpsisset*

bi diuinitas in suæ personæ* reciperet vnitatem, nec regeneratio esset in aqua baptismatis, nec redemptio in sanguine passionis. Sed quia in sacramento incarnationis Christi, nihil fallum, nihil accepimus figuratum, non frustrà nos & cum moriente mortuos, & cum resurgente credimus suscitatos, manente ipso in nobis, qui

1. Cor. 15.

operatur omnia in omnibus, viuens cum pâtre & sancto spiritu, regnansq; in secula seculorum, Amen.

Sermo decimusnonus de passione Domini.

De incomprehensibili humani generis sacramento, de diaboli insidijs ac potestate, & de Christi cruce ferenda.

Fidei vis.

SAcram (dilectissimi) dominicæ passionis historiam, Euangelica, vt moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus, vt vnicuique audientium, ipsa lectio, quædam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, vt ab ijs mente non desit, quibus corporalis præsentia interesse non potuit, & siue in præteritum redeat, siue in futurum se cor credentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis. Adest ergo sensibus nostris imago rerum pro nostra salute gestarum, & quicquid tunc discipulorum perstrinxit animos, nostros quoque tangit affectus: non quod aut tristitia deprimamur, aut sæuitia furentium Iudæorum terreamur, cùm etiam eos, quos illius tempestatis magnitudo concussit, ad inuictam constantiam resurrectio Domini ascensioq; prouexerit: sed quia cùm in cogitationem venit, quales tunc Hierusalem populi, & quales fuerint sacerdotes, magno accipiamus cum tremore mentium, tantum facinus impiorum. Quamuis enim ad salutem humani generis pertineret passio Saluatoris, & æternæ mortis vincula temporali sint Domini dirupta morte, aliud tamen crucifixi patientia, aliud crucifigentium egit insania, nec ad eosdem rerum exitus misericordia & ira tendebat, cùm per eiusdem sanguinis effusionem Christus solueret mundi captiuitatem, Iudæi interficerent omnium redemptorem. Obdurauit enim carnalem

lem Israel malignitas sua, & nihil ei legis testificatio, nihil mysteriorum imagines, nihil prophetarum oracula profuerunt: cùm pascha Domini tot seculis celebratum, in eo Ioannes doceret impletum, de quo publica protestatione dicebat: Ecce agnus

Ioan. 1.

Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Repugnat iniquitas iustitiæ, cæcitas luci, mendacium veritati, sed de sæuitia obluctantium, de scelere crudelium obtinuit Iesus æternæ dispositionis effectum, & ita humano generi sua morte consuluit, vt sacramentum salutis, etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia nec Iudaicum voluit crimẽ excludere. Quorum itaque perfidiam detestamur, eorundem fidem, si conuertantur, amplectimur, & imitantes misericordiam Domini, qui pro eis, à quibus erat crucifixus, orabat, nos quoque cum beato Paulo apostolo nostras iungimus preces, & vt ille populus misericordiam consequatur optamus, ob cuius offensionem, gratiam reconciliationis accepimus. Quoniam sicut ait magister gentium: Conclusit Deus

Rom. 11.

omnia in incredulitate, vt omnium miseretur. Quid autem illud fuit, quod & Iudæis intellectum abstulit, & sapientium mundi corda turbauit, nisi crux filij Dei,

Crux Christi apud quos quid effecerit.

quæ & philosophiam euanescere prudentium, & Israeliticam fecit caligare doctrinam? Omnem nanque sensum humanæ mentis excessit diuini altitudo consilij, cùm placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim & irrationabile

1. Cor. 2.

videbatur, recipere animo, quod creatorem omnium naturarum, in substantia veri hominis, virgo intemerata peperisset, quòd æqualis patri filius Dei, qui impleret omnia, & contineret vniuersa, furentium manibus comprehendi, iniquorum iudicio condemnari, & post* dedecus illusionum, cruci se permisisset affigi. Sed in ijs omnibus simul sunt, & humilitas hominis, & celsitudo deitatis, nec misericordiæ ratio maiestatem miserentis obscurat: quia de ineffabili potentia factum est, vt cum homo verus est id Deo inuiolabili, & Deus verus est in carne passibili conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi enim verbum caro fieret, & tam solida consisteret vnitas in vtraque natura, vt à susceptiente susceptam, nec ipsum breue mortis tempus abiungeret, nunquàm valeret ad æternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare præsidium, vt in natura passibili, mortis cõditio nõ maneret, quam impassibilis essentia recepisset, & per id quod non poterat mori, posset id quod mortuum erat, suscitari. Huic sacramento (dilectissimi) vt inseparabiliter congruamus, magna nobis & animi & corporis intentione nitendum est, vt cùm grauissimi sit periculi festum paschale negligere, periculosius sit Ecclesiasticis quidem conuentibus iungi, sed in dominicæ passionis consortio non haberi. Nam dicente Domino: Qui non accepit crucem su-

** dedecoræ*

Matt. 10.

am, & sequitur me, non est me dignus. Et dicente Apostolo: Si compatimur, & con-

Rom. 8.

regnabimus: quis verè Christum passum, mortuum & resuscitatum colit, nisi qui

Christi verus cultor quis sit.

cum ipso patitur, moritur & resurgit? Ex hoc quidem in omnibus Ecclesiæ filijs ipso iam regenerationis sunt inchoata mysterio, vbi peccati interitus, vita est renascẽtis, & triduanam Domini mortem imitatur trina demersio, vt dimoto quodam aggere sepulturæ, quos veteres susscipit sinus fontis, eosdem nouos ædat vnda baptismatis. Sed implendum est nihilo minus opere: quod celebratum est sacramento, & natis de spiritu sancto, quantumcunque supereſt mundani temporis, non sine crucis susceptione dicendum est. Quamuis enim forti & crudeli tyranno per potentiam

Crux ferenda pertim.

crucis Christi vasa antiquæ deprædationis erepta sint, & dominatio principis mundi à redemptorum sit iecta corporibus: insidiari tamen etiam iustificatis eadem malignitas persæuerat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat, vt si quas

Luc. 11.

animas negligentes imprudentesq; reperent, fæuioribus eas laqueis rursum innectat, & à paradyso Ecclesiæ raptas in consortium suæ damnationis inducat. Vnde

Ad crucem Christi vt confugiendum.

cùm quispiam obseruantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tẽdere, quod eũ à rectò itinere faciat declinare, recurrat ad crucem Domini,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.118 & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat, ac voce prophetica ad Dominum clamet, & dicat: Cõfige clauis timoris tui carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Quid autem est clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeus sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu diuini continere iudicij, vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo

Galat.6. dicere: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ibi ergo se constituat Christianus, quò eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, vbi scit humanam saluatam esse naturam. Passio enim Domini vsque ad finem producitur mundi, & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus qui pro iustitia aduersa tolerant, ipse compatitur: nisi fortè æstimandum est, multiplicata per orbem fide, renascente impiorum numero, omnes persequutiones, & omnia, quæ aduersus beatos martyres sæuierunt, finita esse certamina, tanquàm suscipiendæ crucis illis tantùm necessitas incubuerit, quibus

2.Tim.3. ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud seruientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patiuntur. Qua sententia nimis trepidus & segnis ostenditur, qui nulla persequutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mundi habere non possunt, & nul-

1.Cor.6. la vnquam iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Quia etiamsi pietas bonorum cupiat malos corrigi, conuersionem; multorum per gratiam Dei miserentis obtineat, malignorum tamen spirituum aduersus sanctos insidiæ non quiescunt, & siue occulto dolo, siue aperto prælio in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestant. Inimicum autem illis est, omne quod rectum, omne quod castum est. Et

Versutia diaboli. cum eis nihil in quenquam ampliùs liceat, quàm iustitia diuina permiserit, quæ dignatur suos aut corrigere disciplina, aut exercere patientia, agunt tamen versutissima arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere, & multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, vt quidam illos & timeant pati infensos, & velint habere placatos, cùm beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini, inimicitiam diaboli meruisse, quàm pacem, Sapientes itaque animi, qui vnum timere, vnum diligere, & in vnum sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus, & crucifixis corporis sensibus, ad nullum hostium metum, ad nullum inquinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt: & tanto ampliùs se amant, quanto ampliùs pro Dei

Eccles.18. amore se non amant. Cumq; audiunt sibi diuinitus dici, Post cõcupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, diuidunt affectus suos, & legem mentis à corporis lege dissindunt, vt ex quadam se parte sibi denegent perdentes se in ijs, quæ carnaliter cupiunt, & inuenientes se in ijs, quæ spiritaliter concupiscunt. Sanctum igitur pascha (dilectissimi) in talibus membris corporis Christi legitimè celebratur, & nihil illis deest triumphi, quos passio Saluatoris obtinuit. Quoniam in ijs,

1.Cor.9. qui Apostolico exemplo castigant corpus suum, & seruituti subijciunt, ijdem hostes eadem fortitudine conteruntur. Et nunc enim à Christo vincitur mundus, & cum à seruis suis quorumcunque vitiorum incentiua superantur, ipsius virtus est, ipsiusq; victoria. Hæc (dilectissimi) quæ ad participationem crucis pertinent, sufficienter, vt arbitror, vestris sunt hodiè auribus intimata, vt paschale sacramentum etiam in membris corporis Christi legitimè celebretur. Superest, vt de obtinendo resurrectionis consortio differamus. Quod ne continuato sermone, & mihi & vobis fiat onerosum, in diem sabbati promissa differemus. Aderit, vt credimus, gratia Dei, vt debitum nostrum ipsius auxilio compleatur, qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Sermo

SERMO PRIMVS DE RESURRECTIONE DOMINI.

De duplici vita ac morte, de Resurrectionis dominicæ documentis, & immortalitate Christi.

SErmone proximo (dilectissimi) non incongruè vobis, quantùm arbitror, participationem crucis Christi insinuauimus, vt paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, & quod festo honoratur, moribus celebretur. Quàm autem hoc vtile sit, ipsi probastis, & ex vestra deuotione didicistis, quantum prosint animis atque corporibus prolixiora ieiunia, frequentiores preces, & eleemosynæ largiores. Nemo enim ferè est, qui non hac exercitatione profecerit, & in abdito conscientiæ suæ aliquid, quo rectè possit gaudere, condiderit. Sed hæc lucra perseueranti sunt seruanda custodia, ne in desidiam resoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia. Cùm igitur quadraginta dierum obseruantia hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus crucis in tempore dominicæ passionis, admittendum est nobis, vt etiam resurrectionis Christi inueniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est, non esse, quod fuit; & ortus, esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut viuat: quia est mors, quæ causa est viuendi, & est vita, quæ causa est moriendi. Nec alibi quàm in hoc transitorio seculo vtrunque conquiritur, vt ex qualitate temporalium actionum differentiæ retributionum pendeant æternarum. Moriendum ergo est diabolo, & viuendum Deo, deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Occumbant

Cui moriẽdum, & viuendum.

vetera, vt orianturnoua. Et quoniam, sicut ait veritas, nemo potest duobus dominis seruire, dominus sit, non ille qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui deiectos erexit in gloriam. Dicente ergo Apostolo: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius, qui est de cœlo: multùm nobis de hac commutatione gaudendum est, qua de ignobilitate terrena ad cœlestem transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiam, qui vt nos in sua proueheret, in nostra descendit, vt non solum substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis adsumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Vnde ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem, pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis spacio decederet, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu * morata est in sepulchro, & tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo, quã mortis. Quoniam deitas, quæ ab vtraque sucepti hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Subsequuta sunt itaque multa documenta, quibus prædicandæ per vniuersum mundum, fidei authoritas conderetur. Et licet reuolutio lapidis, euacuatio monumenti, depositio linteorum, & totius facti angeli narratores copiosè veritatem dominicæ resurrectionis adstruerent, & mulierum tamen visui & apostolorum frequenter oculis manifestus apparuit: non solùm loquens cum eis, sed etiam habitans atque conuescens, & pertractari sa diligenti curiosoq; contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens. Ideò

viuendum.

Matt.6.

Luce 16.

1.Cor.15.

* *morari passa est.*

Resurrectionis documenta.

Actor.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 20. enim & clausis ad discipulos ostijs introibat,& flatu suo dabat spiritum sanctum,& dato intelligentiæ lumine, sanctarum scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vulnus lateris,fixuras clauorum,& omnia recentissimæ passionis signa monstrabat: vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæq; naturæ indiuidua permanere,& ità sciremus verbum non hoc esse,quod carnem, vt vnum Dei filium, & verbum confiteremur,& carnem. Non dissonat (dilectissimi) ab hac fide magister
2.Cor. 5. gentium Apostolus Paulus,cùm dicit: Etsi cognouimus secundum carnem Christum,sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini, non finis carnis, sed commutatio fuit,nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transijt, non natura defecit,& factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi: factũ est immortale,quod potuit occidi: factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari: & meritò dicitur,caro Christi in eo statu,quo fuerit nota,nesciri: quia nihil
Ibidem. in ea passibile,nihil remansit in ea infirmum,vt & ipsa sit per essentiam & non sit ipsa per gloriam.Quid autem mirum,si hoc de corpore Christi profitetur,qui de omnibus Christianis spiritalibus dicit: Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem? Ex hoc, inquit,initium nobis factum est resurrectionis in Christo,ex quo in eo,qui omnibus mortuus est,totius spei nostræ forma præcelsit. Non hæsitamus diffidentia,nec incerta expectatione suspendimur,sed accepto promissionis exordio,fidei oculis,quæ sunt futura,iam cernimus,& naturæ prouectione gaudẽtes,quod credimus,iam tenemus.Non ergo nos rerum temporalium occupent species,nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant.Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non sunt, & mens intenta mansuris ibi
In carne qui non sint. desiderium suum figat,vbi quod offertur,æternum est. Quamuis enim spe salui facti sumus,& corruptibilem adhuc carnem mortalemq; gestamus, rectè tamen dicimur in carne non esse,si carnales nobis non dominentur affectus,& meritò eius rei
Rom. 13. deponimus nuncupationem,cuius non sequimur voluntatem. Cùm itaque Apo-
Carnis cura quatenus habẽda est. lus dicat, Carnis curam ne feceritis in desiderijs, non ea nobis interdicta intelligimus,quæ saluti congruunt,& quæ humana poscit infirmitas: sed quia non omnibus desiderijs seruiendum,nec quicquid caro concupiscit,implendum est,de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos esse cognoscimus: vt carni,quæ sub ani-
Ephe. 5. mi est constituta iudicio,nec superflua cõcedamus,nec necessaria denegemus. Vnde idem Apostolus alibi ait:Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit,sed nutrit & fouet eam: cùm vtique non ad vitia, nõ ad luxuriam, sed ad debitum sit alenda & fouenda famulatum: vt teneat ordinem suum renouata natura, nec peruersa ac turpiter superioribus inferiora prævaleant, aut inferioribus superiora succumbant, & vitijs animum superantibus, ibi fiat seruitus, vbi debet esse dominatus.
Luc. 9. Agnoscat igitur populus Dei,nouam se esse in Christo creaturam,& à quo suscepta sit,quámue susceperit,vigilanter intelligat. Quæ noua facta sunt, non redeant ad instabilem vetustatem,& non omittat opus suum,qui manum misit ad aratrum,sed ad hoc attendat, quod serit, non ad id respiciat quod reliquit. Nemo in id recidat, vnde surrexit, sed etiam si pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus iaceat, sanari instanter desideret ac leuari. Hæc est enim salutis via & cœ-
Via salutis quæ. ptæ in Christo resurrectionis imitatio, vt quia in lubrico istius vitæ diuersi casus lapsusque non desunt, vestigia gradientium à fluidis ad solida transferantur. Quo-
Psal. 36. niam, sicut scriptum est, à Domino diriguntur gressus hominis, & viam eius volet. Quum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam. Hæc meditatio (dilectissimi) non pro sola solennitate paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, & ad hoc præsens exercitatio debet intendi,vt quæ animum fidelium experimento breuis obseruantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant, ac si aliquid delicti irrepserit, celeri pœnitudine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio est,tanto velocius adhibeãtur remedia,quãto recentiora sunt vulnera, vt semper

per ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem peruenire mereamur, in Christo Iesu Domino nostro,qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Sermo secundus de resurrectione Domini.

Quòd crux Christi saluandis sacramentum & exemplum,& de mysterio incarnationis.



TOtum quidem(dilectissimi)paschale sacramentum Euangelica nobis narratio præsentauit,& ita per aurem carnis penetratus est mẽtis auditus,vt nemini nostrũ rerum gestarum imago defuerit: cùm diuinitus inspiratæ textus historiæ euidenter ostenderit, qua Dominus Iesus Christus impietate traditus,quo iudicio addictus, qua sæuitia crucifixus,& qua sit gloria suscitatus. Sed adijciendũ est etiam nostri sermonis officium, vt sicut pia expectatione deposcere vos consuetudinis debitũ sentio,ita solennitati sacratissimę lectionis subiungatur exhortatio sacerdotis.Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non est,semen verbi,quod est in
Luc. 8. prædicatione Euangelij,debet in terra vestri cordis augeri,vt remotis suffocationibus spinarum ac tribulorum, libera in fructus suos exeant plantaria piorum sensuum,& rectarum germina voluntatum.Crux enim Christi,quæ saluandis est impen-
Crux Christi, & sacramentũ est, & exemplum. sa mortalibus,& sacramentum est & exemplum.Sacramentum,quo virtus impletur diuina: exemplum,quo deuotio incitatur humana: quoniam captiuitatis iugo eruetis,etiam hoc præstat redemptio,vt eam sequi possit imitatio.Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus,vt quem sibi quisque ducem elegerit, eius opiones & mores atque omnia instituta sectetur, quæ nobis erit communio nomi-
Ioan. 14. nis Christi,& vt ei inseparabiter vniamur,qui est,vt ipse insinuauit,via,veritas & vite? Via scilicet conuersationis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, & vita beatitudinis sempiternæ. Collapsa enim in parentibus primis humani generis plenitudine, ita misericors Deus creaturæ ad imaginem suam factæ,per vnigeniti tũ suum Iesum Christum voluit subuenire,vt nec extra naturam esset reparatio naturæ,& vltra propriæ originis dignitatem proficeret secunda conditio.Felix,si ab eo non decideret,quod Deus fecit,felicior si in eo maneret,quod refecit. Multum fuit à Christo recepisse formam,sed plus est,in Christo habere substãtiam.Suscepit enim nos in suam * pro- ** potestate*
prietatem illa natura,quæ se in quas voluerit mensuras benignitatis inflectit,nec vsquam conuersationem mutabilitatis incurrit.Suscepit etiã nos illa natura, quæ nec nostris sua,nec suis nostra consumeret,quæ ita vnam in se fecit deitatis humanitatisq; personam,vt sub dispensatione infirmitatum atque virtutum, nec caro per diuinitatem,inuiolabilis,nec diuinitas per carnem posset esse passibilis. Suscepit nos illa natura,quæ & propaginem nostri generis à communi tramite non abrumperet, & contagium peccati in omnes homines transeuntis excluderet.Infirmitas sanè atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, à redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, vt impenderentur ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus transfusio fuit damnationis,hoc in Christo sacramentum est pietatis. Præbuit enim se crudelissimo exactori liber à debito, & ministras diaboli Iudaicas manus in cruciatum immaculatæ carnis admisit. Quam ideò vsque ad celerrimam resurrectionem voluit esse mortalem, vt credentibus in eum, nec persequutio inseparabilis, nec mors posset esse terribilis, cùm ita dubitandum non esset de consortio gloriæ, sicut dubitandum non erat de communione naturæ. Si incunctãter itaq;(dilectissimi)corde credimus,quod ore profitemur,nos in Christo crucifixi,nos sumus mortui,nos sepulti,nos etiam die tertia suscitati. Vndę Apostolus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coloſ.3. Ius dicit: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum Chriſto in gloria. Vt autem nouerint corda fidelium habere ſe, vnde ad ſupernam ſapientiam ſpretis mundi cupiditatibus *Matt. 28.* valeant eleuari, ſpondet nobis Dominus præſentiam ſuam, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Non enim ſruſtrà per *Eſai.7.* Eſaiam dixerat ſpiritus ſanctus: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. Implet ergo Ieſus proprietatē nominis ſui, & qui aſcendit in cœlos, nō deſerit adoptatos: qui ſedet ad dexteram patris, idem totius habitator eſt corporis, & ipſe deorſum cōfortat ad patientiam, qui ſurſum inuitat ad gloriam. Nec inter vana igitur nobis deſipiendum eſt, nec inter aduerſa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiones, & hic graueſcunt labores. Sed quia miſericordia Domini plena eſt terra, adeſt nobis *Ioan.14.* vtique Chriſti victoria, vt impleatur, quod ait: Nolite timere, quia ego vici mundum. Siue ergo contra ambitionem ſeculi, ſiue contra concupiſcentias carnis, ſiue contra hæreticorum iacula dimicemus, dominica cruce ſemper armemur. Nec enim vnquam à paſchali feſto recedimus, ſi à fermento malitiæ veteris abſtinemus. Inter omnes nanque vitæ huius varietates, quæ diuerſarum plenæ ſunt paſsionum, *Philip.2.* Apoſtolicæ exhortationis meminiſſe debemus, qua nos inſtruit, dicens. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, nō rapinā arbitratus eſt eſſe ſe æqualē Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formā ſerui accipiens, in ſimilitudinē hominū factus, & habitu inuētus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediēs vſq; ad mortē, mortē aūt crucis. Propter quod & Deus exaltauit illū, & donauit illi nomē, quod eſt ſuper omne nomē, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiū, terreſtrium & infernorū: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Si magnæ, inquit, pietatis ſacramentum intelligitis, & quod pro ſalute humani generis vnigenitus Dei filius geſſit, aduertitis: hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, cuius humilitas nulli aſpernāda diuitum, nulli eſt erubeſcenda nobilium. Nec enim in tantum prouehi poteſt quælibet felicitas humana faſtigium, vt æſtimet ſibi pudendum, quod manens Deus in forma Dei, non eſt arbitratus indignum. Imitamini quod operatus eſt, diligite quod dilexit: & inuenientes in vobis Dei gratiam, veſtram in illo redamate naturam: quoniam ſicut ille paupertate diuitias non amiſit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte nō perdidit: ita & vos eiſdem gradibus, eiſdem veſtigijs, vt cœleſtia appræhendatis, terrena deſpicite. Suſceptio enim crucis, eſt interfectio cupiditatum, occiſio vitiorum, *Crucem ſuſcipere quid ſit.* declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris. Nam cum paſcha Domini, non impudicus, non luxurioſus, non ſuperbus celebret, non auarus: nulli tamen ab hac feſtiuitate longiùs quàm hæretici ſeparantur, maximeq; illi, qui de verbi incarnatione malè ſentiunt, aut minuendo quod eſt deitatis, aut euacuando quod eſt carnis. Verus enim Deus eſt filius Dei, totum habens ex patre, quod pater eſt, nullo exordio temporalis, nulla varietate mutabilis, nec ab vno diuiſus, nec ab omnipotente diuerſus, ſempiterni genitoris vnigenitus ſempiternus: vt mens fidelis credēs in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, in eadem vnius deitatis eſſentia, nec vnitatem gradibus diuidat, nec Trinitatem ſingularitate confundat. Non autem ſufficit dei filium in ſola patris noſſe natura, niſi eum non recedentem à proprijs, agnoſcamus in noſtris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ, di- *Actor.4.* ſpenſatio fuit miſerationis, non priuatio poteſtatis. Nam cùm ex æterno conſilio Dei, non eſſet aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri, inuiſibilis viſibilem, intemporalis temporalem, impaſsibilis paſsibilem ſubſtantiam ſuam fecit: non vt virtus deficeret infirmitate, ſed vt infirmitas in incorru- *Ioan.13.* ptibilem poſſet tranſire virtutem. Propter quod ipſa feſtiuitas, quæ à nobis paſcha nomina-

nominatur, apud Hebræos phaſe, id eſt, tranſitus dicitur, atteſtante Euangeliſta atque dicente: Ante diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem. Cuius autem naturæ futurus erat tranſitus iſte, niſi noſtræ, cùm inſeparabiliter & pater in filio & filius eſſet in patre? Sed quia verbum & caro, vna perſona eſt, non diuiditur à ſuſcipiente ſuſceptus, & honor prouehendi, prouehentis nominatur augmentum, dicente Apoſtolo, quod iam commemorauimus: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper *Philip.2.* omne nomen. In quo vtique adſumpti hominis exaltatio commendatur, vt in cuius paſsionibus manet deitas indiuiſibilis, idem coæternus ſit in gloria deitatis. Ad hanc participationem ineffabilis muneris, beatum tranſitum fidelibus ſuis ipſe Dominus *Ioan. 17.* præparabat, cum inſtanti iam proximus paſsioni, non ſolùm pro apoſtolis ſuis atque diſcipulis, ſed etiam pro vniuerſa Eccleſia ſupplicaret, & diceret: Non pro his autem rogo tantùm, ſed pro ijs etiam, qui crēdituri ſunt per verbum ipſorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Cuius vnitatis nullum poterunt habere conſortium, qui in Dei filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores ſalutiferi ſacramenti, & paſchalis feſti exules; quod quia ab Euangelio diſſentiunt, & ſymbolo contradicunt, nobiſcum celebrare non poſſunt: quia etſi audent ſibi Chriſtianum nomen adſumere, ab omni tamen creatura, cui Chriſtus caput eſt, repelluntur, vobis in hac ſolennitate meritò exultantibus, pieque gaudentibus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de natiuitate Chriſti ſecundum carnem, nec de paſsione ac morte, nec de corporali reſurrectione eius ambigitis: quoniam ſine vlla ſeparatione deitatis, verum Chriſtum ab vtero virginis, verum in ligno crucis, verum in ſepulchro carnis, verum in gloria reſurrectionis, verum in dextera paternæ maieſtatis agnoſcitis. Vnde etiam, ſicut Apoſtolus ait, expectamus ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus noſtræ humilitatis, conforme fieri corpori *Philip.3.* gloriæ ſuæ, qui viuit & regnat cum Deo patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO PRIMVS DE
Aſcenſione Domini.

Cur diſcipuli permiſsi ſint dubitare de reſurrectione Chriſti, & quid egerit Chriſtus inter aſcenſionem & reſurrectionem ſuam, et de Petri prærogatiua atque cicatricibus Chriſti.

POſt beatam & glorioſam reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua verum Dei templum, Iudaica impietate reſolutum, diuina in triduo potentia ſuſcitauit, quadragenarius hodie (dilectiſsimi) ſanctorum dierum expletus eſt numerus, ſacratiſsima ordinatione diſpoſitus, & ad vtilitatem noſtræ eruditionis impenſus: vt dum à Domino in hoc ſpatio mora præſentiæ corporalis extenditur, fides reſurrectionis, documentis neceſſarijs muniretur. Mors enim Chriſti, multum diſcipulorum corda turbauerat, & de ſupplicio crucis, de emiſsione ſpiritus, de exanimati corporis ſepultura, grauatis mœſtitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor abſorpſerat. Nam cùm ſanctæ mulieres, ſicut Euangelica pandit hiſtoria, reuolutum à monumento lapidem, & ſepulchrum corpore vacuum, & viuentis Domini teſtes

Universidad de Deusto
Biblioteca

testes angelos nunciarent, verba earum apostolis alijsque discipulis, deliramentis
Marci. 16. Luc. 24. similia videbantur. Quam vtique hæsitationem humana infirmitate nutantem, ne-
Discipuli cur permissi sint hæsitare de resurrectione Domini. quaquam permisisset spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida solicitudo & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in apostolis consulebatur. Nos in illis viris contra calumnias impiorum, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus. Gratias agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis. Non ergo ij dies (dilectissimi) qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, ocioso transire decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In ijs metus diræ mortis aufertur, & non solùm animæ, sed etiam carnis immortalitas de-
Ioann. 28. Petri prærogatiua. claratur. In ijs per insufflationem Domini infunditur apostolis omnibus spiritus
Luc. 24. sanctus, & beato apostolo Petro, supra cæteros post regni claues, ouilis dominici cura mandatur. In ijs diebus, duobus discipulis tertius in via Dominus iungitur comes, & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata, corda concipiunt, & quę erant tepida, referante scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis conuescentium aperiuntur obtutus, multò feliciùs eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quam illorum generis nostri
Ibidem. principum, quibus præuaricationis suæ est ingesta confusio. Inter hæc autem alia-
Ioan. 20. que miracula, cum discipuli trepidis cogitationibus æstuarent, & apparuisset in medio eorum Dominus, dixissetque: Pax vobis, ne hoc remaneret in eorum opinionibus quod voluebatur in cordibus, (putabant enim se spiritum videre, non carnem) redarguit cogitationes à veritate discordes, ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa, & vt diligentius pertractetur inuitat. Quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant seruata vestigia, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro. Per omne ergo hoc tempus (dilectissimi) quod inter resurrectionem & ascensionem Domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuauit, & cordibus, vt Dominus Iesus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi Apostoli omnesque discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, vt domino in cœlorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam
Luc. 14. magno gaudio replerentur. Et reuera magna erat & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem, humani generis natura conscendere, supergressura angelicos ordines, & vltra archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ proue-
ctionis habitura, nisi æterni patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in thro-
no, cuius naturæ copulabatur in filio. Quia igitur Christi ascensio, nostra est proue-
ctio, & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis, dignis (dilectissimi) exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solùm para-
disi professores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrauimus ampliora adepti per ineffabilẽ Christi gratiã, quã per diaboli amiseramus inuidiam.
Plus nobis Christus contulit quam diabolus abstulit. Nã quos virulentus inimicus, primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi con-
corporatos Dei filius ad dexterã patris collocauit: cũ quo viuit &
regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.
Amen.

Sermo

Sermo secundus de Ascensione Domini.

De exaltatione humanæ naturæ per Christum, virtute fidei & Christi diuinitate.

SAcramentum (dilectissimi) salutis nostræ, quam precio sanguinis sui vniuersitatis conditor æstimauit, à die corporalis ortus vsque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa etiam in forma serui, diuinitatis signa radiauerint, propriè tamen illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem verò ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, intendendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiuit in gloriam: quam DO- *Actor. 1.*
minus Iesus Christus in multis manifestisq; documẽtis, multorum declarauit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat à mortuis, inferret & cœlis.
Sicut ergo in solennitate paschali resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi: ita *In Christi*
ascensio eius in cœlos, præsentium nobis est materia gaudiorum, recolentibus illam *ascensione*
diem & ritè venerantibus, qua naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem *vnde lætã-*
cœli militiam super omnes ordines angelorum, & vltra omnium altitudinem pote- *dum.*
statum, ad Dei patris est prouecta consessum. Quo ordine operum diuinorum nos fundati, nos ædificati sumus, vt mirabilior fieret gratia Dei, cùm remotis à conspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet. Magnarum enim hic vigor est mentium, & valdè fidelium lumen animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas, vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam iustificaretur per fidem, si in ijs tantùm salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent? Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsi- *Ioan. 20.*
us carne vestigia passionis & visu explorasset & tactu, Quia vidisti me, inquit Dominus, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Vt igitur huius beatitudinis (dilectissimi) capaces esse possemus, expletis omnibus, quæ Euangelicæ prædicationi & noui testamenti mysterijs congruebant, Dominus noster Iesus Chri- *Luc. 24. Marc. 16.*
stus, quadragesimo post resurrectionem die, coram discipulis eleuatus in cœlum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filijs diuinitùs præstituta peragantur, & ad iudicandos viuos & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, aduenìat. Quod itaque redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transiuit, & vt fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cuius authoritatem supernis illuminata radijs, credẽtium corda sequerentur. Hanc fidem ascensione Dominiauctam, & sancti spiritus munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum, non solùm viri, sed etiam fœminæ, nec tantùm impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarũt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos suscitauit. Vnde & ipsi beati apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, *Ascensio*
atrocitatem tamen dominicæ passionis expauerant, & veritatem resurrectionis ei- *Domini*
us non sine hæsitatione susceperant: tantùm de ascensione Domini processerunt, *quantum*
vt quicquid illis priùs intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim con- *apostolos*
templationem animi, in diuinitatem ad patris dexteram confidentis erexerant, nec *confirmarit.*
iam corporeæ visionis tardabantur obiectu, quo minùs in id aciem mentis intenderent, quod nec à patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat. Tunc igitur (dilectissimi) filius hominis Dei filius excellentiùs sacratiusq; innotuit, cùm in paternæ maiestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cœpit esse
Ioan.14. diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc adæqualem patri filium eruditior fides gressu cœpit mentis accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quæ patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eò fides credentium vocabatur, vbi non carnali manu, sed spirituali intellectu, par genitori vnigenitus tangeretur. Hinc illud est, quod post resurrec-
Ioan.20. tionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cùm ad cõtactum ipsius properaret accedere, dicit: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum, hoc est: Nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, maiora tibi præparo: cùm ad patrem ascendero, tũc me perfectiùs veriusq; palpabis, appræhensura quòd non tangis, & creditura quod non cernis. Cùm autem ascendentem ad cœlos Dominum sequaces discipulorum oculi intenta admiratione susp icerent, adstiterunt ipsis angeli duo, mirabili vestium
Actor.1. candore fulgentes, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui adsumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodũ vidistis eum
Christo vt angeli seruierint. Luc.1. euntem in cœlum. Quibus verbis omnes Ecclesiæ filij docebantur, vt Iesus Christus in eadem, qua ascenderat, carne venturus visibilis crederetur, nec posset ambigi omnia illi esse subiecta, cui ab ipso corporeæ natiuitatis exordio famulatus seruisset angelicus. Sicut enim concipiendum Christum de spiritu sancto beatæ virgini angelus nunciauit, sic & æditum de virgine vox cœlestium, pastoribus cecinit. Sicut resurrexisse à mortuis, supernorum nunciorum prima testimonia docuerunt, sic ad iudicandum mundum in ipsa carne venturum, angelorum officia prædicarunt, vt intelligeremus, quantæ potestates sint adsuturæ cum iudicaturo, cui tantæ ministrarunt etiam iudicando. Exultemus itaque (dilectissimi) gaudio spirituali, & digna apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, & ita à fidelibus hęc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mũdi valle cognoscant: in qua etiam si quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos deuotionem beatissimus Petrus apostolus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi ouibus trina dominici amoris professione concepit, obsecrans, di
Ioan. 11. 1.Petr.2. cit: Charissimi obsecro vos tanquàm aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Cui autem, nisi diabolo, carnales militant voluntates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ille excidit, gaudet abducere? Cõ-
Charitate & misericordia nihil contra diabolum efficacius. tra cuius insidias sapienter debet fidelis quisque vigilare, vt inimicum suum, de eo quo tentatur possit elidere. Nihil autem validius est (dilectissimi) contra diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur. Sed huius sublimitas virtutis non prius apprehenditur, quàm illud quod ei aduersarium est, subruatur. Quid autem tam inimicum misericordiæ & operibus charitatis, quàm auaritia, de cuius radice omnium malorum germen emergit? Quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est vt in agro cordis illius, in quo huiusmodi planta conualuit spinæ potiùs tribuliq; vitiorum, quàm vllum veræ virtutis semen oriatur. Resistamus ergo (dilectissimi) huic tam pestifero
2.Cor.13. malo, & charitatem, sine qua nulla virtus potest nitere, sectemur, vt per hanc, qua ad nos Christus descendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere, cui est cum Deo patre & sancto spiritu honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sermo

SERMO PRIMVS DE *Pentecoste.*

De virtute ac missione spiritus sancti in linguis igneis & de peccato in spiritum sanctum.

HOdiernam solennitatem (dilectissimi) in præcipuis festis esse venerandam, omnium catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est quanta huic diei reuerentia debeatur, quę spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit. Nam ab illo die, quo Dominus super omnem cælorum altitudinem ad dexteram Dei patris confessurus ascendit, decimus iste est, qui ab eiusdem resurrectione quinquagesimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mysteria veterum sacramentorũ in se cõtinens & nouorum, quibus manifestissimè declaratur, & gratiam prænunciatam fuisse per legem, & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Aegyptijs liberato, quinquagesimo die post *Exod.19.* immolationem agni, lex data est in monte Sina, ita post passionem, qua verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione eius die, in Apostolos plebemque *Actor.2.* credentium, spiritus sanctus illapsus est, vt facilè diligens Christianus agnoscat, initia veteris testamenti Euangelicis ministrasse principijs, & ab eodem spiritu conditum fœdus secundum, à quo primum fuerat institutum. Nam sicut apostolica testatur historia, dum complerentur dies Pentecostes, essentq; omnes discipuli pariter in eodem loco, factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis: & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispartitę linguæ, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. O quàm velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit, spiritu veritatis, propriæ singularũ gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Euan-
Ioan.3. gelicę prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum, & vniuersam aridam rigauerunt: quoniam ad renouandam
Genes.1. facié terræ spiritus Dei ferebatur super aquas, & ad veteres tenebras abigendas, nouæ lucis fulgura coruscabant, cùm micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectũ consumendumq; peccatum & efficacia illuminandi & vis inesset vrendi. Quamuis autem (dilectissimi) valdè fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit, in illo omnium humanarũ vocum exultante * concentu, maiestatem spiritus sancti fuisse *conuentu
præsentem, nemo tamen existimet in ijs, quæ corporeis visa sunt oculis, diuinã eius apparuisse substantiam. Natura enim inuisibilis, & patri filioq; communis, qualitatem muneris atq; operis sui, qua voluit significatione monstrauit: proprietatem verò essentiæ suæ, in sua deitate continuit: quia sicut nec patrem, nec filium, ita nec spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In trinitate enim diuina nihil dissimile, nihil impar est, & omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cumq; in personarum proprietatibus alius sit pater, alius sit filius, aliud sit spiritus sanctus, nõ tamen alia deitas, nec diuersa natura est: siquidẽ cum & de patre sit filius vnigenitus, & spiritus sanctus patris filijq; sit spiritus, non sicut quæcunq; creatura, quæ & patris & filij est: sed sicut cũ vtroq; viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est pater filiusq; subsistens. Vnde cùm Dominus ante passionis suæ diem discipulis suis sancti spiritus sponderet ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.16. uentum: Adhuc, inquit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis modò illa portare: cùm autem venerit ille spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & futura annunciabit vobis. Omnia quæ habet pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Non ergo alia sunt patris, alia filij, alia spiritus sancti, sed quæcunque habet pater, habet & filius, habet & spiritus sanctus, nec vnquam in illa trinitate defuit ista communio. Quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere: nulla ibi tempora, nulli gradus, nulli differentiæ cogitentur, & si nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est de natura inessabili non eloqui digna, quàm definire contraria. Quicquid itaque de sempiterna & incommutabili gloria patris, pia possunt corda concipere, hoc simul & de filio, & de spiritu sancto, inseparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideo enim hanc beatam trinitatem, vnum confitemur Deum, quia in his tribus personis, nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis est vlla diuersitas. Sicut ergo detestamur Arianos, qui inter patrem & filium aliquam volunt esse distantiam, ita etiam Macedonianos pariter detestamur: qui licet patri & filio tribuant æqualitatem, spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ, non considerantes in eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præsenti seculo, neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domino: Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Permanens itaque in hac impietate, sine venia est, quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri. Nec vnquam peruenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum sibi non habet aduocatum. Ab ipso enim est inuocatio patris, ab ipso sunt lachrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, cuius æqualem cum patre & filio omnipotentiam vnamq; deitatem euidentissimè prædicat Apostolus, dicens: Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. His (dilectissimi) alijsq; documentis, quibus innumerabiliter diuinorum eloquiorum coruscat authoritas, ad venerationem Pentecostes vnanimiter incitemur, exultantes in honorem sancti spiritus, per quem omnis Ecclesia catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius est causa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quòd in toto mundo vnus Deus, pater & filius & spiritus sanctus, omnium linguarum confessione laudatur, quodq; illa significatio, quæ in specie ignis apparuit, & opere perseuerat, & munere. Ipse enim spiritus veritatis, facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, & in templo suo, nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum: de qua ope atque doctrina etiam ieiuniorum nobis atque elecmosynarum est collata purgatio. Nam hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ obseruantiæ consuetudo, quam vtilissimam sibi omnes sancti semper experti sunt, & ad quam sedulò celebrandam, pastorali vos solicitudine cohortamur: vt si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxerit, id & ieiunij censura cassiget, & deuotio pietatis emendet. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autem in idipsum consueta deuotione vigilias celebremus, per Christum dominum nostrum, Amen.

In sancta Trinitate nulla diuersitas.

Arriani.

Macedoniani.

Matt.12.

Peccatū in spiritū sanctū cur sit irremissibile.

1.Cor.12.

Ibidem.

Ieiunia è spiritu sancto manarunt.

Sermo secundus de Pentecoste.

De Mysterio Trinitatis, de missione spiritus sancti & Manichæorum impietate.

Plenissi-

PLenissimè quidem nobis (dilectissimi) causam atque rationem solennitatis hodiernæ diuinorum eloquiorum textus ostendit, quo sanctum spiritum quinquagesimo post dominicæ resurrectionem die, qui ab ascensione eius est decimus, infusum Christi discipulis, sicut promissus sperabatur, agnouimus. Sed ad nouos Ecclesiæ filios instruendos, addendum est etiam nostri sermonis obsequium. Non enim timemus vt spiritales & eruditi nota fastidiant, ad quorum fructū pertinet, vt quàm plurimis insinuari velint, quod ipsi cum magna * sui vtilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium, dispensatio munerum diuinorum, & seruitutē oris nostri, docti in doctiq; non spernant: illi vt probent se amare, quod norunt, isti vt ostendāt se desiderare, quod nesciunt. Huic enim præparationi nostræ aderit ipsius largitas, de cuius loqui maiestate gestimus, vt ad profectum totius Ecclesię & vos capaces, & nos faciat abundantes. Cùm igitur ad intelligendam dignitatem spiritus sancti acem mentis intendimus, nihil diuersum ab excellentia patris & filij cogitemus, quia in nullo ab vnitate sua discrepat diuinitatis essentia. Sempiternum est patri, cōsempiterni sibi filij sui esse genitorem. Sempiternum est filio, intemporaliter à patre esse progenitum. Sempiternum quoq; est spiritui sancto spiritū esse patris & filij: vt nunquam pater sine filio, uunquam filius sine patre, nunquam pater & filius fuerint sine spiritu sancto, & omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius enim beatæ Trinitatis & incommutabilis deitatis, vna est substantia, indiuisa in opere, & concors in voluntate, par in omnipotētia, æqualis in gloria. De qua cū sancta scriptura loquitur, vt aut in factis aut in verbis aliquid adsignet, quod singulis videatur conuenisse personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur, vt per proprietatē aut vocis aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quos distinguit auditus. Ob hoc enim quædam siue sub patris, siue sub filij, siue sub spiritus sancti appellatione promuntur, vt confessio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem nostram cœlestis doctrina nos adiuuat, vt quia in deitate patris & filij & spiritus sancti, nec singularitas est, nec diuersitas cogitanda, vera vnitas & vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, sed non possit simul ore proferri. Fundata igitur in cordibus nostris fide (dilectissimi) qua salubriter credimus, quòd simul tota Trinitas vna virtus est, vna maiestas, vna substātia, indiscreta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate, simul implens omnia, simul continens vniuersa. Quod enim est pater, hoc est & filius, hoc est & spiritus sanctus: & vera deitas, in nullo esse aut minor aut maior potest: quæ sic in tribus confitenda est personis, vt solitudinem nō recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas. Hac, inquam, (dilectissimi) fide firmiter apprehensa, non ambigamus, quòd cùm in die Pentecostes discipulos Domini spiritus sanctus impleuit, nō fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam & patriarchæ & prophetæ & sacerdotes, omnesq; sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt spiritus sancti sanctificatione vegetati. & sine hac gratia nulla vnquàm instituta sacramenta, ntulla sunt celebrata mysteria: vt eadem semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorū. Ipsi quoq; beati Apostoli ante passionem Domini spiritu sancto non carebant, nec potentia huius virtutis aberat ab operibus Saluatoris. Et cùm discipulis daret infirmitatum curationem, & eijciendorum dæmonum potestatem, eius vtiq; spiritus largiebatur effectū, in quo ipsum immundis spiritibus imperantem Iudæorū negabat impietas, & diuina beneficia diabolo deputabat. Vnde taliter blasphemantes, meritò illā Domini excepere sententiam, qua ait: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus aūt blasphemia non remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit cōtra spiritum san-

humilitate

De spiritu sancto quid sentiendū.

Fides S. tri nitatis.

Luc.11.

Matt.12.

 ctum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Vnde manifestũ est, peccatorum remissionem sine spiritus sancti aduocatione non fieri, nec quenquam sine illo, sicut expedit, ingemiscere, aut sicut oportet orare, dicente Apostolo: Quid enim oremus sicut oportet, nescimus, sed spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: quo vacuari nimis exitiabile est, nimisq; mortiferũ, quia nunquàm veniam meretur, qui ab intercessore deseritur. Omnes igitur (dilectissimi) qui in Dominũ Iesum crediderant, infusum sibi habebãt spiritũ sanctum, & remittendorũ peccatorũ iam tunc apostoli acceperant potestatem, quãdo post resurrectionem suã Dominus insufflauit, & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur. Sed illi perfectioni, quæ erat discipulis conferẽda, maior gratia & abundantior inspiratio seruabatur, per quam, & quæ nondũ acceperant, sumerent, & excellentiùs possent habere, quæ sumpserant. Propter quod Dominus dicebat: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis illa portare modò. Cum autẽ venerit spiritus veritatis, ille diriget vos in oẽm veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audierit, loquetur, & futura annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annũciabit vobis. Quid ergo est, quòd dominus promittens discipulis spiritum sanctum, qui iam dixerat, Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis: Adhuc, inquit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò? Quum autem venerit spiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem? Nunquid sese Dominus inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quàm spiritum sanctum à patre didicisse? cùm ipse sit veritas, & nihil pater, nihil spiritus posit dicere sine verbo, ideoq; dictum sit: De meo accipiet, quoniam quod accipit spiritus, patre dante, dat filius? Non itaq; alia erat insinuanda veritas, nec alia prædicanda doctrina: sed oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, augeri & multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem soras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod vtique apostoli, postea quàm spiritus sancti noua abundantia sunt repleti, ardentiùs velle & efficaciùs posse cœperunt, * proficientes à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum: vt sub nulla iam tempestate trepidantes, fluctus seculi & elationes mundi, fide supergrediente calcarent, & morte concepta, omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent. Quod verò addidit Dominus, dicens: Quæcunque audierit, loquetur, & futura annunciabit vobis, non segni intellectu (dilectissimi) nec transitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones, quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertissimè sententia totum sacrilegę falsitatis dogma prosternitur. Nam vt magnum quendam & sublimem viderentur sequi authorem, in Magistro suo Manichæo apparuisse spiritum sanctum crediderunt, promissumq; à Domino paracletum non priùs venisse, quàm hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita spiritus sanctus manserit, vt non aliud fuerit Manichæos ipse, quàm spiritus, qui per ministerium corporeæ vocis & linguæ, discipulos suos in omnem induceret veritatem, & nunquã cognita præteritorum secreta seculorum reseraret. Quod quàm sit ridiculum quanq; vanum, tæderet ostendere, nisi adhuc quosdam non puderet hoc credere. Manichæus ergo magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoq; cõsule, cùm octaua iam in Christianos ebulliret persequutio, & innumera martyrum millia ipsius suis victorijs probauissent, impletum esse quod Dominus promiserat, dicẽs: Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim in illa hora, quid loquamini. Nõ enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Non ergo potuit promissio Domini tanta per ætatum interualla differri, nec ipse spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, vt tot Ecclesiæ

Rom. 8. *1. Cor. 12.* *Ioan. 20.* *Ioan. 16.* **proficiscentes* *Manichæi quid de secta sua authore senserint.* *Manes, siue Manichæus quãdo extiterit.* *Septem dona spiritus sancti.*

clesiæ generationes, sapientia & intellectu, consilio & fortitudine, scientia & pietate atque ipso Dei timore fraudaret, donec prodigiosus turpium mẽdaciorum signifer nasceretur, cui nec hoc quidem tribui potest, quòd vel exiguam diuinæ inspirationis acceperit portionem: quoniam & hic de illa mundi extitit parte, quæ non potest spiritum veritatis accipere. Repletus enim spiritu diaboli, spiritui restitit Christi, & cùm sanctis Dei hoc paracleti doctrina contulerit, vt futura prædicerent, hic ne falsitates eius ipse rerum processus argueret, ridendarum impudentiam fabularũ in præteritas retorsit ætates. Et quasi nihil nos de sempiternitate creatoris, nihil de ordine creaturæ in vniuersum mundum bene lex sancta & diuinitus inspirata prophetia docuisset, in contumeliam Dei, & omnium iniuriam naturarum, inexplicabilium mendaciorũ monstra contexuit. quibus tandem suas insinuaturus insanias, nisi multùm incestis, & nimiùm à lumine veritatis auersis? qui siue per ignorantiæ cæcitatem, siue per turpitudinis appetitum, ad illa nõ sacra, sed execramenta perueniunt, quæ propter cõmunem verecundiã non sunt nostro sermone promẽda, cùm iam abundantissimè ipsorum sint cõfessione patefacta. Nulli ergo vestrum (dilectissimi) suadeatur, quòd tantæ impietatis authorẽ spiritus sanctus aliqua ex parte dignatus sit. Nihil ad istum prorsus de illa virtute peruenit, quã Ecclesiæ suæ Christus & promisit, & misit. Dicente enim Ioanne: Spiritus nondũ fuerat datus, quia Iesus nondũ fuerat clarificatus, Domini ascensio, dandi spiritus fuit ratio: quẽ ille necesse est vt neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominẽ negat esse prouectum. Nos aũt (dilectissimi) ad beatam æternitatẽ & animæ & carnis per regenerationem sancti spiritus adoptati, sacratissimi festi istius diẽ, rationabili obsequio & casta lætitia celebremus, cõfitentes cũ beato Paulo apostolo, quòd Dominus Iesus Christus ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: vt Euangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei patris. Ad præsentem autem solennitatem etiam ista nobis est adsumẽda deuotio, vt ieiunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruantia celebremus: quia & hoc inter maxima sancti spiritus dona numerãdum est, quòd nobis aduersum illecebras carnis & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adiuuante vincamus. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autẽ apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem spiritu orationibus nostris, vt in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum viuentem & regnantem cum patre, & eodem spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Psal. 67. *Ephes. 4.* *Philip. 2.* *Ieiunia quatuor tẽporum, apostolica sunt traditiõis.*

Sermo tertius de Pentecoste.

Quòd opera Trinitatis sint indiuisa, & de causa incarnationis, & æqualitate personarum.

HOdiernam (dilectissimi) festiuitatem toto terrarum orbe venerabilem ille sancti spiritus consecrauit aduentus, qui post resurrectionem Domini quinquagesimo die in apostolos populumq; credentium, sicut sperabatur, influxit. Sperabatur aũtem, quia illum Dominus Iesus promiserat adfuturum, nõ vt tunc primùm esse sanctorum habitator inciperet: sed vt sacrata sibi pectora, & feruentiùs accenderet, & copiosiùs inundaret, cumulans sua dona, nõ inchoans, nec ideo nouus opere, quia ditior largitate. Nunquã enim ab omnipotentia patris & filij & spiritus sancti est discreta maiestas, & quicquid in dispositione rerũ omniũ agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentia Trinitatis. Vna est ibi benignitas misericordiæ, vna censura iustitiæ, nec aliquid est in actione diuisum, vbi nihil est in voluntate diuersum,

Act. 2. *Luc. 24.* *Act. 1.* *Opera Trinitatis indiuisa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersum. Quæ ergo illuminat pater, illuminat filius, illuminat spiritus sanctus. Cũq; alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & vnitas manifestatur & Trinitas, vt essentia habens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & eiusdem substantiæ, & non eiusdem intelligatur esse personæ. Quòd ergo salua cooperatione inseparabilis deitatis, quædam pater, quædam filius, quædã propriè spiritus sanctus exequitur, nostræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio. Si *Genes. 1.* enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura nõ fieret, neq; aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo patri filius Deus, formam serui & similitudinem carnis peccati ad- *Sapient. 2.* sumeret. Sed quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suæ damno, & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet, diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt pater propitiatur, filius *Galat. 4.* propitiaret, spiritus sanctus igniret. Oportebat enim vt aliquid etiam saluandi pro se agerent, & conuersis ad redemptorem cordibus, ab inimici dominatione discisceret. Quoniã, sicut Apostolus ait: Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra cla- *2. Cor. 3.* mantem, Abba pater. Vbi autem spiritus DOMINI, ibi libertas. Et nemo potest dicere *1. Cor. 12.* Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Si ergo duce gratia (dilectissimi) fideliter sapienterq; noscamus, quid patri, quid filio, quid spiritui sancto in reparatione nostra proprium, quidúe commune sit, ea quæ pro nobis humiliter & corporaliter gesta sunt, ita proculdubiò suscipiemus, vt nihil indignum de vna atq; eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamuis enim nulla mens ad cogitãdum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcunq; illud est, quod humano intellectu de essentia paternæ deitatis attingitur, nisi vnum atq; idem est, cùm vel de vnigenito eius, vel de spiritu sancto cogitatur, non piè sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, & ipsum quod de patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia à tota Trinitate receditur, si in ea vnitas nõ tenetur. Nulla aũt ratione verè est vnum, *De Trinitate qui sit cogitandũ.* quod aliqua est inæqualitate diuersum. Quum igitur ad confitendum patrem & filium & spiritum sanctũ aciem mentis intendimus, procul ab animo formas visibilium rerum & ætates temporalium naturarum, procul corpora locorũ & loca corporum repellamus. Discedat à corde, quod spatio extenditur, quod fine cõcluditur, & quicquid nec semper vbiq;, nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At si quid de Deo dignũ senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ, tanquã honorificentiùs patri adscribat, quod filio spirituiq; non tribuat. Non est pietas vnigenito præferre genitorem: filij contumelia, patris est iniuria: quod vni demitur, vtriq; detrahitur. Nam cùm illis & sempiternitas sit cõmunis & deitas, nec omnipotens pater, nec incõmutabilis æstimatur, si aut minorẽ se genuit, aut quẽ non habuit, habẽdo profecit. Dicit qui- *Ioan 14.* dem Dominus Iesus discipulis suis, sit Euangelica lectione recitatũ est: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad patrem vado, quia pater maior me est. Sed hoc illæ *Ioan. 10.* aures, quæ sæpiùs audierũt, Ego & pater vnũ sumus, &, Qui me videt, videt & patrẽ, *Ioan. 14.* sine deitatis accipiunt differentia, nec de illa hoc essentia intelligunt, quã sempiternam cũ patre & eiusdẽ naturæ nouerunt esse firma ratione. Cõmendatur ergo etiam sanctis apostolis in incarnatione verbi dominici humana prouectio, & qui denunciato sibi Domini turbabantur abscessu, ad æterna gaudia honoris sui incitantur augmento. Si diligeretis me, inquit, gauderetis vtiq; quia vado ad patrẽ, hoc est, *Ibidem.* si perfecta scientia videretis, quid vobis gloriæ confertur per hoc, quòd ex Deo patre genitus, etiam ex homine matre sum natus, quòd DOMINUS æternorum, vnus volui esse mortalium, quòd visibilem me inuisibilis præbui, quòd formã serui in forma Dei sempiternus accepi, gauderetis, quia vado ad patrem. Vobis enim præstatur hæc ascensio, & super omnes cœlos ad patris dexteram collocanda vestra in me humilitas

militas eleuatur. Ego autem qui hoc sum cum patre, quod pater est, indiuiduus cum genitore permaneo, & sic ab illo, ad vos veniens, nõ recedo, quemadmodum & vos ad illum rediens, non relinquo. Gaudete ergo, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Vniui enim vos mihi, & factus sum filius hominis, vt vos filij Dei esse possitis. Vnde licet vnus in vtroq; sim, tamen quo vobis conformor, patre sum minor. Quòd autem à patre non diuidor, etiam meipso sum maior. Natura itaq; quæ minor est patre, vadat ad patrem, vt ibi sit caro, vbi semper est verbum: & vna Ecclesiæ catholicæ fides, quem secundum humanitatem non diffidetur minorem, secundum deitatem credat æqualem. Contemnatur igitur (dilectissimi) vana & cæca versutia hæreticæ impietatis, quæ sibi huius sententiæ sæua interpretatione blanditur, ac dicente Domino: Omnia quæ habet pater, mea sunt, non intelligit se patri demere, *Ioan. 15.* quicquid filio audet negare: & ita in his, quæ humana sunt, desipit, vt putet, quòd ideò vnigenito paterna defuerint, quia nostra suscepit. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec delata reconciliatio creaturæ, sempiternæ defectus est gloriæ. Quæ habet pater, habet filius, & quæ habet pater & filius, habet & spiritus sanctus: quia tota simul Trinitas est vnus Deus. Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse vnigenitus filius docuit, ipse spiritus sanctus instituit, de quo nihil est aliter, quàm de patre & filio sentiendũ. Quia licet non sit pater, non sit filius, non tamen est à patre filioq; diuisus, & sicut propriam habet in Trinitate personam, ita vnam habet in patris & filij deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, & cum patre & filio vniuersa moderantem, per infinita secula seculorum, Amen.

SERMO PRIMVS DE *Ieiunio Pentecostes.*

De abstinentia ac carnis afflictione, & neminem in hac vita esse securum.

HOdiernam (dilectissimi) festiuitatem descensione spiritus sancti cõsecratam sequitur, vt nostis, solenne ieiuniũ, quod animis corporibusq; curandis salubriter institutum, deuota nobis est obseruantia celebrãdum. Repletis namq; apostolis virtute promissa, & in corda eorũ spiritu veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cœlestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritalis continentiæ disciplinam de paracleti *Ieiunia Ec* magisterio primitùs fuisse conceptã, vt sanctificatæ ieiunio *clesiæ sau* mentes conferendis sibi charismatibus fierẽt aptiores. Aderat quippe Christi dis- *cto spiritu* pulis protectio omnipotentis auxilij, & principibus nascentis Ecclesiæ tota patris fi- *autore in* lijq; diuinitas, in præsentia sancti spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus *structa.* persequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudine, nec carnis erat saturitate certandum, cùm hoc maximè hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat, & tanto fiat rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. Ij itaq; doctores, qui exemplis & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis ieiunijs inchoarunt, vt contra spiritales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma raperent, quibus incentiua vitiorum truncarent. Inuisibiles enim aduersarij, & incorporales hostes, non erunt contra nos validi, si nullis carnalibus desiderijs fuerimus immersi. Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est, sed inermis atque inefficax erit, si nihil in nobis vnde contra nos pugnet, inuenerit. Quis autem hac fragili carne circundatus, & in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multùm valide-

que

Universidad de Deusto
Biblioteca

que profecerit, ita iam de sua salute securus sit, vt ab omni se illecebrarum periculo credat alienum? Donet licet sanctis suis quotidianam (gratia diuina) victoriam, nō aufert tamen dimicandi materiā, quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de cōfecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret. Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, postq; præceptū sancti spiritus donum, salubriter & necessariè cōsuetudo est ordinata ieiunij, vt si quid fortè inter ipsa festiuitatum gaudia, negligens libertas & licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Quæ ob hoc quoq; studiosius exequenda est, vt illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ diuinitùs sunt collata, permaneant. Emplū enim facti spiritus sancti, & maiore quàm vnquā copia diuini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentijs vinci, nullis vitijs possideri, vt virtutis habitaculum, nulla sit contaminatione pollutū. Quod vtiq; regente atq; adiuuāte Domino omnibus obtinere possibile est, si per ieiunij purificationem ac per misericordiæ largitatem studeamus & peccatorū sordibus liberari, & charitatis fructibus esse fecūdi. Quicquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in precia captiuorum, & in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur, nec vnquam apud Deū perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit, dū quodcunq; tribuit ad subsidiū, id sibi recondit ad præmium. Beati enim misericordes, quoniam ipsorū miserebitur Deus: neq; delictorū memoria erit, vbi testimoniū pietatis adfuerit. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, cuius nos orationibus, & à spiritalibus inimicis & à corporeis hostibus confidimus liberari, per Dominum nostrum Iesum Christum qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ieiunia salubriter instituta.

Matt. 5. Orant sancti pro nobis.

Sermo secundus de Ieiunio Pentecostes.

De ieiunio Christianorum, Iudæorum, hæreticorum & paganorum.

Quæ Ecclesia generatim obseruat, apostolicæ sunt traditionis.

DVbitandum non est (dilectissimi) omnem obseruantiam Christianam eruditionis esse diuinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione apostolica & de sanctiſpiritus prodire doctrina, qui nūc quoq; cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Nam cùm in die Pentecostes, quem à pascha Domini quinquagesimum celebramus, promissus à Domino spiritus sanctus, expectantiū mentes maiori quàm vnquam copia & clariore præsentia suæ maiestatis impleuerit, manifestissimè patet inter cætera Dei munera, ieiuniorum quoq; gratiam, quæ hodiernam festiuitatem indiuisa subsequitur, tunc fuisse donatam, vt sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita fit continentia origo virtutum. In exercendo autem hoc Dei munere, non ideò segniores esse debemus, quia & Iudæi & hæretici sæpè ab edendi libertate, se continent, & apud ipsos paganos sunt quædam vana ieiunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides sanctificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide, peccatū est, cum diuisis ab vnitate corporis Christi, nulla similitudine comparamur, nulla communione miscemur, quod vtique nobis saluberrimum maximumq; ieiunium est. Ad virtutem enim continentiæ nihil prius pertinet, quàm ab erroribus abstinere: quia tunc demum bene ambulatur, cùm per viam veritatis inceditur. Nam quia angusta & ardua declinantes, procliuia & lata sectando, citò in perditionem deueniunt, melior est gradus lentior per

Ieiunia authore Deo instituta.

Rom. 14.

per iter rectum, quàm velocitas festina per deuium. Agnoscat ergo catholicus Christianus fructus ieiunij sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti spiritus rigatione processerit. Cùm enim dicat Apostolus, nullas sibi virrutes sine charitate prodesse, idemq; dicat, charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, cauendum est, ne bona, quæ facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se meritò laude dispoliat, qui de studij industriæ suæ in se magis quàm in Domino gloriatur, cùm beatus Dauid doceat in sanctorum operibus Deum esse laudandum, dicens: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinē plebi suæ. Et iterum: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt, tota die, & in iustitia tua exultabuntur: quoniam gloria virtutis eorū es tu. Et ideo (dilectissimi) secundum eruditionem spiritus sancti, per quem Ecclesiæ Dei, omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solenne ieiunium, & in mādatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione iactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui & bonarum est inspirator voluntatum, & bonarum est author actionum, dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cælis est, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

1. Cor. 13. Rom. 3. 1. Cor. 2. 2. Cor. 10. Hierem. 9. Psal. 67. Psal. 88.

Sermo tertius de Ieiunio Pentecostes.

De vtilitate ieiunij & eleemosynarum.

SAnctarum solennitatum (dilectissimi) ordine celebrato, & spiritalis lætitiæ deuotione completa, oportet nos ad salubritatem recurrere parcitatis, remediumq; ieiunij & exercendis mentibus & castigandis adhibere corporibus, vt quia nos satis de hoc & diuina monita & propria experimenta docuerunt, primùm per sacratissimorum dierum recursum diuinæ pietati gratias referamus, quum sanctas continentiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus, ita vt proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiunijs præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, si animas nostras à peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Eleemosynæ præstāt ieiunio. Luc. 11.

Sermo quartus de Ieiunio Pentecostes.

De laude abstinentiæ, & carnis castigatione.

INter omnia (dilectissimi) apostolicæ institutа doctrinæ, quæ ex diuinæ institutionis fonte manarūt, dubium nō est, influente in Ecclesiæ principes spiritu sancto, hanc primùm ab eis obseruantiā fuisse conceptā, vt sancti obseruatione ieiunij, omniū virtutū regulas inchoarent, quia multùm ad præcepta Dei exequenda prodesset, si Christiana militia cōtra incentiua omnia vitiorū cōtinentię se sanctificatione muniret. Cū enim per illecebrā cibi irrepserit prima causa peccati, quo salubriore Dei munere vtitur redempta libertas, quàm vt nouerit abstinere à cōcessis, quæ frenare se nescit à vetitis? Omnis quidē creatura Dei bona est, & nihil est abijcien-

Ieiuniorū quāta vis.

1. Tim. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

abijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur: sed nō ad hoc creati sumus, vt sœda & impudenti auiditate omnes mundi copias expetamus, tanquam quod licet sumi,non liceat prætermitti. Laudetur Deus,qui hominum vsui tam multa donauit,sed agnoscat rationalis animus,maiores delitias menti datas esse quàm carni: *Eccles.18.* & cùm audit sibi per spiritum sanctum dici: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere,intelligat sibi contra omnia, quæ sensibus corporeis blandiuntur,temperantiæ sectandam esse virtutem, per quam dum exterioris hominis voluntas minuitur, sapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi, qui sub leuitate ieiunij, nec eundem sensum potest satietas gene- *Galat.5.* re,quem parcitas. Quia cum caro concupiscens aduersus spiritum, spiritali cupiditate superatur,libera obtinetur sanitas & sana libertas,vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio. Ad hanc ergo vtilitatem nos (dilectissimi) præsens tempus inuitat,vt à resurrectione Domini vsque ad aduentum spiritus sancti quinquaginta diebus emensis,quos in lætitia præcipuæ festiuitatis exegimus,ad ieiuniorum remedia recurramus,ne fortè per occasionem licentiæ blandioris, aliquas negligē- *Caro castigāda iugiter.* tiæ culpas delectabilium vsus inciderit. Terra enim carnis nostræ,nisi assiduis fuerit subacta culturis,citò de segni ocio spinas tribulosq; producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum, dicente Do- *Matt.15.* mino: Omnis plantatio,quam non plantauit pater meus cœlestis,eradicabitur. Cu stodienda igitur nobis omnium germinum seminumq; generositas, quam ex summi agricolæ plantatione concepimus, & vigili solicitudine prouidendum, ne Dei munera,aliqua inuidentis inimici fraude violentur,& in paradiso virtutum cōcrescat sylua vitiorum. Ad declinandum autem hoc malum, nihil est potentius eleemosynis atque ieiunijs,dum & carnales cupiditates continentia necat, & desiderium spiritalium fructus,misericordiæ cura multiplicat. Vnde charitatem vestram solerter admonemus,vt per castigationem corporis & per opera pietatis, mundari ab omnium peccatorum sorde cupientes, quarta & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, cuius meritis & *Orant sancti pro nobis.* orationibus ita nos per omnia credimus adiuuandos, vt misericordia Dei & ieiunijs nostris adsit & votis,per Christum Dominum nostrum, Amen.

SERMO PRIMVS IN NATALI
Apostolorum Petri & Pauli.

De dignitate vrbis Romæ, quam consequuta est per apostolos Petrum & Paulum, de imperio, superstitione & fide eiusdem,deniq; de Neronis furore ac persecutione.

OMnium quidem sanctarum solennitatum (dilectissimi) totus mundus est particeps,& vnius fidei pietas exigit, vt quicquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, communibus vbiq; gaudijs celebretur. Veruntamen hodierna festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit,speciali & propria nostræ vrbis exultatione veneranda est,vt vbi præcipuorum apostolorū glorificatus est exitus,ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti *Romæ quid cōtulerint Petrus & Paulus.* enim sunt viri,per quos tibi Euangelium Christi Roma,resplenduit,& quę eras magistra erroris,facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui veriq; pastores, qui te regnis cœlestibus inferendam multo meliùs multoq; feliciùs condiderunt,quàm illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi

tibi nomen dedit,fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt,qui te ad hanc gloriam prouexerunt,vt gens sancta,populus electus,ciuitas sacerdotalis & regia,per sacram beati *1.Pet.2.* Petri sedem caput orbis effecta,latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs,ius imperij tui terra mariq; protuleris,minus tamē est,quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Deus nanq; bonus, & iustus, & omnipotens, qui misericordiam suam humano generi nunquam negauit, omnesq; in commune mortales ad cognitionē sui,abundantissimis semper beneficijs erudiuit,voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam,secretiore consilio & altiori pietate miseratus est,mittendo verbum suum æquale sibi atque coæternum. Verbum igitur caro factum ita diuinam naturam naturæ vniuit humanæ,vt illius ad infima inclinatio,no *Romanum imperium curdiuinitus præparatum.* stra fieret ad summa prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mū dum diffunderetur effectus,Romanum regnum diuina prouidentia præparauit: cu ius ad eos limites incrementa perducta sunt,quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua esset vniuersitas. Disposito nanque diuinitùs operi, maximè congruebat,vt multa regna vno consœderarentur imperio,& citò peruios haberet populos prædicatio generalis,quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis authorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur adsumpsisse religionem,quia nullam respuebat falsitatem. Vnde quantum erat per diabolum tenaciùs illigata,tantùm per Christum est mirabiliùs absoluta. Nam cùm duodecim apostoli, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum,distributis sibi terrarum partibus,suscepissent: beatissimus Pe- *Actor.2.* trus princeps apostolici ordinis,ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis,quæ in omnium gentium reuelabatur salutem,efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cúius autem nationis homines in hac tunc vrbe nō essent, aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ philosophiæ opiniones, hîc dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus,hîc omnium sacrilegiorum impietas destruenda,vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid vsquā fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem tu beatissime apostole Petre venire non metuis,& consorte gloriæ tuæ Paulo apostolo,aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato,syluam istam frementium bestiarum,& turbulentissimę profunditatis oceanum,constantior,quàm cum supra mare gradereris,ingrederis. Nec mū- *Matt.14.* di dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expauēras sacerdotis ancillam. *Matt.26.* Nunquid autem iudicio Pilati,aut sæuitia Iudæorum minor erat vel in Claudio potestas,vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris: nec æstimabas terrori cedendum,dum horum saluti consulis,quos susceperas alendos. Hunc ergo intrepidæ charitatis affectum, iam tunc profectò conceperas, quando professio tui amoris in Dominum,trinæ interrogationis est solidata mysterio. Nec *Ioan.21.* aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est,quàm vt pascendis eius, quem diligeres,quibus cibum,quo ipse eras opimatus,impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum atq; experimenta virtutum. Iam populos,qui ex circuncisione crediderant, erudieras: iam Antiochænam Ecclesiam,vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Pon- *Actor.11* tum,Galatiam,Cappadociam,Asiam,atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, necaut dubius de prouectu operis, aut de spacio tuæ ignarus ætatis,trophæum crucis Christi,Romanis arcibus inferebas, quò de diuinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis. Ad quam beatus coapostolus tuus,vas electionis,& specialis magister gentium Paulus occurrens,eo- *Actor.9.* dem tibi consociatus est tempore, quo iam omnis innocentia,omnis pudor,omnis- *1.Tim.1.* que libertas,sub Neronis laborabat imperio. Cuius furor,per omnium vitiorū in- *Nero primus flamma-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus persecutor Christianorũ.

flammatus excessum, in hunc eum vsq; torrentem suæ præcipitauit insaniæ, vt pri-
mus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per san-
ctorum neces gratia Dei posset extingui, cuius hoc ipsum erat maximum lucrum, vt
contemptus vitæ huius occiduæ perceptio fieret felicitatis æternæ. Præciosa ergo in
Psal.115. conspectu Domini, mors sanctorum eius: nec vllo crudelitatis genere destrui potest
sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persequutionibus Eccle-
sia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ
singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina se-
minis, in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur,
qui apostolicorum æmuli triumphorum, vrbem nostram purpuratis & longè lateq;
rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum confer-
to vno diademate coronarunt. De quorum præsidio (dilectissimi) diuinitus no-
bis ad exemplum patientiæ & confirmationẽ fidei præparato, vniuersaliter quidem
in omnium sanctorum commemoratione lætandum est, sed in horũ excellentia pa-
Ephes.1. trum meritò est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantũ apicem inter om-
nia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi gemi-
num constitueret lumẽ oculorum, de quorum meritis atq; virtutibus, quæ omnem
Orãt sancti pro nobis. loquendi superãt facultatem, nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum: quia
illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Sicut autẽ & nos experti
sumus, & nostri probauere maiores, credimus atq; confidimus, inter omnes labores
istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum
orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantùm Apo-
stolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est cum pa-
tre, & sancto spiritu eadem potestas, vna diuinitas in secula seculorum, Amen.

Sermo II. in Natali apostolorum Petri & Pauli.

De fide Petri ac confessione, super quam ædificata est Ecclesia.

Petrus princeps apostolorum.

EXultemus in Domino (dilectissimi) & spiritali iucũditate lætemur,
quia vnigenitus Dei patris filius, Dominus noster Iesus Christus, ad
insinuanda nobis suæ dispensationis & diuinitatis mysteria, apostо
lici ordinis primum beatum Petrum huic ciuitati dignatus est præ-
rogare, cuius hodierna solennitas, recurrente triumpho martyrij,
specimen & decus contulit orbi terrarum. Hoc enim obtinuit (di-
lectissimi) illa confessio, quæ à Deo patre inspirata apostolico cordi, omnium hu-
manarum opinionum incerta transcendit, & firmitatem petræ, quæ nullis impulsi-
onibus quateretur, accepit. Euangelica siquidem referente historia, omnes apostо-
los Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat. Et tam diu sermo respon-
dentium communis est, quàm diu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At
vbi quid habeat discipulorum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessio-
Matt.16. ne, qui primus est in apostolica dignitate. Qui cùm dixisset: Tu es Christus filius dei
viui, respondit ei Iesus: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuela-
uit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec
opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit: & non caro & sanguis, sed
ille me tibi, cuius sum vnigenitus, indicauit, & ego: inquit, dico tibi. Hoc est: Si pater
Ephes.2. meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tu-
Petrus vt sit petra, super quã Christus am. Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui
facio vtraq; vnum, tamen tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris, vt quę mihi
potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione cõmunia. Supra hanc petram
ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super
hanc,

hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inse- *dificarit*
renda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ infe- *Ecclesiam*
ri non tenebunt, mortis vincula non ligabũt. Vox enim ista, vox vitæ est, & sicut con *suam.*
fessores suos in cœlestia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod
dicitur beato Petro apostolo: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quæcunq; liga-
ueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcũnq; solueris super terram, erũt
soluta & in cœlis. Transiuit quidem in apostolos alios vis istius potestatis, sed non
frustrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc *Petri pri-*
creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus, Petri forma proponitur. Manet ergo Pe- *uilegium.*
tri priuilegium, vbicunq; ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia est, vel seue-
ritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatũ, nihil solutum, nisi quod Petrus aut ligauerit,
Luc.22. aut soluerit. Instante aũt passione sua, quę discipulorũ suorũ erat turbatura cõstan-
tiã, Dominus Simoni inquit: Simon ecce Satanas expostulauit, vt vos cribaret sicut
triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquãdo conuer-
sus, confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem. Commune erat omnibus apo-
stolis periculum de tentatione formidinis, & diuinę protectionis auxilio pariter in-
digebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamẽ spe-
cialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide propriè supplicatur, tãquam
aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo *Ioan.21.*
omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas,
quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. Nam & post
resurrectionem suam Dominus beato Petro apostolo post regni claues, ad trinam *Petrus vt*
æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas: quod *etiamnum*
& nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmãs *pascat Ec-*
nos exhortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione supe- *siam.*
remur. Si autem hanc pietatis suæ curã omni populo Dei, sicut credendum est, vbiq;
protendit, quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos
in sacro dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne, requiescit? Cùm itaq; (dile-
ctissimi) tantum nobis videamus præsidium diuinitùs institutum rationabiliter &
iustè in ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno regi &
redemptori nostro Iesu Christo, quòd tantam potentiam dedit ei, quem totius Ec- *Petrus to-*
clesiæ principem fecit, ad gloriam & laudem nominis sui, qui cum Deo patre & spi- *tius princeps Eccle*
ritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen. *siæ.*

SERMO IN OCTAVA APOSTO-
lorum Petri & Pauli.

De ingratitudinis vitio ac decem leprosis.

Ingratitudo quàm pernicioſa. Hiere.5.

REligiosam deuotionem (dilectissimi) qua ob diem castiga-
tionis & liberationis nostræ, cunctus fidelium populus ad
agendas Deo gratias cunfluebat, penè ab omnibus proximè
fuisse neglectam, ipsa paucorum, qui adfuere raritas demon
strauit, & cordi meo multum tristitiæ intulit, & plurimum
timoris incussit. Magnum enim periculum est, esse homines
ingratos Deo, & per obliuionem beneficiorum eius, nec de
correptione compungi, nec de remissione lætari. Vereor
igitur (dilectissimi) ne vox illa prophetica tales increpasse videatur, quæ dicit: Fla-
gellasti eos, & non doluerunt, castigasti eos, & noluerunt accipere disciplinã. Quæ
enim in eis correctio ostẽditur, in quibus tanta auersio reperitur? Pudet dicere, sed
necesse est non tacere: plus impenditur dæmonijs quàm apostolis, & maiorem ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinent insana spectacula frequentiam, quàm beata martyria. Quis hanc vrbem refor
mauit saluti? quis à captiuitate eruit, quis à cæde defendit? ludus Cyrcensium, an cu
ra sanctorum? quorum vtique precibus diuinæ censuræ flexa sententia est, vt qui me
rebamur iram, seruaremur ad veniam. Tangat obsecro (dilectissimi) cor vestrum il-
Luc.17. la sententia Saluatoris, qui cùm decè leprosos misericordiæ virtute mũdasset, vnum
tantùm dixit ex eis ad agendas gratias reuertisse, significans videlicet de ingratis,
quod huic pietatis officio, etiam si corporis adsequuti sunt sanitatem, non tamen si-
ne animi impietate defuerunt. Ne ergo ista ingratorum nota etiam vobis (dilectis-
simi) possit adscribi, reuertimini ad Dominum, intelligentes mirabilia, quæ in no-
bis dignatus est operari, & liberationem nostram, non sicut opinantur impij, stella-
rum effectibus, sed ineffabili omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda
furentium barbarorum mitigare dignatus est, ad tanti vos beneficij memoriam to-
to fidei vigore conferte. Grauis negligentia maiore satisfactione curanda est. Ad
emendationem nostram vtamur lenitate parcentis, vt beatus Petrus, & omnes san-
cti, qui nobis in multis tribulationibus adfuerunt, obsecrationes nostras pro vobis
apud misericordem Deum iuuare dignentur, per Christum Dominum nostrum,
Amen.

SERMO IN NATIVITATE SANCTO-
rum septem fratrum martyrum Machabæorum.

De Machabæorum festo ac martyrio, & continuo Christianorum conflictu.

Festiuitas dedicationis Ecclesiæ & martyrum.

GRatias (dilectissimi) agamus Domino Deo nostro, quòd quanta sit huius diei solennitas, etiam si ego taceam, conuẽ-
tus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio & deuoto animo cõuenistis, vt festiuitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur: & rectè. Du-
plex enim causa lætitiæ est, in qua & natalem Ecclesiæ colimus, & martyrum passione gaudemus. Nec immeritò dignè Ecclesia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solennitatis hodiernæ (dilectissimi) plenissimæ sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cùm gloriosam septem martyrum matrem exultanti & non tacito honoraretis affectu, in singulis quidem filijs passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos inuicto præmisit hortatu. Beata genetrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cùm in illo ordine mortium, & in illa dispositione pœnarum, id sæuissimi regis excogitasset impietas, vt victoriam sibi & de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo: & de postremis, quos in supplicio torqueret alieno, multicatæ sunt martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincũt, præter coronas proprias, omnes acquisiuere septenas. Sed hæc ad fructuosam recolenda sunt aurium voluptatem. Inflat scientia, nisi
1.Cor.8. ædificet obedientia: grauant audita, nisi suscipiantur imitanda. Nec enim quia cessauit persequutor & tortor, quia iam omnes Deo militant potestates, desunt Chri-
Eccle.2. 1.Tim.3. Conflictus Christianorum. stianis, quas superent, passiones. Fili, inquit, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et Apostolus dicit: Quicũque in Christo piè volunt viuere, persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui ergo putas quieuisse persecutionem, & nullum tibi cum hostibus esse conflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, & omnes recessus animæ tuæ diligens explorator ingredere, & vide si nulla te impugnat aduersitas, si nullus tyrannus vult in mentis

mẽtis tuæ arce dominari. Noli cum auaritia pacem firmare, & iniquorũ quæstuum incrementa conterere. Superbiæ concordiam nega, & magis time in gloriam susci-
pi, quàm in humilitate calcari. Dissociare ab ira, nec dolorem inflammet inuidiæ cupido vindictæ. Renuncia voluptati, auertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falsitatem, & cùm videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator martyrum, numerosam quære victoriã. Toties enim peccatis mo-
rimur, quoties in nobis peccata moriuntur, & preciosa in conspectu Domini etiam *Psal.115.* ista mors sanctorum eius, vbi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum. Si ergo charissimi, non ducitis cum infidelibus iugum, si peccato- *2.Cor.6.* res esse desistitis, & nullis carnalium cupiditatum tentationibus ceditis, solennem hanc diem celebretis, & non solùm martyres ac martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneramini, qui hoc die antiquam festiuitatem huius loci consecratione geminauit. Magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, vltra æui sui terminos opera pietatis extendens, vt vtilitatibus institutionum eius etiam in ipso frueretur deuota posteritas, & habitãdo quod condidit, & faciendo quod docuit. Omnia ergo (dilectissimi) quæ oculis cernitis, & mente meministis, ad profectum vestræ ædificationis adsumite, & ita vnusquisq; vestrum præparato à maioribus vtatur habitaculo, vt in seipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ prauum, nihil supponat infirmum, sed viuis & electis lapidibus congruendo, per indissolubilem connexionem crescat in domi-
nici corporis vnitatem, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

SERMO IN NATIVITATE
S. Laurentij martyris.

De laude atque exemplo martyrum, & D. Laurentij passione ac triumpho.

VM omnium (dilectissimi) summa virtutum & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximusq; diligitur, in nullis profectò hic amor sublimius excellere clariusq; fulgere, quàm in beatissimis martyribus inuenitur, qui Domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis. Quamuis enim illi dile- *Rom.5.* ctioni, qua Dominus nos redemit, nulla cuiusquam benignitas possit æquari, quia aliud est pro iusto mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro impijs occumbere à debito mortis alienum: multum tamen vniuersis hominibus etiam martyres contulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est Dominus, vt pœnam mortis, atrocitatem crucis, nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus, nec cuiusquam sapientis, sibi tantum sapientia est amica, & hæc verarum natura virtutum est, vt multos à tenebroso abducat errore, quia earum clarus est lumine, ad eru-
diendum Dei populum, nullorum est vtilior forma, quàm martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce. In quo excellentissimo genere doctrinæ beatus martyr Laurentius, cuius passione dies hodiernus illustris est, *Laurentij martyris excellẽtia.* quàm gloriosa polleat dignitate, etiam persequutores eius sentire potuerũt, quum ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret. Quum enim fu-
ror

Universidad de Deusto
Biblioteca

ror gentilium poteſtatum in electiſsima quæq; Chriſti membra ſæuiret, ac præcipuè eos, qui ordinis erant ſacerdotalis, impeteret, in leuitam Laurentium, qui non ſolùm miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præminebat, impius perſecutor eſſerbuit, duplicem ſibi prædam de vnius viri comprehenſione promittens: quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiã veræ religionis exortẽ. Armatur itaq; gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij præſule opes Eccleſiaſticas, quibus auidiſsimus inhiabat, inferri. Cui leuita caſtiſsimus, vbi eas repoſitas haberet, oſtendens, numeroſiſsimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atq; veſtitu inamiſsibiles condiderat facultates, quæ tanto integriùs erant ſaluæ, quãto ſanctiùs probabantur expenſæ. Fremit ergo prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vſum inſtituiſſet, ardeſcens, direptione theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorũ ſubſtantiam reperiſſet, vt illud depoſitum, quo ſacratiùs erat dues, auferret. Renunciare Chriſto Laurentium iubet, & ſolidiſsimam illam leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere ſupplicijs. quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt. Laceros artus, & multa verberum ſectione cõſciſſos, ſubiecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in ſe haberet vrendi, conuerſorum alterna mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis ſæua crudelitas. Subtrahitur * tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitatis Chriſti flamma non potuit, & ſegnior fuit ignis, qui foris vſit, quàm qui intus accendit. Sęuiſti perſecutor in martyrẽ, ſęuiſti & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingeniũ tuum reperit, quãdo in honorem tranſierunt triumphi, etiam inſtrumẽta ſupplicij? Gaudeamus igitur dilectiſsimi gaudio ſpirituali, & de fœliciſsimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, in quibus nobis & præſidiũ conſtituit, & exemplum, atq; ita per vniuerſum mundum clarificauit gloriam ſuã, vt à ſolis ortu vſq; ad occaſum, leuiticorum luminũ coruſcante fulgore quàm glorificata eſt Hierololyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio. Cuius oratione & patrocinio adiuuari nos ſine ceſſatione confidimus, vt quia omnes, ſicut Apoſtolus ait, quicunq; volunt in Chriſto piè viuere, perſequutionem patiuntur, corroboremur ſpiritu veritatis, ad ſuperandas omnes tentationes, conſtantis fidei perſeuerantia muniamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Martyriũ D. Laurẽtij.

* *inuentis*

Pſal. 67.

Interceſſio ſanctorũ.

2. Tim. 3.

SERMO PRIMVS DE *Ieiunio ſeptimi menſis.*

De laude abſtinentiæ & eleemoſynarum.



BSeruantiam quidem veſtram (dilectiſsimi) ita nouimus eſſe deuotam, vt animas veſtras non ſolùm legitimis, ſed etiam voluntarijs ieiunijs excolatis. Veruntamen adijcienda eſt huic ſtudio etiam noſtræ admonitionis exhortatio, vt ſi qui ſunt in hoc exercitio tardiores, in his ſaltem diebus cõmuni abſtinentiæ ſe obedienter adiungant, in quibus nos oportet ſacratiſsimam conſuetudinem attentiùs celebrare, vt per hu militatem ieiunij, contra omnes hoſtes noſtros, diuinũ mereamur auxilium. Res enim eſt præcipui operis, quam & ex authoritate indicimus, & ex

Ieiunij quanta vis & præſtãtia.

& ex charitate ſuademus, vt paululùm edendi libertate compreſſa, caſtigationi corporum & pauperum ſtudeamus alimoniæ: quos qui reficit, animam ſuam paſcit, & temporales epulas in delicias mutat æternas. In locum igitur malarum cupiditatũ, ſanctorum deſideriorum incrementa ſuccedant. Ceſſet iniquitas, ſed non ſit ocioſa iuſtitia. Quem nullus patitur opprimentem, ſentiat aliquis adiuuantem. Parum eſt enim non auferre aliena, niſi largiaris & propria. Sub oculis iuſti iudicis ſumus, qui nouit, quantam vnicuiq; bene operandi dederit facultatem: nõ vult ocioſa eſſe munera ſua, qui ſeruis ſuis ſic menſuras myſticorum diſtribuit talentorum, vt creditum qui liberaliter erogaſſet, augeret, qui ſteriliter ſeruaſſet, amitteret. Et ideò (dilectiſſimi) quia ſeptimi menſis ieiunium nos celebrare conuenit, ſanctitatem veſtram monemus, vt quarta & ſexta feria ieiunemus: ſabbato verò apud beatum Petrum apoſtolum pariter vigilemus, cuius ſuffragantibus meritis, ab omnibus tribulationibus mereamur abſolui, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Matt. 25. Luc. 19.

Ieiunium ſeptimi menſis.

Sermo II. de Ieiunio ſeptimi menſis.

De fortitudine continentiæ, & operibus pietatis itemq; de carnalibus deſiderijs comprimendis.



DEus humani generis conditor & redemptor, qui nos ad promiſſiones vitæ æternæ per ſemitas vult ambulare iuſtitiæ, de futura tẽtatione, quæ nobis in itinere virtutum inſidioſis aduerſaretur occurſibus, multis nos præſidijs (dilectiſsimi) quibus laqueos diaboli obtereremus, inſtruxit, inter quæ hoc famulis ſuis ſaluberrimum contulit, vt contra omnes inimici dolos fortitudine ſe continentiæ & operibus pietatis armarent. Ille enim, qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inſeruit appetitum, & malè credulis per illecebram edendi, omnium concupiſcentiarum virus infudit, eaſdem fraudes retractare nõ deſinit, & in natura, quam ſcit ſuis ſeminibus eſſe vitiatam & corruptam, ſationis ſuæ germen inquirit, vt ad labefactanda ſtudia virtutis, deſiderium voluptatis accendat. Quoniam pœna ipſius, eſt prouectio Chriſtiana, nec poteſt eorum animos aliquo modò lædere, qui nouerunt auxiliante Domino in ſua carne regnare. Rationabili ergo moderatione ſanctoque propoſito, frenandæ ſunt rebelles cupiditates, nec ſinendum eſt, vt caſtis & ſpiritalibus deſiderijs corporales concupiſcentiæ reluctentur. Agnoſcat interior homo, exterioris ſui ſe eſſe rectorem, vt mens diuino gubernata dominatu, terrenam ſubſtantiam in bonæ voluntatis cogat obſequium. Nec enim deeſt nobis ad hunc ordinem conſeruandum, miſericordiſsimi regis auxilium, qui nos ſaluberrimæ obſeruantiæ ratione informauit, præfiniens nobis per temporum recurſus, quoſdam ieiuniorum dies, in quibus caſtigatione corporum virtus roboraretur animorum. Huius autem remedij munus (dilectiſsimi) etiam in iſto, qui ſeptimus eſt, menſe diſpoſitum eſt, quod nos prompta conuenit alacritate ſuſcipere, vt præter abſtinentiam, qua quiſq; ſe peculiariter atq; priuatim, ſecũdum modum ſuæ poſsibilitatis exercet, hæc ipſa, quæ omnibus ſimul indicitur, animoſiùs celebretur. Nam in omni agone certaminis Chriſtiani, vtilitas eõtinentiæ plurimùm valet, ita vt quidã ſæuiſſimorũ ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſsis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperijs, ſola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: Hæc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in ieiunio & oratione. Grata ergo eſt Deo, & terribilis diabolo ieiunantis oratio, nec latet quantum acquirit ſuæ ſaluti, quæ tantum præſtat alienæ. In hac ſanè obſeruantia (dilectiſsimi) quamuis nos omnes vnanimiter oporteat eſſe deuotos, ſi qui tamẽ ſunt, quorũ voluntati aliqua obſiſtat infirmitas, laborem qui ſupra vires eſt corporum redimant impendijs facultatũ. Mul-

Fortiſſima contra dæmones præſidia quæ.

Geneſ. 3.

Ieiunij vtilitas & energia.

Matt. 17. Marc. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta enim sunt opera pietatis, quæ ipsam edendi necessitatem merito ampliore commendent, si ieiunantium purificationem studio benignitatis acquirunt. Nam cùm ij, qui nihil omittunt de humiliatione ieiunij, sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, qua possunt, erogatione sanctificent, dignum est vt in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo. Quod ergo quis in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat, & propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus ieiunium soluens, à quo cibum accipit pauper esuriens, nec escam sumendo polluitur, qui eleemosynam impartiendo mundatur, dicente Domino: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. In quo opere (dilectissimi) etiam ij, qui ab epularum delectatione se continent, fructus sibi debẽt misericordiæ cõparare, vt qui abundantius seminauerint, copiosius metant. Non enim vnquam agricolæ suo seges ista mentitur, aut incertam spem habet operis, cultura pietatis. Quicquid hoc modo serentis manu spargitur, non æstus vrit, non torrens trahit, non grando prosternit. Incolumes semper sunt omnes pietatis expensæ, nec solùm integræ manent, sed etiam modo augentur, & qualitate mutantur. De terrenis cœlestia prodeunt, de paruis magna gignuntur, & temporale donũ in præmiũ transit æternum. Quisquis igitur diuitias amas, quisquis multiplicari quæ possides, concupiscis, in hæc lucra accendere, in hæc rerum tuarum augmenta suspira: de quibus nihil fur arripit, nihil tinea corripit, nihil rubigo consumit. Noli desperare de fœnore, noli de accipiente diffidere. Quod vni horum feciſtis, mihi feciſtis, quis dicat, intellige, & apud quem opes tuas colloces, perspicaciùs fidei oculis securus agnosce. Non dubitet de receptione, cui Christus debitor est. Non sit anxia liberalitas, nec triste ieiunium. Hilarem enim datorem diligit Deus. Qui fidelis est in verbis suis, & abundanter largita retribuit, qui benignè largienda donauit, per Christũ Dominũ nostrum, cum quo viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Luc. 11.

2. Cor. 9.

Matt. 6.

Matt. 25.

2. Cor. 9.

Sermo tertius de Ieiunio septimi mensis.

De necessitate ieiunij, de publica ac priuata lege ieiunij & orationis atque de eleemosyna.

Ieiuniorũ quãta vu.

ADexorandam (dilectissimi) misericordiam Dei, & ad renouandum statum fragilitatis humanæ quantùm valeant religiosa ieiunia, sanctorum prophetarum prædicatione cognoscimus, qui diuinæ iustitiæ commotionem, quam frequenter populus Israel merito iniquitatis inciderat, non nisi ieiunio protestantur posse placari. Vnde

Ioelũ 2.

& Ioel propheta admonet, dicens: Hæc dicit dominus Deus vester: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad dominum Deum vestrum, quia misericors est, & patiens, & magnanimus & multùm misericors. Et iterum: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, congregate plebem, sanctificate

Ibidem.

Ecclesiam. Quæ cohortatio (dilectissimi) nostris quoque est amplectenda temporibus, quia huius curationis remedia, etiam à nobis sunt necessariè prædicanda, vt in obseruantia sanctificationis antiquæ, quod perdidit Iudaica præuaricatio, acquirat Christiana deuotio. Diuinarum nanque reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia, habet semper priuilegium suum, vt sacratius sit, quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad vtilitatem cuiusdam pertinet portionis. Ieiunium verò, quod vniuersa Ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione seiungit, & tunc sit potentissimus Dei populus, quando

Publica pietatis exercitia priuatis præstant.

quando in vnitatem sanctæ obedientiæ, omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio. Fremat licet cruenti hostis priuigil furor, & latebrosas vndique prætendat insidias, neminem tamen capere, nemmem poterit vulnerare, si nullum inermem, nullum desidem, nullum inuenerit ab opere pietatis exortem. Ad huius ergo iunctæ pietatis potentiam (dilectissimi) etiam hoc nos solenne ieiunium septimi mensis inuitat, vt à curis secularibus actibusque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus. Et quia hanc intentionem semper necessariam non omnes possumus habere perpetuam, sæpiusq; per humanam fragilitatem à supernis in terrena recidimus, istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mundanis nos occupationibus subtrahamus, & aliquid temporis, quod prosit ad bona æterna, furemur. In multis enim, sicut scriptum est, offendimus omnes. Et licet quotidiano Dei munere, à diuersis contaminationibus emundemur, inhærent tamen incautis animis plerunque maculæ crassiores, quas oportet diligentiori cura ablui, & impendio maiore deleri. Plenissima autem peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia quæ popoſcerint, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini (dilectissimi) valdeq; pretiosum, quum totus populus Christi, eisdem simul instat officijs, & in vtroque sexu, omnes gradus, omnesq; ordines eodem cooperantur affectu, quum in declinando malo ac faciendo bono, par cunctorum & vna sententia est, quum in operibus seruorum suorum glorificatur Deus, & totius pietatis authori in multarum actione gratiarum benedicitur. Aluntur esurientes, vestiuntur nudi, visitantur infirmi, & nemo quod suum est, quærit, sed quod alterius, dum ad releuandam alienam miseriam, vnicuique mensura sua sufficit, & facile est inuenire hilarem datorem, vbi modum operis, ratio temperat facultatis. Per hanc autem Dei gratiam, quæ operatur omnia in omnibus, communis fidelium fructus & commune fit meritum. Quoniam quidem potest & eorum par esse animus, quorum impar est census, & cùm alter de alterius lætatur largitate, cui æquari nõ potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diuersum est, vbi ad vnum pietatis vigorem, omnia sibi totius corporis membra consentiunt, nec de sua tenuitate confunditur, qui de aliorum opulentia gloriatur. Decus enim vniuersitatis, est excellentia portionis, & quum Dei spiritu omnes agimur, nõ solùm illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus. Amplectamur igitur (dilectissimi) beatam istam sacratissimæ vnitatis soliditatem, & solenne ieiunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis, quod vires nostras excedat, indicitur, siue in abstinentiæ castigatione, siue in eleemosynæ largitate. Sciunt singuli, quid possint, quidue non possint. Ipsi modulum suum pendant, ipsi iusta & rationabili taxatione se censeant, vt sacrificium misericordiæ, non cum tristitia offeratur, nec in damna numeretur. Hoc pio impendatur operi, quod cor iustificet, quod conscientiam lauet, quod denique & accipienti prosit & danti. Felix quidem ille est animus, multumque mirabilis, qui facultatum defectionem, benefaciendi amore non metuit, & datum sibi eroganda nõ diffidit, à quo quod erogaret, accepit. Sed quia magnanimitas ista paucorum est, plenum etiam pietatis est, vt suorum curam quisque non deserat, nos perfectioribus nõ præiudicantes, ea vos regula generaliter cohortamur, ad mandatum Dei secundum possibilitatis vestræ mensuram operemini. Hilarem enim beneuolentiam esse decet, quæ sic suam temperet largitatem, vt de illa & pauperum refectio gaudeat, & domestica sufficientia non laboret. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.

Iacob. 3.

Matth. 18.

Nihil à nobis Ecclesia supra vires exigit.

Benignitas in pauperes quales esse debeat.

1. Cor. 12.

Rom. 8.

1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestræ. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum pariter vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus confidimus nobis per omnia misericordiam Dei nostri esse præstandam: per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo quartus de Ieiunio septimi mensis.

De libertate spiritus, de diuersitate ieiunij Iudæorum & Christianorum, de delectu ciborum, de generali ieiunio, de diaboli insidijs, & eleemosyna Christianis præstanda.

2. Cor. 3.

PRædicationem nostram (dilectissimi) familiaris vobis adiuuat consuetudo & ratio temporis commendat officium sacerdotis, ne aut onerosum videatur aut arduum, quod & præceptum exigit legis, & deuotio temperat voluntatis. Quæ cum in vnum gratia Dei auxiliante conueniunt, nõ litera occidit, sed spiritus viuificat. Vbi autem spiritus Dei, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, sed amore. Obedientia enim mollit imperiũ, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. Cùm ergo vos (dilectissimi) ad quædam quæ etiam in veteri testamẽto instituta sunt, cohortamur, non Iudaicæ vos obseruantiæ iugo subdimus, nec cõsuetudinem vobis carnalis populi indicimus. Excellit super illorum ieiunia continentia Christiana, & si quid nobis atque illis commune est in temporibus, non cõcordat in moribus. Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia, nos in nullo ad habitus nostri honestatem dissimiles, nec à iustis & necessarijs operibus abstinentes, edendi licentiam simplici parcitate cohibemus, vt in vsu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Quamuis enim vnicuique nostrum liberum sit voluntarijs castigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatiùs, nunc verò districtiùs, repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare, quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrare generale ieiunium, & tunc est efficatior sanctiorq; deuotio, quando in operibus pietatis, totius Ecclesiæ vnus animus & vnus est sensus. Publica enim præferẽda sunt proprijs, & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneant igitur diligentiam suam obseruantiæ singulorum, & contra nequitiæ spiritalis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cœlestia quisque arma arripiat. Sed Ecclesiasticus miles, etiam si specialibus prælijs possit fortiter facere, tutiùs tamen & feliciùs dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, vbi non suis tantùm viribus certamen ineat, sed sub inuicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures confligunt cum hoste, quàm singuli, nec facilè patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non suã tãtùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit, vt vbi est vna omnium causa, sit vna victoria. Quia igitur aduersarius noster insidiari nobis diuersa tentationum arte non desinit, & hæc est vna versutiarum eius intentio, vt redemptos Christi sanguine, à mandatis Dei possit abducere, omni diligentia præcauendum est, vt nullis inimici iactulis vulneremur. Tela enim eius non sunt aspera corporis sensibus, sed nimiùm carni, vt animæ noceant, blandiuntur. Trahunt oculos ad varias tentationes, vt de mundi pulchritudine, aut concupiscentiæ accendantur faces, aut superstitionum gignantur errores. Insidioso etiã sono, & mollibus ictibus pulsatur auditus, vt animi soliditas illecebrosa modulatione soluatur, & letalium consuetudine suauitatũ, incauta & parum sobria corda capiantur. Sed hos diaboli dolos inefficaces & irritos faciunt diuinæ præsidia gratiæ, & Euangelicæ præcepta doctrinæ. Quoniã qui acceperunt spiritum sanctum, & à quibus timor Domini, nõ de pœnæ formidine, sed de

Alia Christianorum atque Iudæorum ieiunia.

Ieiuniũ generale præfertur priuato.

Tela dæmonis cuiusmodi sint.

Dei charitate conceptus est, illæso fidei pede laqueos talium conterunt captionum, vt creaturarum omnium pulchritudine, ad gloriam & laudem sui vtantur autho- *Ioan. 1.*
ris, eumq; diligant super omnia, per quem facta sunt omnia. In huius admirationem (dilectissimi) omnium fidelium tendat affectio, de hoc sibi delectationes non corruptibiles, sed æternas sapiens continentia petat, & in amorẽ boni, sine quo nullus est bonus, incontaminata castitas inardescat. Ad hoc enim nobis tradita sunt exercitia Christiana, vt resecata omni illicita voluptate, in sanctas & spiritales delicias æstuemus. Et cùm nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem cõmunis obseruantiæ consecrati, vt anima, quę terrenis adhuc desiderijs implicatur, & curis seculi impeditur, ex interuallo saltem ad diuina respiret, & quia portio diuini agri est, dignos cœlestibus horreis adferat fructus. Ibi enim spes est metendi, vbi fuerit diligentia seminandi. His (dilectissimi) ad profectum vestrum pro temporis occasione perstrictis, ieiunium vobis septimi mensis indicimus, in quo vos non solùm de ciborum abstinentia, sed etiam de pietatis operibus commonemus: vt quod vestris vsibus religiosa parcitate subtraluitis, in almoniam pauperum & in cibos debilium transferatis: omnibus quidẽ indigentibus generali beneuolentia consulentes, sed maximè eorum memores, qui sunt de membris corporis Christi, & nobis catholicæ fidei vnitate copulantur. Plus enim debemus nostris pro consortio gratiæ, quam alienis pro communione naturæ. Abundet ergo in nobis (dilectissimi) benignitas Christiana, & sicut recurrentia ánni tempora desideratis, vt plena sint fructibus, ita & corda vestra pascendis sint fœcunda pauperibus. Quibus vtiq; potuit Deus, cuius sunt omnia, necessariam conferre substantiam, & tales eis tribuere facultates, vt in nullo vestris largitionibus indigerent, sed & illis & vobis multa virtutum materia defuisset, si nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec vos ad misericordiæ gloriam copia prouocaret. Mirabiliter autem prouidentia diuina disposuit, vt essent in Ecclesia & sancti pauperes, & diuites boni, qui inuicem sibi ex ipsa diuersitate prodessent, cum ad æterna & incorrupta præmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes. Quoniam sicut scriptum est, & patientia pauperum non peribit in æternum, & hilarem datorem diligit Deus. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato verò apud beatissimum Petrũ apostolum vigilias celebremus, sperantes nos ita eius orationibus adiuuandos, vt Deus misericordiarum ieiunij nostri sacrificio placatus exaudiat, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Exercitia Christiana cur nobis tradita.

Pauperes cur Deus esse permittat.

Psal. 9.

2. Cor. 9.

Sermo quintus de Ieiunio septimi mensis.

De fragilitate humanæ naturæ ac pugna carnis, de auxilio diuino, & duobus amoribus, atq; aduentu regni Dei.

SAcratum (dilectissimi) in septimo mense ieiuniũ, ad cõmunis deuotionis exercitia prædicamus, fidenter vos paternis cohortationibus incitantes, vt quod fuit ante Iudaicũ, vestra fiat obseruantia Christianũ. Est enim omni tẽpore aptũ & testamento vtriq; cõueniens, vt per castigationẽ mentis & corporis, misericordia diuina quæratur: quia nihil est efficacius ad exorandũ Deũ, quàm vt homo ipse se iudicet, & nunquã desinat à venia postulanda, qui se scit nunquã esse sine culpa. Habet enim hoc in se generaliter humana natura, non à creatore insitum, sed à præuaricatore contractum, & posteros generali lege trãsfusum, vt de corruptibili corpore etiam quodanimam corrumpere possit oriatur. Hinc interior homo, si tamen iam in Christo regeneratus, & à vinculis captiuitatis est erutus, assiduos habet fluctus, cum

Ieiunium vtriq; testamento congruit.

Carnis cũ spiritu cõflictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum carne conflictus,& dum cohibet concupiſcentem,patitur repugnantẽ. In qua diſcordia non facilè obtinetur tam perfecta victoria,vt etiam quæ ſunt abrumpenda,non illigent,& quæ ſunt interficienda,non vulnerent: quantumlibet ſapienter & prouidè iudex animus ſuis exterioribus præſit, inter ipſas tamen curas atq; menſuras regendæ carnis & alendæ,nimis ei ſemper vicina tentatio eſt. Quis enim ita ſe aut à voluptate corporis aut à dolore ſeiungit,vt ad ipſam mentem non pertineat, quod extrinſecus aut blanditur,aut cruciat? Indiuiſum eſt gaudium, indiſcreta triſtitia: nihil in homine iracundia non accendit,nihil lætitia non reſoluit,nihil ægritudo non afficit. Et quę illic declinatio poteſt eſſe peccati,vbi vna paſsio eſt regentis
Matt.26. & ſubditi? Meritò Dominus proteſtatur, quòd ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et ne vſq; ad inertem deſidiam deſperatione ducamur, quæ impoſ-
Matt.7. ſibilia ſunt homini ex imbecillitate propria,poſsibilia ſpondet ex virtute diuina. An guſta enim & arcta eſt via,quæ ducit ad vitam,& nemo in eam greſſum inferret, nemo veſtigium promoueret, niſi difficiles aditus ipſe ſe Chriſtus viam faciendo reſeraret,vt author itineris fiat poſsibilitas ambulantis, quia idem & introducit ad la-
Ioan.14. *Rom.8.* borem,& perducit ad requiem. In quo ergo nobis ſpes eſt æternæ vitæ, in eodem eſt
1.Ioan.2. & forma patientiæ. Si enim compatimur, & conregnabimus: quoniam, vt Apoſtolus ait,qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Alioqui falſæ profeſsionis imagine vtimur,ſi cuius nomine gloriamur,eius inſtituta non ſequimur. Quæ vtiq; nobis onerosa non eſſent, & ab omnibus nos periculis
Amores duo. liberarent, ſi nihil aliud, quàm quod amandum iubetur,amaremus. Duo nanque amores ſunt,ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diuerſæ qualitatibus, ſicut diuiduntur autoribus. Rationabilis enim animus,qui ſine dilectione eſſe non poteſt,aut Dei amator eſt,aut mundi. In dilectione Dei,nulla nimia: in dilectione autem mundi,cuncta ſunt noxia. Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus verò tranſeunter vtendum eſt, vt peregrinantibus nobis & ad patriam redire properantibus,quicquid de proſperitatibus mundi huius occurrerit,via-
1.Cor.7. ticum ſit itineris,non illecebra manſionis. Ideò beatus Apoſtolus prædicat, dicens: Tempus breue eſt,reliquum eſt,vt qui habent vxores,tanquam non habentes ſint, & qui flent,tanquam non flentes,& qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt,tanquam non poſsidentes,& qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura mũdi huius. Sed quod de ſpecie, de copia, de varietate blãditur,nõ facilè declinatur,niſi in illa viſibilium pulchritudine creator potius quàm
Matt.22. creatura diligatur: Qui cùm dicit: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, in nullo nos vult ab amoris ſui vinculis relaxari. Et cùm huic præcepto,proximi quoque copulat charitatem,imitationem nobis ſuæ bonitatis indicit,vt quod diligit,diligamus, & quod operatur, ope-
1.Cor.3. remur. Quamuis enim Dei agricultura ſimus & Dei ædificatio,& neque qui plantat ſit aliquid,neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: in omnibus tamen exigit noſtri miniſterij ſeruitutem,& nos diſpenſatores ſuorum vult eſſe donorum,
Matt.6. vt qui fert Dei imaginem,Dei faciat voluntatem. Propter quod in oratione dominica ſacratiſsimè dicimus: Adueniat regnum tuum: fiat volutas tua ſicut in cœlo & in terra. Quibus verbis quid poſtulamus aliud, quàm vt Deus, quem nec dum ſibi ſubdidit,ſubdat,& ſicut in cælo angelos,ita & in terra homines miniſtros ſuæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum, amamus & proximum, & non
Bonæ opera quid præſtent. diuerſa in nobis,ſed vna dilectio eſt,quando & ſeruum ſeruire, & Dominum cupimus imperare. Hic igitur affectus (dilectiſsimi) quo amor terrenus excluditur, bonorum operum conſuetudine roboratur, quia neceſſe eſt, vt bonis actibus conſcientia delectetur,& libenter faciat,quod feciſſe ſe gaudeat. Adſumitur igitur ieiunium,multiplicatur largitio,iuſtitia cuſtoditur,frequentatur oratio, fitq; vt ſingulorum deſiderium,ſit vnum omnium votum. Nutrit patientiam labor, manſuetudo extinguit iram,beneuolentia calcat inuidiam,immundæ cupiditates ſanctis deſiderijs

rijs enecantur,auaritia liberalitate depellitur, & onera diuitiarum fiunt inſtrumẽta virtutum. Sed quia inſidiæ diaboli etiam inter talia ſtudia non quieſcunt,rectiſsimè in quibuſdam articulis temporum,vigoris eſt noſtri reparatio inſtituta,vt vbi de clementia cœli & vbertate agri poteſt mens præſentium bonorum auida gloriari,
Luc.12. & in ampla horrea fructibus congregatis,animæ ſuæ dicere: Habes multa bona,epulare, ibi quandam increpationem diuinæ vocis accipiat, audiatq; dicentem: Stulte, hac nocte repoſcam animam tuam à te,quæ autem præparaſti cuius erunt? Hæc ſolicitiſsima meditatio debet eſſe ſapientis,vt quoniam breues dies iſtius vitę & incerta ſunt ſpacia,nunquam ſit mors morituro improuiſa, nec inordinatum incidat finem,qui ſe nouit eſſe mortalem. Quod ergo & ſanctificationi corporum & reparationi proſit animarum,quarta & ſexta feria ieiunemus,ſabbato autem apud beatiſsimum Petrum apoſtolum vigilias celebremus,eius orationibus adiuuandi, vt ſanctorum deſideriorum conſequamur effectum, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Sermo ſextus de Ieiunio ſeptimi menſis.

De duplici Chriſti natura aduerſus Eutychetem & Neſtorium,& de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia.

DEuotionem fidelium (dilectiſsimi) nihil eſt in quo prouidentia diuina non adiuuet. Siquidem exercendis ad ſanctimoniam mentibus atq; corporibus,ipſa quoq; mundi elementa famulantur,dum dierum ac menſium diſtincte variata reuolutio, quaſdam nobis paginas aperit præceptorum, vt quod ſacra admonent inſtituta, hoc quodammodo loquantur & tempora. Vnde cùm ſeptimum menſem nobis anni recurſus attulerit, non ignoro obſeruantiam veſtram ad celebrandum ſolenne ieiunium ſpiritaliter incitari: quoniam experiendo didiciſtis, quantum hæc præparatio & exteriora & interiora hominũ purificet, vt cùm à licitis abſtinetur,faciliùs illicitis reſiſtatur. Continentiæ autem ratio (dilectiſsimi) nõ in ſola caſtigatione corporum, nec in diminutione tantùm habetur eſcarũ. Maiora enim virtutis iſtius bona ad illam animæ pertinent caſtitatem,quæ non ſolùm carnis concupiſcentias conterit: ſed & mundanæ ſapientiæ vana contemnit, dicente Apoſtolo: Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam,& inanem fallaciam ſecundũ traditionem hominum. Continendum ergo eſt à cibis,ſed multo magis ab erroribus ieiunandũ,vt mens nulli carnali dedita voluptati,nullius ſit captiua mendacij: quia ſicut in præteritis,ita & in noſtris diebus non deſunt veritatis inimici,qui intra catholicam Eccleſiam mouere audeant bella ciuilia, vt in conſenſum impiorum dogmatum imperitos quoſq; ducentes, ſibi glorientur accreſcere,quos à Chriſti corpore potuerint ſeparare. Quid enim tam aduerſatur prophetis,tam repugnat Euangelijs,tam deniq; eſt apoſtolicis rebelle doctrinis,quàm in Domino Ieſu Chriſto ex Maria virgine genito,& ſempiterno patri intemporaliter coæterno,vnam & ſingularem prædicare naturam? Quia ſi hominis tantùm intelligenda eſt,vbi eſt,quæ ſaluat Deitas? ſi tantummodo Dei,vbi eſt quæ ſaluatur humanitas? Fides autem catholica, quæ omnibus reſiſtit erroribus, etiam ſimul iſtas impietates refutat,damnans Neſtorium, diuina ab homine diuidentem: deteſtans Eutychetem, in diuinis humana vacuantem,quoniam veri Dei filius Deus verus,vnitatem & æqualitatem habens cum patre & ſpiritu ſancto, idem verus homo eſſe dignatus eſt, non conceptu virginis matris ſeiunctus à carne,nec partu: ſic humanitatem ſibi vniens,vt Deus incommutabiliter permaneret: ſic deitatem homini impartiens,vt eum glorificatione

Continendum nedũ à cibis,ſed etiam erroribus.
Coloſ.2.
Neſtorius. Eutyches.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non consumeret, sed augeret. Qui enim est factus forma serui, forma Dei esse non
Ioan.1. destitit, nec alter cum altero, sed vnus in vtroq; est: vt ex quo verbum caro factum est, nullis dispensationum varietatibus fides nostra turbetur, sed siue in miraculis virtutum, siue in contumelijs passionum, & Deum qui homo est, & hominem credamus esse, qui Deus est. Hanc confessionem (dilectissimi) toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite, vt ieiunia & eleemosynæ vestræ nullius erroris contagione polluantur. Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij, qui ista dependunt, quid operentur, intelligunt.
Ioan.6. Veritas corporis Christi in Eucharistia. Nam dicente Domino: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustrà ab illis amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Dicente autem Propheta: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, ille circa pauperes vestimentum & ciborum laudabilis distributor est, qui se Christum in indigentibus & vestire nouit & pascere, quoniam vt ipse ait, quamdiù vni feciſtis de his fratribus meis, mihi feciſtis. Verus itaq; Deus & verus homo vnus est Christus, dines in suis, pauper in nostris, dona accipiens & dona diffundens, particeps mortaliũ & viuificatio mortuorũ, vt in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, viuens & regnans cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.
Psal.40. Matt.25. Christus & dines & pauper. Philip.2.

Sermo VII. de Ieiunio septimi mensis.

De spiritali veteris legis impletione, rectaq; ieiunij forma, & spiritalibus thesauris.

Matt.5. Ex veteri lege quanam Ecclesia obseruãda retinuerit, quæ non. Matt.20. APostolica institutio (dilectissimi) quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, ita veteris testameti sacramenta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dum fuerant consuetudinis Iudaicæ fierent obseruantiæ Christianæ. Quamuis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & ocia sabbatorum, cum ipsa carnis circunc isione cessauerint, manent tamen ex ipsis voluminibus, & apud nos præcepta plurima moralia. Et cum inde dicatur: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum, Christo Domino dicente cognouimus, quòd in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Tantaq; est sub huius geminæ charitatis edicto vtriusque copula testamenti, vt sine istarum connectione virtutum, nec lex quenquam inueniatur iustificasse nec gratia. Illæ quoque partes legalium mãdatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, quædam interdicuntur, vt non fiant, antiquæ authoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis Euangelica putanda est aduersa perfectio, quia & virtutum studia ad voluntaria incitantur augmenta, & vltiones criminum, pœnitentiæ remedijs relaxantur. Dicit autem Dominus: Nisi abundauerit iustitia
Matt.5. vestra plùs quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Quomodo verò abũdabit iustitia, nisi superexaltat misericordia? et quid tam æquũ, quidue tam dignum est, quàm vt creatura ad imaginem & similitudinem Dei condita suum imitetur authorem, qui reparationem sanctificationemq; credentium, in peccatorum remissione constituit, vt remota seueritate vindictæ, omniq; cessante supplicio, reus innocentiæ redderetur, & finis criminum, fieret origo virtutum?
Ecclesia cur stata ieiunia obseruet. Quod igitur (dilectissimi) ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumq; nostrorum ieiunium septimi mensis adsumimus, non legalibus

bus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euãgelio seruit, amplectimur. Quia in hoc potest super scribas & pharisæos Christiana abundare iustitia, non euacuando legem, sed intelligentiam refutando carnalem. Nec enim talia nostra debent esse ieiunia, qualia erant illorum, quibus Esaias propheta spiritu sancto in se loquente dicebat: Neomenias vestras, & sabbata, & diem magnum non sustineo, ieiunium & ferias, & dies festos vestros odit anima mea. Vnde Dominus ieiunandi formam discipulis tradens: Quum ieiunatis, inquit, nolite fieri sicut
Esai.1. *Matt.6.* hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Quam mercedem, nisi laudis humanæ? propter cuius cupiditatem, iustitiæ species plerunq; prætenditur, & vbi nulla est cura conscientiæ, amatur falsitas famæ, vt iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacij opinione lætetur. Rationale itaque sanctumq; ieiunium nulla laudis ostentationisq; iactantia polluatur, nec bonum suum quisquam fidelium de humanis velit pendere iudicijs. Diligenti Deum sufficit ei placere, quem diligit, quia nulla maior expetenda est remuneratio, quàm ipsa dilectio. Sic enim charitas ex Deo est, vt Deus ipse sit charitas. Quod vtique pius & castus ita gaudet animus implere, vt in nullo extra illum cupiat delectari. Verissimum nanque est, quod dicit Dominus: Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quis autem est thesaurus hominis,
Vana gloria in rebus factis cauenda. Matt.6. Thesaurus hominis quis sit. nisi quædam fructuum eius congregatio, laborumq; collectio? Quod enim seminauerit quis, hoc & metet, & quale cuiusque opus, talis est quæstus: & vbi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed cum multa sint genera diuitiarum, dissimilesq; materiæ gaudiorum, thesaurus cuique est suæ cupiditatis affectus, qui si de appetitu est terrenorum, non beatos facit sui participatione, sed miseros. Hi verò, qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, non quæ super terram, nec perituris
Galat.6. Colos.3. intenti sunt, sed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates, de quo dicit Propheta: Thesaurus & salus nostra aduenit, sapientia & disciplina & pietas à Domino. Hi sunt thesauri iustitiæ, per quos auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cœlestia transferuntur: dum multi diuitijs aut iustè sibi relictis, aut aliter acquisitis, ad instrumentum pietatis vtuntur. Quumq; ad sustentationem pauperum, quæ possunt exuberare, distribuunt, congregant sibi inamisibiles facultates, vt quod abdiderint in eleemosynis, nullis possit subiacere dispendijs, & dignè ibi
Matt.6. habeant thesaurum suum: quia tales diuitias suas dignum & beatissimum est exercere, vt crescant, & non timere ne pereant. Operantes igitur (dilectissimi) quod bo-
Galat.6. num est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, septimum mensem ab initio mysticum, propter septiformem spiritum, & ipso sui ordinis numero consecratum, continentiæ fructibus deputantes, quarta & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud beatum Petrum vigilias celebremus, cuius nobis orationes suffragabuntur & merita, vt quantumcunque fidelibus tribuitur bonum velle, tãtum donetur & posse, per Dominum nostrum Iesum Christum qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo octauus de Ieiunio septimi mensis.

De duplici concupiscentia, carnis & spiritus, de pugna spiritali & abstinentia.

OMnis (dilectissimi) diuinorum eruditio præceptorum hoc maxi-
Scopus præceptorum Dei. Eccles.12. mè agit apud corda credentium, vt amor prauus recto amore superetur, & delectatione iustitiæ, peccandi cupiditas destruatur, dicente scriptura: Post cõcupiscentias tuas nõ eas, & à voluntate tua mala auertere. Quum autem in animis hominum multæ bonę concupiscẽtię sint, & laudabiles voluntates, quid est quod iubetur, vt no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stris non consentiamus affectibus, nisi quòd ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciatur, quia nostra esse conuincitur? Ad distinctiones igitur concupiscentiarũ quæ ex deo, bene homini dictum est: Post concupiscentias tuas nõ eas, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas. Meritò ergo Dominus noluit in oratione, quã tradidit, nos ad Deum dicere, Fiat voluntas nostra, sed fiat voluntas tua, hoc est, non illa quã caro incitat, sed quã spiritus sanctus inspirat. Vnde aũt hoc desiderium cõceptum sit, cui semper debeat repugnari, non difficulter intelligunt, qui se filios Adæ esse nouerũt, & peccante humani generis patre, nõ dubitant in propagine vitiatum esse, quod est in radice corruptum. Quamuis aũt per gratiam Domini nostri Iesu Christi, in nouam creaturam transierimus ex veteri, & imaginem terreni hominis homo cœlestis exuerit: donec tamen corpus mortale gestamus, necesse est, vt contra carnis desideria dimicemus. Bonũ est enim animæ Deo subditæ, timere ne cadat, & habere quod vincat, quoniam virtus in infirmitate perficitur, & quòd nos exercet continentia, hoc perducit ad gloriam. Abstinendum itaq; est (dilectissimi) ab his, quæ nobis noxiè blandiuntur: & lex peccati, quæ est in membris nostris, Dei lege superanda est, vt licet per omnes sensus corporis multæ insidientur illecebræ, animus tamẽ, cui summum bonum & verum gaudium deus est, inter castas spiritalesq; delicias, in sapientiæ latitudine, & in veritatis luce versetur. Si enim seipsum sibi rationalis homo comparet, omnesq; suorum actuum qualitates vera inspectatione dijudicet, nunquid in intimis suæ conscientiæ hoc delectationis inueniet de iniquitate commissa, quod de æquitate seruata? aut tantum ei iucunditatis carnalis voluptas, quantum spiritalis pariet appetitus? Nihil prorsus de virtutum splẽdore attingit, nihil de suauitate pietatis gustat, qui magis vult sordescere in ijs, quæ immunda sunt, quàm in ijs splendere, quæ sancta sunt. Non finit ratio, vt in cordibus vsquequaq; captiuis, ita placeat latiata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generent gaudium mala quæsita de alieno, quantum bona expensa de proprio. Felicior semper parca temperantia, quàm profusa luxuria, maiorq; est lux humilibus, quàm superbis, & sublimior mens, quæ inter prohibita atq; permissa certius habet sperare cœlestia, quàm amare terrena. Vt autem in hoc prouectu animus religiosus excellat, & ius suæ dominationis obtineat, subigendo corpori castigatio est adhibenda ieiunij. Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, propriè tamen ad edendi diminutionem refertur, vt prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse, vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti.

Ibidem.

Concupiscentia mala vnde.

2. Cor. 12.

Rom. 7.

Animus quibus oblectare se debeat.

Maior virtutũ quàm vitiorum voluptas.

Ieiunia quatuor tẽporum ab Apostolis instituta.

Cui medicinæ (dilectissimi) quum omne tempus sit congruũ, hoc tamen habemus aptissimum, quod apostolicis & legalibus institutis videmus electũ, vt sicut in alijs anni diebus, ita in mense septimo, spiritalibus nos purificationibus emundemus. Cõuenientibus autem in vnum propositum tribus studijs, oratione scilicet & eleemosyna atq; ieiunio, præstabitur nobis à misericorde Deo & cohibitio cupiditatũ, & exauditio precum, & remissio peccatorum, per Dominum nostrum Iesum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sermo IX. de Ieiunio septimi mensis.

De ieiunio quatuor temporũ, itemq; spiritali, quod est mentis.

Traditio non negligenda.

SCio quidem (dilectissimi) plurimos vestrum ita in ijs, quæ ad obseruantiã Christianæ fidei pertinent, esse deuotos, vt nostris cohortationibus nõ indigeant admoneri. Quod enim dudũ & traditio decreuit, & cõsuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia sacerdotalis officij est, erga omnes Ecclesiæ filios curã habere cõmunem, in id quod & rudibus prosit & doctis, quos simul

simul diligimus, pariter incitamus, vt ieiunium quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationẽ animi & corporis celebremus. Quamuis enim diminutio cibi carnẽ proprie videatur afficere, nihil tamen corporeis sensibus vel conceditur, vel negatur, quod nõ sicut ad seruientẽ, ita pertineat ad iubentẽ. Quum itaque vnusquisq; homo duplicem in se legem habeat cõtinentiæ, nihilq; actionũ nostrarum ad solum corpus, multa aũt ad solum referenda sint animũ: prudenter debemus aduertere, quàm indecẽs quãq; iniustũ sit, si quod à superiore inducitur, ab inferiore negligatur. Vt aũt mens rationalis salubriter exteriora castiget, debet etiam propria exercere ieiunia: quia non solùm carnis desiderijs, sed etiam animi cupiditatibus conuenit repugnare, dicente scriptura: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua mala auertere. Ieiunans ergo ab ijs, quæ caro appetit, ieiunet & ab ijs, quæ malè interior substantia concupiscit. Pessimus enim animæ est cibus, velle quod nõ licet, & noxia cordis delectatio est, quæ aut turpi lucro pascitur, aut superbia extollitur, aut adulatione lætatur. Quãuis enim his affectibus motus quoq; corporis seruiant, ad originem tamen suã cuncta respiciũt, & ibi censetur qualitas actionis, vbi inuenitur initium voluntatis: quã reuocare à prauis desiderijs, optimum maximumq; ieiunium est: quia tunc est edendi abstinentia fructuosa, quando exterior parcitas à temperantia interiore procedit. Celebraturi igitur (dilectissimi) verum & spiritale ieiunium, quòd & corpus & animũ sui puritate sanctificet, cordis nostri secreta rimemur, & quibus rebus aut contristentur aut gaudeant, iusto discutiamus examine. Ac si quis amor vanæ gloriæ, si qua radix auaritiæ, si quod inest virus inuidiæ, nihil talium anima sumat escarum, sed virtutum intenta delicijs, cœlestes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoscat homo sui generis dignitatem, factumq; se ad imaginem & similitudinẽ sui creatoris intelligat, nec ita de miserijs, quas per peccatum illud maximũ & cõmune incidit, expauescat, vt non se ad misericordiã sui reparatoris attollat. Ipse enim dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, hoc est, me diligite, & ab ijs, quæ mihi displicent, abstinete. Facite, quod amo: amate, quod facio. Et quũ videtur difficile esse, quod iubeo ad iubentem recurrite, vt vnde datur præceptũ, præstetur auxilium. Nõ negabo opem, qui tribui voluntatẽ: ieiunate ab aduersis, abstinete à contrarijs. Ego sum cibus vester & potus, nemo quæ mea sunt, inefficaciter concupiscit. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione me quærit. His (dilectissimi) cohortationibus, quibus nos ad bona incõmutabilia & ad gaudia inuitat æterna, plenæ sunt oẽs diuinarum paginæ literarum, & hoc nobiscũ agit testamenti vtriusq; doctrina, vt inhæreamus veris, & contineamus à vanis. Non enim compræhendi potest quod promittitur, nisi custoditum fuerit, quod iubetur. Quid iustius, quàm vt homo, cuius fert imaginem, faciat voluntatem, & per abstinentiam cibi ieiunet à lege peccati? Ideo enim ipsa continentiæ obseruantia, quatuor est assignata temporibus, vt in idipsum totius anni redeũte decursu, cognoscceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semperq; esse nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatũ pollutione contrahitur, ieiunijs atq; eleemosynis deleatur. Esuriamus paululùm (dilectissimi) & aliquantulum quod iuuandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus. Delectetur conscientia benignorum fructibus largitatis, & gaudia tribuens, quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei est, qui plenitudinem legis & prophetarum in hac geminæ charitatis vnitate constituit: vt nemo ambigeret Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente domino saluatore, cùm de alendis iuuandisq; pauperibus loqueretur: quod vni eorum feciſtis, mihi feciſtis. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato verò apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adiuuandos, vt misericordi Deo ieiunio nostro & deuotione placeamus, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Duplex cõtinentiæ lex.

Eccles. 18.

Ieiunandũ à quibus sit.

Leuit. 9.

Ieiunium quatuor tẽporum cur institutũ.

Matt. 22.

Matt. 25.

Adiuuamur precibus & meritis sanctorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERMO SIVE TRACTATVS BEATI LEONIS papæ contra hæresim Eutychetis, habitus Romæ in Basilica sanctæ anastasiæ.

De vitandis hæreticis, de veritate corporis Christi, & fidei Romanæ commendatione.

Hæresis latere non potest.

SIcut peritorum (dilectissimi) prudentumq; medicorum est, passiones infirmitatis humanæ remedijs præuenire, & quêadmodum saluti contraria declinentur, ostendere: ita pastoralis officij est, ne dominico gregi hæretica malignitas noceat, prouidere, & qualiter luporum & latronum improbitas sit cauenda, demonstrare: quia nunquam potuit hæretica impietas sic latere, vt non à sanctis patribus nostris, & sem per deprehensa sit, & iure damnata. Solicitudinem itaq; nostram, quam dilectioni vestræ impendimus, latere non potuit quosdam Aegyptios, præcipuè negociatores ad vrbem veniſſe, eaq; quæ Alexandriæ scelestè ab hæreticis sunt admissa, defendere, adserentes solam deitatis in Christo fuisse naturam, nec carnis humanæ, quam sumpsit ex beata virgine Maria, habuisse penitus veritatem: quæ impietas, & falsum hominem, & Deum dicit esse passibilem. Quod quo audeant animo, quóue consilio, dubitare non possumus. Quia enim ipsi à veritate Euangelij recesserunt, & mendacia diaboli sunt sequuti, alios quoque volunt socios suæ perditionis efficere. Et ideo fraterna vos & paterna solicitudine commonemus, vt inimicos catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ, incarnationis dominicæ negatores, & instituto

Symbolum Apostolorum.

à sanctis apostolis symbolo repugnantes, in nullum recipiatis consensionis affectũ, dicente Apostolo: Hæreticũ hominẽ post vnam & secundã correptionẽ deuita, sciẽs quia qui huiusmodi est, subuersus est, & delinquit proprio iudicio condemnatus.

Ad Tit. 3.

Propria enim pertinacia perit, & sua à Christo discedit insania, qui eam impietatatẽ, per quam ante se multos scit perijsse, sectatur, & religiosum sibi atq; catholicum putat id quod sanctorum patrum iudicio, & in Photini perfidia, & in Manichæi dementia, & in Apollinaris insania, constat esse damnatũ, vt adhuc quasi nouæ & necdum damnatæ in perniciem animarum suarum consentiant prauitati, qui incarnationis dominicæ denegant sacramentũ. Quasi aliud tota Euangelij lectione doceamur, quàm hoc vno diuinæ misericordiæ sacramento, humanũ genus, in ijs qui credunt esse saluatum, quòd vnigenitus Dei filius, æqualis per omnia patri, nostræ assumptione substantiæ, manens quod erat, dignatus est esse quod non erat, verus sine sumptione substantiæ, manens quod erat, dignatus est esse quod non erat, verus sine licet homo, verus Deus, qui absq; cuiusquam sorde peccati integram sibi nostrã perfectamq; naturam, veritate carnis & animæ vniuit, & intra vterũ beatæ virginis matris spiritus sancti virtute conceptus, nec æditionem partus, nec primordia fastidiuit infantiæ: vt verbum Dei patris humanam sibi inesse substantiam, & deitatis potentia & carnis infirmitate loqueretur, de corpore habens corporeas actiones, & spiritales de deitate virtutes. Humanum quippe est esurire, & sitire, & dormire: humanum est metuere, flere, tristari: humanum denique est crucifigi, mori atque sepeliri. Sed diuinum est super mare ambulare, aquam in vinum conuertere, mortuos suscitare, mundum propria morte tremefacere, & cum viuificata super omnem cœlorũ altitudinem carne conscendere, vt qui hoc credunt, dubitare non possint, quid humanitati adscribere, quid debeant adsignare deitati: quoniam in vtroque vnus est Christus, qui & deitatis suæ potentiam non amisit, & veritatem perfecti hominis nascendo suscepit. Hos ergo (dilectissimi) de quibus loquimur, tanquam venenum mortiferum fugite, execramini, declinate, & ab corũ colloquijs, si increpati, à vobis

2. Tim. 2.

corrigi noluerint, abstinete, quoniam sicut scriptum est, sermo eorum serpit vt cancer.

cer. Iusto enim iudicio ab Ecclesiæ vnitate reiectis, nulla est tribuenda communio, quam non nostris odijs, sed suis sceleribus perdiderunt. Vos ergo dilecti Deo, & apo-

Rom. 1.

stolico testimonio comprobati, quibus beatus Apostolus dicit: Quoniam fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, custodite in vobis, quod tantum prædicatorem agnoscitis sensisse de vobis. Nemo vestrum efficiatur huius laudis alienus, vt quos per tot secula docẽte sancto spiritu, hæresis nulla violauit, ne Eutychianæ quidem impietatis possint maculare contagia. Confidimus autem, quòd protectio Dei corda vestra fidemq; custodiat, vt cui hactenus fideliter obediſtis, in æternum perseuerante catholicæ fidei obseruantia placeatis, per Christũ Dominum nostrũ, Amẽ.

Romana fides nunquàm violata.

HOMILIA S. LEONIS PAPAE *de transfiguratione Domini.*

In illo tempore: Adsumpsit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in Montem excelsum seorsum. Et reliqua.

EVangelica (dilectissimi) lectio, quæ per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat, quam aspirante gratia Dei facilius adsequemur, si cõsiderationem nostram ad ea, quæ paulo superius sunt narrata, referamus. Saluator enim humani generis Iesus Christus condens eam fidem, quæ & impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis & operum miraculis imbuebat, vt idem Christus & vnigenitus Dei & hominis filius crederetur. Nã vnum horum sine altero non proderat ad salutem, & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, quum vtrunque esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas. Ad confirmandum ergo huius fidei saluberrimam cognitionem interrogauerat discipulos suos Dominus, inter diuersas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidúe sentirent: vbi Petrus apostolus per reuelationem summi patris, corporea superans & humana transcendens, vidit mentis oculis filium Dei viui, & confessus est gloriam deitatis: quia non adsolam respexit carnis substantiam & sanguinis, tantumq; in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia, portis inferi & mortis legibus præualeret, nec in soluendis & ligandis quorumcunque causis, aliud ratum esset in cœlis, quã quod Petri sedisset arbitrio. Hæc autem (dilectissimi) laudatæ intelligentiæ celsitudo instruenda erat de inferioris substantiæ sacramento, ne apostolica fides ad gloriã confitendæ in Christo deitatis euecta, infirmitatis nostræ receptionem indignam impassibili Deo atque incongruam iudicaret, & ita iam in Christo humanam crederet glorificatam esse naturam, vt nec supplicio posset affici, nec morte dissolui. Et

Matt 16. & 20.

ideo dicẽte Domino, quòd oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis ac principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere, cùm beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima filij Dei confessione feruebat, contumelias illusionum & crudelissimæ mortis opprobrium religioso, vt putabat, & libero fastidio respuisset, benigna à Iesu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est. Subsequens enim exhortatio Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum, leuissimum ducerent temporalium detrimen-

Petro quãtum à Christo collatũ.

Matt. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum: quia is demum animam ſuam ſaluam faceret, qui eam pro Chriſto perdere nũ timeret. Vt ergo iſtam felicis conſtantiæ fortitudinem toto Apoſtoli corde conciperent, & nihil de ſuſcipiendæ crucis aſperitate trepidarent, vt de ſupplicio Chriſti non erubeſcerent, nec pudendam ſibi eam patientiam crederent, quæ ſic ſubitura

Chriſtus cur coram diſcipulis transfiguratus ſit. Ibidem.

erat ſæuitiam paſsionis, vt non amitteret gloriam poteſtatis, adſumpſit Ieſus Petrũ, Iacobum & fratrem eius Ioannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum monte præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demonſtrauit: quia licet intellexiſſent in eo maieſtatem Dei, ipſius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam neſciebant. Et ideo propriè ſignanterque promiſerat, quoſdam de aſtantibus diſcipulis non priùs guſtare mortem, quàm viderent filium hominis venientem in regno ſuo, id eſt, in regia claritate, quam ſpiritaliter ad naturam ſuſcepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam. Nam illam ipſius deitatis ineffabilem & inacceſsibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo mortali adhuc carne circundati intueri poterat & videre. Aperit ergo Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & communem illam cum cæteris corporis formam tanto ſplen-

Matt. 17.

dore clarificat, vt & facies eius ſolis fulguri ſimilis, & veſtitus candori niuium eſſet æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur, nec conturbaret eorũ fidem, voluntariæ humilitas paſsionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore prouidentia ſpes eccleſiæ ſanctæ fundabatur, vt totum Chriſti corpus agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum: vt eius ſibi honoris cõſortiũ

Matt. 13.

membra permitterent, qui in capite præfulſiſſet. De quo idẽ Dominus dixerat, cùm

Rom. 8.

de aduentus ſui maieſtate loqueretur: Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno patris ſui, proteſtante hoc ipſum beato Paulo apoſtolo & dicente: Exiſtimo enim,

Coloſ. 3.

quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et iterum: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. Confirmandis verò apoſtolis, & ad omnem ſcientiam prouehendis, alia quoque in illo miraculo acceſsit inſtructio. Moſes enim & Elias, lex ſcilicet & Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes, vt veriſimè in illa quin-

Deut. 19. Matt. 18. Ioan. 8. 2. Cor. 13. Hebr. 10.

que virorum præſentia compleretur, quod dictum eſt: In duobus vel tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Quid hoc ſtabilius, quid firmius verbo, in cuius prædicatione veteris & noui teſtamẽti concinit tuba, & cũ Euangelica doctrina, antiquarum proteſtationũ inſtrumenta concurrunt? Adſtipulantur enim ſibi inuicem vtriuſq; fœderis paginæ, & quẽ ſub velamine myſteriorũ præcedentia promiſerãt ſigna, manifeſtum atq; perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit. Quia ſicut ait beatus Ioannes: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt, in

Ioan. 1.

quo & propheticarum promiſsio impleta eſt figurarum, & legalium ratio præcepto rum, dum & veram docet prophetiam per ſui præſentiam, & poſsibilia facit mandata per gratiam. His ergo ſacramentorum reuelationibus Petrus apoſtolus incitatus, mundana ſpernens & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu, & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur. Vnde & ait: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Eliæ vnum. Sed huic ſuggeſtioni Dominus non reſpondit, ſignificans non quidem improbum, ſed inordinatum eſſe quod cuperet, cùm ſaluari mundus, niſi Chriſti morte non poſſet, & exemplo Domini in hoc laudaretur credentium fides, & licet non oporteret de beatitudinis promiſsionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes

Hic eſt filius meus, &c. vt accipiendũ.

huius vitæ prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam, quia tempora patiendi non poteſt ſelicitas præuenire regnandi. Adhuc itaque eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Præſens quidem erat in filio pater, &

ter, & in illa Domini claritate, quam ad diſcipulorum temperarat aſpectum, non ſeparabatur ab vnigenito genitoris eſſentia, ſed ad commendandam proprietatem vtriuſque perſonæ ſicut viſui ſignificauit filium ſplendor ex corpore, ſed auditui patrem vox nunciauit ex nube. Qua voce accepta, diſcipuli quod in facem ceciderunt, & timuerunt valdè, non de patris tantùm, ſed & de filij maieſtate tremuerunt. Altiori enim ſenſu vnam vtriuſque intellexerunt deitatem, & quia in fide non erat hæſitatio, non fuit in timore diſcretio. Latum ergo illud & multiplex teſtimonium fuit, & plus in verborum virtute, quàm in ſono vocis auditum eſt. Dicente enim patre: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite, nónne euidenter auditum eſt: Hic eſt filius meus, cui ex me & mecum eſſe, ſine tempore eſt? Quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt filius meus dilectus, quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt filius meus, non adoptiuus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, qui omnia, quæ facio, ſimiliter facit, & quicquid operor, inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In patre enim eſt filius, & in filio pater, nec vnquam vnitas noſtra diuiditur. Et quum alius ego ſim, qui genui, alius ille, quem genui: nec aliud tamen de illo vobis cogitare fas eſt, quàm de me ſentire poſsibile eſt. Hic eſt filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt, nec vſurpatione præſumpſit, ſed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem deitatem. Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite, quia ipſe eſt veritas & vita, ipſe virtus mea atque ſapientia. Ipſum audite, quem legis myſteria prænunciauerunt, quem prophetarum ora cecinerunt. Ipſum audite, qui ſanguine ſuo mundum redimit, qui diabolum ligat, & vaſa eius rapit, qui peccati chirographum & præuaricationis pacta diſrumpit. Ipſum audite, qui viam aperit ad cœlum, & per crucis ſupplicium gradus vobis aſcenſionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid pauetis ſaucij liberari? Fiat quod me volente Chriſtus vult. Abijcite carnalem formidinem, & fideli vos amate conſtantia. Indignum eſt enim, vt in ſaluatoris paſsione timeatis, quod ipſius munere nec in veſtro fine metuetis. Hæc (dilectiſsimi) non ad illorum tantùm vtilitatem dicta ſunt, qui ea proprijs auribus audierunt, ſed in illis tribus apoſtolis vniuerſa didicit Eccleſia, quicquid eorum & aſpectus vidit, & auditus accepit. Confirmetur ergo ſecundum prædicationem ſacratiſsimi Euangelij omnium fides, & nemo de Chriſti cruce, per quam mundus redemptus eſt, erubeſcat. Nec ideo quiſquam aut pati pro iuſtitia timeat, aut de promiſſorum retributione diffidat, quia per laborem ad requiem, & per mortem tranſitur ad vitam, cùm omnem humilitatis noſtræ infirmitatem ille ſuſceperit, in quo ſi in confeſsione & in dilectione ipſius permaneamus, & quod vicit, vincimus, & quod promiſit, accipimus. Quia ſiue ad facienda mandata, ſiue ad toleranda aduerſa, præmiſſa patris vox ſemper debet auribus noſtris inſonare, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite, qui viuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan. 1. *Philip. 2.* *Ioan. 5.* *Ioan 14.* *1. Cor. 1.* *Luc. 11.* *Coloſ. 2.*

HOMILIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOMILIA SANCTI LEONIS

papæ in festo Omnium sanctorum.

Matt.5. De eo, quod scriptum est: Videns Iesus turbas, ascendit in Montem, & quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, &c. de gradibus ascensionis ad beatitudinem.

PRædicante (dilectissimi) domino nostro Iesu Christo Euangelium regni, & diuersos per totam Galilæam curante languores, in omnem se Syriam virtutum eius fama diffuderat, & multæ ex vniuersa Iudæa turbæ ad cœlestem medicum confluebant. Quia enim tarda est humanæ ignorantię fides ad credenda quæ non videt, & speranda quæ nescit, oportebat diuina eruditione firmandos corporeis beneficijs & visibilibus miraculis incitari: vt cuius tam benignam experiebantur potentiam, non ambigerent salutarem esse doctrinam. Vt ergo exteriores medelas Dominus ad remedia interiora transferret, & post sanitates corporum, curationes operaretur animarum, segregatus à circunstantibus turbis, secessum vicini montis ascendit, aduocatis apostolis, quos sublimioribus institutis ab edito mysticæ sedis imbueret, ex ipsa loci atq; operis qualitate significans se esse, qui Mosen quondam suo dignatus fuisset alloquio: illic quidem terribiliore iustitia, hic autem sacra-
Hierem.31. tiore clementia, vt impleretur quod fuerat propheta Hieremia dicente promissum: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum. Post dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas. Qui ergo locutus fuerat Mosi, locutus est & apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis verbi manus, noui testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circunfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos atque fulgores populo ab accessu montis absterrito: sed patente ad aures circunstantium tranquillitate colloquij, vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptationis auferret formidinē seruitutis. Qualis igitur doctrina sit Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur, vt qui ad
Gradus ascensionis ad beatitudinem. æternam beatitudinem peruenire desiderant, gradus felicissimæ ascentionis agnoscant. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. De
Matt.5. quibus pauperibus veritas loqueretur fortè esset ambiguum, nisi diceret: Beati pauperes, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & sufficere videretur ad promerendum regnū cœlorum ea sola inopia, quā multi sub graui & dura necessitate patiuntur. Sed cùm dicit: Beati pauperes spiritu, ostendit eis regnū cœlorū tribuendum, quos humilitas cōmendat animorū, magis quàm indigentia facultatū. Dubitari aūt non potest, quòd humilitatis istius bonū, facilius pauperes quàm diuites assequantur, dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitijs familiaris elatio. Veruntamen & in plerisq; diuitibus inuenitur hic animus, qui abundātia sua non ad tumorem superbiæ, sed ad opera benignitatis vtatur, idq; pro lucris maximis numeret, quod ad reuelandam miseriam alieni laboris impenderit. Omni generi atq; ordini hominū datur in hac virtute consortiū, quia possunt proposito esse pares, & impares censu. Nec interest, quantū sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritalibus bonis inueniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus
Matt.4. bonis ditescere concupiscit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primi post Dominum apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cœlestis magistri, à captura piscium in piscatores hominum alacri conuersione mutati sunt, & multos sui similes fidei suæ imitatione fecerunt, quando illis

do illis primitijs Ecclesiæ vnum cor omnium & anima vna erat credētium, qui vniuersis suis rebus possessionibusque distractis, per deuotissimam paupertatem bonis *Act.4.* ditabantur æternis, & ex apostolica prædicatione gaudebant nihil habere de mundo, & omnia possidere cum Christo. Hinc beatus Petrus apostolus, cùm ascendens in templum, à claudo eleemosynam posceretur, Argentum, inquit, & aurum non est mecum, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ: quem debilem ædidit mater ex vtero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in nummo nō dedit, imaginem Christi in homine reformauit. Huius autem thesauri opibus, non solum il- *Actor.5.*
le adiutus est, cui gressus est redditus, sed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem apostoli ob eiusdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod petenti daret, tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrarat in pedibus, sic tot millia credentium sanaret in cordibus, faceretq; eos in Christo alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Post prædicationem huius felicissimæ paupertatis, *Matt. 5.*
addidit Dominus, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus hic (dilectissimi) cui consolatio æterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quenquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatarum causa lachrymarum. Religiosa tristia, aut alienum peccatum luget, aut pro- *Luctus sanctorū quis sit.*
prium. Nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur: vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens: quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam. Deinde ait Dominus: Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Mitibus atque mansuetis, humilibus ac modestis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidenda terra promittitur. Nec parua est æstimanda hæc aut vilis hæreditas, tanquam à cœlesti habitatione discreta sit, cùm regnū cœlorum alij intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus & in possessionē danda man- *Terra mitibus promissa quæ sit.*
suetis, caro sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur, in nullo iam spiritui futura contraria, & cum voluntate animi, perfectæ vnitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo, *sit.*
interioris hominis erit quieta & intemerata possessio, tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impietur obstaculis, nec iam dici necesse erit: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sen- *Sapient. 9.*
sum multa cogitantem: Quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur, cùm corruptibile hoc induerit in corruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, fit honori. Post hæc addit Dominus, & di- *1.Corin.15.*
cit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nihil hæc *Esurire iustitiā quid sit.*
esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum, sed iustitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum, quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum, Gustate & videte, quoniam suauis est dominus, accepit quā- *Psal.33.*
dam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit, vt spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamq; iustitiam, toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mēte tua, & ex tota virtute tua: quo- *Deut. 6. Matt.20. Marc.12. Luc.10.*
niam nihil est aliud diligere Deum, quàm amare iustitiam. Deniq; sicut illic dilectioni Dei, proximi cura subiungitur: ita & huic desiderio iustitiæ, virtus misericordiæ copula-

Universidad de Deusto
Biblioteca

copulatur,& dicitur:Beati misericordes,quoniã ipsorum miserebitur Deus. Agnosce Christiane tuæ sapientiæ dignitatem,& qualium disciplinarum artibus ad quæ præmia voceris intellige. Misericordem te misericordia, iustum vult esse iustitia, vt in creatura sua creator appareat,& in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat. Secura esto operantium fides, aderunt tibi desideria tua,& ijs quæ amas,sine fine potieris. Et quoniam tibi per eleemosynam omnia munda sunt,ad eam quoque beatitudinem,quæ consequenter est promissa, peruenies,dicente Domino:Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Magna felicitas (dilectissimi) cui tantum præmium præparatur. Quid ergo est habere cor mundum,nisi eis quæ suprà dictæ sunt studere virtutibus? Videre autẽ deum,quantæ sit beatitudinis,quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc consequetur, cum transformabitur humana natura, vt non iam per speculum in ænigmate,sed facie ad faciem,ipsam quam nullus hominum videre potuit,sicut est, videat deitatẽ,& quod oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendit,per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat. Meritò hæc beatitudo cordis promittitur puritati. Splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit,& quod erit iucunditas mentibus nitidis,hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis, oculi tergantur interiores, vt serenus intuitus tantum Dei visione pascatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere quod sequitur:Beati pacifici,quoniam filij Dei vocabuntur. Beatitudo ista (dilectissimi) non cuiuslibet consensionis aut qualiscunque concordiæ est,sed illius,de qua dicit Apostolus:Pacem habete ad Deum. Et de qua dicit propheta Dauid: Pax multa diligentibus legem tuam,& non est illis scandalum. Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula,& indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vendicant,si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem pacis sunt improbarum parilitates cupiditatũ, fœdera scelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit, nec ad societatem filiorum Dei peruenit, qui se à generatione carnali non diuidit. Qui autem semper mente cum Deo sunt soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis,nunquam ab æterna lege dissentiunt, fideli oratione dicentes: Fiat voluntas tua,sicut in cœlo & in terra. Hi sunt pacifici,hi bene vnanimes, sancteq; concordes,vocandi æterno nomine filij Dei,cohæredes autem Christi:quia hoc merebitur dilectio Dei & proximi,vt nullas iam aduersitates sentiat, nulla scandala pertimescat: sed finito omnium tentationum certamine,in tranquillissima Dei pace requiescat,per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

Fides operantium securа.

1.Cor.13. Ioan.1. 1.Tim.6. Esai.64. 1.Cor.2.

Rom.5. Psal.118.

Ephes.4. Verè pacifici qui sint. Matt.6. Rom.8.

SERMO D. LEONIS PAPAE
de Martyribus.

QVotiescũq; fratres charissimi sanctorum martyrum solennia celebramus,ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia,vt ipsos martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab eis enim sanctorum martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim martyrum,exhortationes sunt martyriorum, vt imitari nõ pigeat,quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum sanctis,& tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres,vel in quantum potuerit,imitari noluerit,ad eorum beatitudinem nõ poterit peruenire. Sic enim apostolus Paulus prædicat,dicens:Si fuerimus socij passionum,

Martyrum festa qui vere celebrẽt

2.Cor.1.

num,erimus & consolationum. Et Dominus in Euangelio:Si mundus vos odit,scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore,qui odium mundi nõ vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis:Et quis est,qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo: quia non solum martyres, sed ipsum Dominum cum ipsius adiutorio,si volumus,possumus imitari. Audi non me,sed ipsum Dominum generi humano clamantem:Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Audi & beatum Petrum Apostolum admonentem: Christus pro nobis passus est,relinquens vobis exemplum,vt sequamini vestigia eius. Ecce Christus dicit, Discite à me: beatus Petrus dicit: Vt sequamini vestigia eius. Similiter Paulus apostolus clamat: Imitatores Dei estote,sicut filij charissimi. Quid ad hæc respondebimus fratres,vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat vt virtutes, quas fecit Dominus,debeas imitari, iusta potest esse excusatio tua, quia virtutes & miracula facere non omnibus datum est. Iustè & castè viuere, & charitatem cum omnibus custodire ex Dei adiutorio,cunctis præceptum est. Nam & ipse Dominus non dixit: Discite à me mortuos suscitare,supra aquas siccis pedibus ambulare. Non hoc dicit. Sed quid ait? Quia mittis sum & humilis corde. Et iterum:Diligite inimicos vestros,benefacite his,qui oderunt vos,atq; orate pro persequentibus & calumnian-tibus vos,vt sitis filij patris vestri,qui in cœlis est,qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Et iterum: Estote & vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et licet sint alia multa, in quibus debeamus Dominum & beatos martyres imitari,ista tamen duo præcipua sunt, id est, vt mites simus & humiles corde,& inimicos nostros toto affectu diligamus. De diligendis inimicis fratres charissimi, nullus vnquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, nõ possum ieiunare,non possum vigilare,nunquid potest dicere,non possum diligere? Potest dicere,non possum res meas totas pauperibus erogare,& in monasterio Deo seruire, nunquid potest dicere,non possum diligere? Si dixeris, quia non possum à vino & à carnibus abstinere,credimus tibi. Si autem dixeris quod non possis in te peccãtibus indulgere,omnino non credimus. Itaq; nulla nobis remanet excusatio,dum non de cellario,sed de corde istam eleemosynam iubemur implere,vt per viam vitę ad æternam patriam mereamur peruenire. Duobus enim præceptis,id est, Diliges Dominũ Deum tuum,& diliges proximum,quasi duobus spiritalibus pedibus si per viam veræ charitatis volumus currere, ad cœlestem possumus patriam feliciter pertingere. Istis pedibus currebat Paulus apostolus, quando dicebat: Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Qui ergo dilexerit inimicos suos,illud in eo impletur,quod dixit Dominus,videlicet: Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. Elige modò quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris,non solùm amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. Si verò inimicos amare noluerit,propitium Deum habere non poteris,quia scriptum est:Qui odit fratrem suum,homicida est. Et iterum:Qui odit fratrem suum, in tenebris est,& in tenebris ambulat,& nescit quò eat: quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et iterum alia scriptura est:Itinera eorum,qui iniuriam retinẽt, Dominus labefacit in mortem. Nunquid hæc verba mea sunt fratres charissimi? De catholicis libris & sanctis libris proferuntur. Vt ergo ne homicidę simus,ne in tenebris remaneamus, studeamus non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere, vt piũ & misericordem Dominum possimus secundum cautionis suæ vinculum libera cõscientia conuenire. Ipse enim dixit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis,nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Diligenter attendite fratres,& scitote aliud esse in Deum paccare,aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam non indulgemus,peccatum incurrimus. Quando aliquis in Deum peccauerit,si sine grandi districtione indulgere voluerimus,participes nos peccatis eorum efficimur. Dicit ergo Dominus:Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Rogo fratres, quid dulcius dici

Ioan.15.

1.Pet.2.

Ephe.5.

Matth.5.

Ibidem.

In quibus Dominum præcipuè imitari debemus.

1.Cor.9.

Matth.5.

1.Ioan.3.

1.Ioan.2.

Matt.6.

potest?

Universidad de Deusto
Biblioteca

poteſt? In poteſtate noſtra poſuit, qualiter in die iudicij iudicemur. Non dixit, vade in orientem, quære iuſtitiam, nauiga vſque in occidentem, vt accipias indulgetiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi: indulge, & indulgebitur tibi: da, & dabitur tibi. Nihil à te extra te quæritur. Ad teipſum & ad conſcientiam tuam te Deus dirigit. In te enim poſuit, quod requirit. Non itaque medicamenta vulneribus tuis longè habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam ſi vis, intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit ſuſtinere, vt eum nulla ratione poſsim diligere. Attendis, quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? Si conſcientiam tuam diligenter diſcutis & inquiris, ſine vlla compenſatione maiora tu commiſiſti in Deum peccata, quam in te commiſerit homo. Et qua fronte vis vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non acquieſcis dimittere parum? Sed ſi hæc quæ ſuprà diximus, ſpiritalia medicamenta, ſicut Deo propitiante conſueuiſtis, libenter accipitis, & in armario ſancto conſcientiæ veſtræ recondita diligentiſsimè cuſtoditis, auxiliante Domino venena diaboli non timebitis, & perodium vel iracundiam aut nunquam vobis amara vulnera ingerentur, aut ſi fortè ſubrepſerint, citò per charitatem priſtinam reuocantur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO DE D. VINCENtio Martyre.

Hic ſermo in quodam manuſcripto exemplari D. Leonem præferebat authorem, licet ab alijs D. Auguſtino adſcribatur.

VNctorum licèt (dilectiſsimi) glorioſas martyrum paſsiones, quos diſtincta regionibus loca meruerunt, vna fides faciat omnibus indiſcreto honore venerabiles: propriam tamen ſibi in hoc venerationis obſequio illi vendicant dignitatem, qui Eccleſiam Dei & documẽtis præ cæteris eregerunt, & patrocinijs adiuuerunt. Inter quos iuſtè beatum Leuitam Vincentium, cuius confeſsione & morte Chriſtum incredulis prædicatum incunctanter agnoſcimus, catholicis ſtudijs celebramus. Qui vt fidelium deuotionem Deo ſtudioſius commendaret, altiori charitatis flammaſcens affectu, morti ſeſe tandem fideliter obtulit, quò videlicet robur fidei in ſolidiſsima petra Chriſto fundatum, ſequacibus imitãdum daretur: nec non & ſemen apoſtolicæ prædicationis per eum pluribus diſſeminatum, ope ſuæ interceſsionis tutum, ac perfectæ conſummationis fruge referretur, quem etiam peregrina miraritur, quatenus eis ſe largiorem exhibeat in beneficijs, quibus ſe amabiliorem cognoſcit in gaudijs, fiatq; in eius ſolennitate vberior lætitiæ ambitus, de quo fidei creuit effectus. Igitur beati Vincentij ſpiritus tanto virtutum manere claruit, vt ſacri miniſterij fultus officio, qui filium Dei Dominum noſtrum ſecuturus eſſet in paſsione, eiuſdem Chriſti calicem credentibus miniſtraret in ſalutẽ. Cuius hauſtu feliciter mente ebriatus, rabidi hoſtis atq; in Chriſtum ſæuientis inſaniam interritus adijt, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit, ſciens paratus eſſe vt reſiſteret, neſciẽs elatus eſſe quò vinceret: quia cuius amore ſpiritalibus armis præmunitus reſiſtebat, eius adiutorio, quicquid pœnarum in illum furentis ira excogitabat, inſuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo non hunc laminæ ignitæ ſartaginis, non eculei, non vngulæ ferreæque manus, non vires pauendæ cædentium, nec dolor ſciſſorum membrorum, non foci fragor, & ſtrepentis in patentibus viſceribus ſalis iniectio, Daciani quiuerunt aliquatenus ſubdere iuſſioni. Sed dum in tantum eius væcordiæ timor excreſceret, vt tantis paſsionis ſubactum doloribus aut viciſſe aut interemiſſe ſe lætabundus extolleret, ſuſceptæ ſpe fruſtatus, vnde victor viſus eſt apparere, inde victus compulſus eſt erubeſcere: quo-

D. Vincentij vita & paſsio deſcribitur.

quoniam quo Dei martyr duriori vrgebatur pœna, eo ampliori confeſsionis exultabat conſtantia. Vnde ipſius paſsionis vel vltima peruidere, ſeu memorari fratres euidentius placet, quatenus animaduertat ſanctitas veſtra, quò diabolus ſuum præduxerit doli miniſtrum, vel quomodo Chriſtus ſuum in finem vſque ſeruauerit famulum. Ex quo illud ſanè erat mirabile, quia quantum iſte extrinſecus multiplici pœnarum genere contritus artabatur, tantum intrinſecus exultante interiori homine dilatabatur: quantumque ille exteriùs iactantia temporalis potentiæ inflabatur, tantum interiùs deſpici ſe perpendens interiori vexatus homine præuocabatur. Contemni igitur ſe videns ſæuiebat, nec in quem iam vindictam inferret inueniebat. Videbat namque deſæuientium manus carnificum plus in eo inuenire vulneris, quàm corporis, ſolumque vigentem ſpiritum ei ſtultitiam exprobare ſuam, quo prouocabat veritatis normam. Quapropter credens quòd cauſam confuſionis auerteret, ſi perſonam quæ ſe ſpreuerat abſentaret, minuſque Dacianus erubeſceret, ſi Vincentium populus non videret, iuſsit eum à publico remoueri. Sed ne ſic quidem careret ſuplicio, contuſa qua iacet teſta ſubſternitur, vt vis acuminis concilam molem ſuperiecti corporis plus diſcinderet, atque reddita tormentis membra quæ ſecarent obuia ſuſciperent fragmenta, fallitur tamen vincendi opinione cæca crudelitas. Nam diuina bonitas dilectum ſuum amplius in confeſsione comitata infert nouam tenebris lucem, & tabernaculum ſplendidum obſcurum reddit ergaſtulum, fouebat laceros artus medica Dei manus, & venuſtiori priſtinæ ſanitatis augmento foſsi lateris damna ſupplebat. Inſolita igitur huius luminis claritate perculſi, obſtupuere cuſtodes, quin & vocem angelis hymnum Deo concinentibus, mens pallidi ianitoris expauit. Currit exanimis miniſter ad præſidem, quem grauiùs relatio nuncij quàm ictus erat percuſſura gladij: & cùm non poſſet ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor iudicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat: & ne in pœnis Vincentius vincens gloriam martyrij obtineret: Citius, inquit Dacianus, producatur è carcere, ne dum inſiſtimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris barathro, cœleſti quidem gratia pulchrior, & ſi adhuc eſſet paſſurus robuſtior. Sed vbi deſideratum ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, iubet inuida mens Ienioris ſtrati fulcra ſubſtitui, ac blandiori eum requie confoueri, ſcilicet vt ſi amoto paululùm carnifice animam quietus exhalaret, diceretur non eſſe occiſus, ſed mortuus: quaſi eum non pœna peremerit, cum quo & pœna ſimul perierit. Interea beatum Vincentium cœleſtis aula ſuſcipit, ac beatæ felicitatis munere donat. Ad cuius ingreſſum angelici lætantur ſpiritus, omnesque ſimul conciues gratulantus ſancti. Nosq; tibi gratias agimus Domine Ieſu, quòd anima tuo digna conſortio quę pertinax tulit ſupplicium, mendax fugit obſequium: & quæ fuit contenta perſecutor quòd fureret, ſi dedignata quòd parceret. Cognito igitur ſancto eius abſceſſu, iudex inſanus, & quia Chriſtus viciſſet in Vincentio neſcius Dacianus, illius ſibi promittit cadaueris expoſitione vindictam, cuius gemit ex virtute victoriam. Feris namque & canibus decepta furoris ſuperbia abſumendum proijci mandat lictoribus, vt tali paſtu eorum impleret ventrem, quorum ipſe gerebat mentem. Sed vt diuinis excreſcentibus beneficijs maioris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur coruus auis inimica cadaueribus, expoſitas corporis dapes ſeruatura ieiuna. Hinc fratres (dilectiſsimi) hinc aduertite diſtincta meritorum obſequia. Elias quondam impias Achab vel Iezabelis manus cautè declinans, in deſerto coruis miniſtrantibus paſcitur: aſſertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur conſumendus, ſed coruo famulante ſeruatur illæſus. Obtinuit ergo Elias diuino nutu coruis præſtantibus quo aleretur, præſtitum eſt Vincentio obſequente quoque coruo, ne comederetur. Qui vt cælitus ſe cuſtodem deſignatum oſtenderet, aduentantes reliquas aues eminus non ſegni impetu perturbabat, inter quas immanem quoque

Coruus exanime corpus tuetur. *3. Reg. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lupum propiùs accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis & alis deuerberans procul abegit. Sed ille quòd non tam ad inferendam veniſſet iniuriam, quàm ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta væsania. Coruus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere. Vnde ad occulendam martyris laudem non iam secretum, sed profundum elegit, credens sibi ad delendam eius gloriam non clauſtra fidem seruatura, sed maria, quasi non idem elementi dominus esset, per quem dudum ei carceris abdita cœlesti fulgore radiata micuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus, vt ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defeciſſet. Enauigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, proiectum inter sorbentes vndas præpotens est Dei dextera consecuta, & quæ spiritum intulerat in cœlum, corpus mox retulit ad sepulchrum. Sic prædicator veritatis chariſsimi nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrosi carceris superatur anguſtijs: non à bestijs dilaniatur, non profundo celatur, sed litori redditur, præconio diffamatur, vt qui verè confeſſus fuerat nomen deitatis, veritate sibi adesse experiretur diuinæ suffragia bonitatis. Cuius glorioſam virtute vitam ita præcioſæ mortis gratia decorauit, vt quod viuendo docuit, moriendo conſtanter adſtrueret, eratq; conſequens quatenus ad eius visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conuersatione semper atteſtatus fuisset, sciens quòd de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ, præstante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in secula seculorum.
Amen.

D. LEO-

D. LEONIS PAPAE
MAXIMI HVIVS NOMINIS PRIMI, Epiſtolæ & Decreta.

Epiſtola prima ſcripta anno Chriſti 443. porrò anno 4. Pontificatus S. Leonis.

Capitulorum sequentis Epiſtolæ tituli.

Vt nullus Epiſcopus seruũ alterius ad officiũ clericatus promoueat. I.
Vt quicunque ad ſacerdotium, vel viduarum mariti, vel habentes numeroſa coniugia, promoti fuerint, ab Eccleſiaſticis officis arceantur. II.
Quòd vſuras, non ſolùm clerici exigere nõ debeant, ſed nec laici. III.
Vt clericus nec ſuo, nec alieno nomine fœnus exerceat. IIII.
Vt, ſi quis ſacerdotum contra interdicta fecerit, à ſuo ſubmoueatur officio. V.

Leo Epiſcopus vrbis Romæ, vniuerſis Epiſcopis per Campaniam, Picenum, Tuſciam, & vniuerſas prouincias conſtitutis, in Domino ſalutem.

VT nobis gratulationẽ facit eccleſiarum ſtatus, ſalubri diſpoſitione compoſitus, ita non leui nos mœrore cõtriſtat, quoties aliqua contra ſtatuta canonum Eccleſiaſticamq; diſciplinam præſumpta vel commiſſa cognoſcimus: quæ ſi non qua debemus vigilantia reſecemus, illi, qui nos ſpeculatores eſſe voluit, excuſare non poſſumus, permittentes ſyncerum corpus Eccleſiæ, quod ab omni macula purum cuſtodire debemus, ambientium improba contagione fœdari, cùm ipſa ſibi membrorum per diſsimulationem compago non congruat. *Idem in epiſtola Damaſi Papæ. Ezech. 3. & 33.*

Caput I.

ADmittuntur paſsim ad ordinem ſacrum, quibus nulla nataliũ, nulla morum dignitas ſuffragatur: & qui à dominis ſuis libertatem cõſequi minimè potuerunt, ad faſtigium ſacerdotij, tanquam ſeruilis vilitas hũc honorem iurè capiat, prouehuntur: & probari Deo poſſe creditur, qui domino ſuo necdum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt, quòd & ſacrum miniſterium talis conſortij vilitate polluitur, & dominorum, quantùm ad illicitæ vſurpationis temeritatem pertinet, iura ſoluuntur. Ab his itaque, fratres chariſsimi, omnes veſtrę prouinciæ abſtineãt ſacerdotes, & non tantùm ab his, ſed & ab illis etiã, qui originis, aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari, niſi fortè eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vendicant poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab alijs, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, vt à caſtris dominicis, quibus nomen eius adſcribitur, nullis neceſsitatis vinculis abſtrahatur. *Diſtin. 54. Admittuntur.* *Ibidem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput II.

1. Tim. 3. Leuit. 21.

QValis verò vnicuique natalium honestas & morum esse debeat, qui sacri altaris ministerio est sociandus, & Apostolo nos docente, & diuina præceptione didicimus, & canonum regulis, à quibus plerosq; fratrum declinasse & penitùs deuiasse reperimus, admonemur. Nã constat ad sacerdotiũ peruenisse viduarum maritos, quosdã etiam, quibus fuerint numerosa coiugia, & ad omnem licẽtiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, cõtra illam beati Apostoli vocem, qua talibus exclamat, dicens: Vnius vxoris virum. Et contra illud antiquæ legis præceptum, quo dicitur & cauetur: Sacerdos virginem vxorẽ accipiat, non viduam, non repudiatam. Hos ergo, quicunq; tales admissi sunt, ab Ecclesiasticis officijs, & à sacerdotali nomine, Apostolicæ sedis authoritate iubemus arceri, (Nec hoc enim sibi potuerũt pro arbitrio vendicare, cuius capaces, per hoc quod illis obstiterat, non fuerunt,) huius discussionis curam nobis specialiter vendicantes, vt, si qua forsitan de his commissa sunt, corrigantur, ne liceat vltrà cõmitti, & ne qua excusatio de ignoratione nascatur, quanquã ignorare nunquã licuerit sacerdotem, quod canonum fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad prouincias vestras, per Innocentium, Legitimum & Segetium fratres & coepiscopos nostros scripta direximus, vt quæ malè pullulasse noscuntur, radicitùs euellantur, & messem dominicam zizania nulla corrumpãt. Ita enim fructum vberem, quæ sunt syncera, præstabunt, si ea, quæ natam segetem enecare consueuerunt, diligentiùs amputentur.

Ibidem.

Caput III.

14. q. 4. Nec hoc pratereun.

NEc hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, vsurariam exercere pecuniam, & fœnore velle detexere. Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in clericali officio constituti, sed & in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in eos, qui fuerint cõsutati, decernimus, vt omnis peccandi opportunitas adimatur.

Caput IIII.

Di. 46. Sicut nõ suo.

ILlud etiam duximus præmonendum, & sicut non suo, ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt quod hie misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

Caput V.

Dist. 19. Si Ro. pont S. Quibus ad hæc.

HOcitaque admonitio nostra denunciat, quòd, si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendũ, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Nequid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, vt si quis * illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.

Data sexto Idus Octobris, Maximo II. & Paterno viris clarissimis consulibus.

Epistola

Epistola secunda eiusdem ad Episcopos per Italiam, Quòd plurimi Manichæorum vigilantia ipsius papæ Leonis in vrbe Roma detecti sunt.

Leo Episcopus vrbis Romanæ, omnibus Episcopis per Italiam constitutis.

Anno Christi 444. pontificatus sancti Leonis 5. scripta est hac epistola.

INconsortium vos nostræ solicitudinis, dilectissimi fratres, aduocamus, vt vigilantia pastorali, ne quid diabolicæ licere possit astutiæ, commissis vobis gregibus diligentiùs cõsulatis, ne is, qui Domini misericordia reuelante per nostram curam à nostris quibus morbus abigitur, necdũ vobis præmonitis, & adhuc quid agatur ignaris, per vestras se dispergat ecclesias, & suarum furtum cuniculos mueniat latebrarum, ne quod à nobis in vrbe extinguitur, tenebrosis apud vos radicibus seminetur. Plurimos impietatis Manichææ sequaces & doctores in vrbe inuestigatio nostra reperit, vigilantia diuulgauit, authoritas & cẽsura coercuit: quos potuimus emendare, correximus, & vt damnarent Manichæũ cum prædicationibus & disciplinis suis, publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione cõpulimus, & ita de voragine impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo, leuauimus. Aliquanti verò, qui ita se demerserunt, vt nullum his exiliantis posset remediũ subuenire, subditi legibus, secundùm Christianorũ principum, cõstituta, ne sanctũ gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati. Et omnia, quæ tam in scripturis, quàm in occultis traditionibus suis habẽt prophana vel turpia, vt nosset populus, quid refugeret aut vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probauimus: adeò vt ipse, qui eorum dicebatur Episcopus, à nobis tentus, proderet flagitiosa in suis mysticis quæ * teneret, sicut gestorum vos series potest edocere. Ad institutionem enim vestram etiam ipsa direximus: quibus lectis: omnia quæ à nobis deprehensa sunt, nosse poteritis. Et quia aliquãtos de his, quos ne absoluerentur, arctior reatus inuoluerat, cognouimus fugisse, hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus per acolythũ nostrum, vt effecta certior sanctitas vestra, solicitiùs agere dignetur & cautiùs, necubi Manichææ peruersitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, & huius sacrilegij possint inuenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi eos, qui sunt perditores & perditi, zelo fidei dominicæ persequamur, & à sanis mentibus, ne pestis hæc latiùs diuulgetur, seueritate qua possumus, abscindamus. Vnde hortor dilectionẽ vestram, obtẽctor, & moneo, vt qua debetis & potestis solicitudine vigiletis ad inuestigandos eos, necubi occultandi se reperiant facultatem. Vt enim habebit à Deo ingens renumerationis præmium, qui diligentiùs, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicunque plebem suam, cõtra sacrilegæ persuasionis authores, noluerit custodire. Data tertio Calendas Februarij, Theodosio XVIII. & Albino viris clarissimis consulibus.

* teneret,

*Epistola tertia eiusdem ad * Iulianum Episcopum Aquileiensem, quòd omnis cuiuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, hæreticæ communioni se miscuerit, & ad Ecclesiam conuersus fuerit, in eo gradu, quo erat, sine promotione remaneat.*

* Ianuariũ

Leo Episcopus vrbis Romæ * Iuliano Aquileiensi Episcopo

* Ianuario.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anno Christi 447. pontificatus sancti Leonis 8. scripta est hæc epistola.

LEctis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quem olim nouera mus, agnouimus, congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregem Christi, pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sæuitia simplices quosq; dilacerẽt, & non solùm ipsi nulla correctione proficiant, sed etiã ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, qui à nobis in hæreticorum atq; schismaticorum sectam delapsus est, & se vtcunque hæreticæ communionis contagione macularit, resipiscens, in cõmunione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimũ enim & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue presbyteri, siue diaconi siue subdiaconi, aut cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atq; ad catholicam fidem, quam iampridem amiserãt, rursum reuerti ambiunt, priùs errorem suum, & ipsos erroris authores, damnari à se, sine ambiguitate fateantur, vt sensibus prauis etiam peremptis, nulla sperandi superfit occasio, ne vllum membrũ talium possit societate violari, quum per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, vt in magno habeant beneficio, si a dempta sibi omni spe promotionis, in quo inueniuntur ordine, stabilitate perpetua permaneant, si tamen iteratæ tinctionis sacri legionon fuerint maculati. Non leuem enim apud Deum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros ordines promouendum aliquem iudicârit. Quòd si cùm grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & det operam, vt circũspectè atque velociter impleantur, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem & laudabiliter suggesta sunt, & salubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesq; rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Data pridie Calendas Iulij, Alypio & Arbabuce viris clarissimis consulibus.

Matt. 7. 1. q. 1. Si quis hæretica. 1. q. 7. Saluberrimũ. 1. q. 1. Omnis cuiuslibet Et cap. Si quis hæretic. Et indec. Iuonis lib. 3.

Distin. 86. Inferiorũ culpæ.

Epistola quarta eiusdem ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos.

Capitum sequentis Epistolæ tituli.

Quòd prohibeatur in die Epiphaniæ baptismum celebrari. I.

Quòd cuncta nobis per ordinem rerũ, incarnationem Domini nostri salutis sacramẽta digesta sunt. II.

Quòd in baptismo mors proueniat interfectione peccati, & sepulturã triduanã imitetur trina dimersio, & ab aquis eleuatio sit velut resurrectio de sepulchro. III.

Quòd beatus apostolus Petrus in die Pentecostes virorum tria millia baptizauerit. IIII.

Quòd hæc duo tempora, id est, Pascha & Pentecoste, à Romanis pontificibus ad baptizandum præfixa sint. V.

Quòd omni tempore hi, qui necessitate mortis vrgentur, id est, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragij, debeãt baptizari. VI.

Vt de Sicilia terni semper annis singulis, de Episcopis ad diem tertiũ Calendarum Octobrium, Romã sociandi synodo indissimulanter occurrant. VII.

Leo

Leo Episcopus, vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis.

Anno Christi 447. pontificatus S. Leonis 8. scripta est hæc epistola. 25. q. 1. Dilecti. Ioan. 22.

DIuinis præceptis & Apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu, ac si quid vsquàm reprehensioni inueniatur obnoxium, celeri solicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis vsurpatione reuocemus. Monẽte enim dominicæ vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat: ipsius sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, reuerentia cohortamur, vt periculum desidiæ, quantùm possumus, declinemus: ne professio summi apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, vana inueniatur in nobis: quia negligenter pascens toties commendatum dominicum gregem, conuincitur summum non amare pastorem.

Caput I.

QVum ergo mihi, de charitatis vestræ actibus, fraterna affectione solicito, certis indicijs innotuerit, vos in eo, quod inter sacramenta Ecclesiæ principale est, ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare, ita vt baptismi sacramentum numerosiùs in die Epiphaniæ, quàm Paschali tempore celebretis: miror vos, vel præcessores vestros, tam irrationabilem nouitatem vsurpare potuisse, vt confuso temporis vtriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est Christus à Magis, & diem quo resurrexit à mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si vnde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius obseruantiæ sumeretis: & beati Petri Apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis. A cuius vos regulis recessisse minore posset æquanimitate tolerari, si aliqua commonitionis nostræ increpatio præcessisset. Nunc autem quia non desperatur correctio, mansuetudo seruanda est. Et licet vix ferenda sit in sacerdotibus excusatio, quæ prætendat inscitiam, malumus tamen & censuram necessariam temperare, & ratione vos apertissimæ veritatis instruere.

Caput II.

SEmper quidem in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio, sed ordo rerum, per Iesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum, in incarnatione verbi sumpsit exordium. Vnde aliud tempus est, quo annũciante angelo, beata virgo Maria fœcundandam se per spiritum sanctũ credidit, & concepit: aliud, quo salua integritate virginea, puer editus exultante gaudio cælestium ministrorum pastoribus indicatur: aliud, quo infans circunciditur: aliud, quo hostia pro eo legalis offertur: aliud, quo tres Magi, claritate noui syderis incitati, in Bethleem ab Oriente perueniunt, & adoratum paruulum mystica munerũ oblatione venerantur. Nec ijdem sunt dies, quibus impio Herodi, ordinata diuinitùs in Aegyptum translatione, subtractus est, vel quibus ab Aegypto in Galilæam, persequutore mortuo, reuocatus est. Inter has autem dispensationum varietates, accedunt augmenta corporea, crescit Dominus (sicut Euangelista testatur) profectibus ætatis & gratiæ. Per dies Paschæ in templum Hierusalem cum parentibus venit, & quum abesset à societate redeuntium, sedens cum senioribus, & inter admirãtes magistros disputans inuenitur: rationẽq; remansionis suæ reddens. Quid est, inquit, quòd me quærebatis? nescichatis, quòd in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? significans, eius se esse filium, cuius esset & templũ.

Luc 1. Luc. 2. Matt. 2. Luc. 2.

Iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam verò quum in annis maioribus apertiùs declarandus, baptismum præcursoris
sui Ioannis expetijt, quid deitatis eius remansit ambiguum, quando baptizato Do-
mino Iesu, spiritus sanctus in columbæ specie super eum descendit, & mansit, audi-
Matt. 3. Luc. 3. ta de cælis patris voce, dicētis: Tu es filius meus dilectus, in te benè complacui? Quæ
omnia ideò, quanta potuimus breuitate, perstrinximus, vt notum sit dilectioni ve-
stræ, vniuersos dies Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus, & in cūctis eius
actionibus sacramentorum mysteria coruscasse: sed aliter quæque signis denuncia-
ri, aliter rebus impleri: nec quæcunque numerantur in operibus saluatoris, ad tem-
pus pertinere baptismatis. Nam si etiam illa, quæ post beati Ioannis lauacrum à Do-
mino gesta cognouimus, sub indiscreto honore colamus, omnia tempora cōtinua-
tis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis. Verùm quia spiritus sa-
pientiæ & intellectus ita apostolos & totius Ecclesiæ erudiuit magistros, vt in Chri
stiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernendæ
sunt causæ solennitatum, & in omnibus institutis patrum principumq; nostrorum
rationabilis seruanda distinctio, quia non aliter vnus grex, & vnus pastor sumus, ni-
1. Cor. 1. si quemadmodùm Apostolus docet, Idipsum dicamus omnes: Simus autem perfecti
in eodem sensu, & in eadem sententia.

Caput III.

De conf. di. 4. Proprie in morte. Rom. 6.

QVamuis ergo & illa quę ad humilitatem, & illa quę ad gloriam per-
tinent Christi, in vnam concurrant eandemq; personam, totumq;
quicquid in illo & virtutis diuinæ est, & infirmitatis humanæ, ad
nostræ reparationis tendat effectum, propriè tamen in morte cru-
cifixi, & in resurrectione ex mortuis, potentia baptismatis nouam
creaturam condit ex veteri, vt in renascentibus & mors Christi ope-
retur, & vita, dicente beato apostolo Paulo: An ignoratis, quicunque baptizati su-
mus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum
illo per baptismum in mortem, vt quomodò surrexit Christus à mortuis per glori-
am patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus
similitudinibus mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et cætera, quo latiùs ma
gister gentium, ad commendandum sacramentum baptismatis disputauit, vt appa-
reret ex huius doctrinæ spiritu regenerandis filijs hominū, & in Dei filios adoptan-
dis, illum diem esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque
mysterij, ea quæ geruntur in membris, his, quæ in ipso sunt capite gesta, congruerēt,
dum in baptismatis regula, & mors interuenit intersectione peccati, & sepulturam
triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis eleuatio, resurgentis instar est de se-
pulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet, celebrandæ generaliter gratiæ eum esse
legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei
confirmationem plurimùm valet, quòd ipse Dominus Iesus Christus, posteaquàm
resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum præsules docebān-
Matt. 28. tur, & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes ergo nunc, docete
omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. De quo
vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi,
regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sanè huic obseruan-
tiæ etiam Pentecostes ex aduentu spiritus sancti sacra solennitas, quæ de Paschalis
festi pendet articulo. Et cùm ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum
diem, qui resurrectione Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodò au-
xiliantis gratiæ manum & eos, quos à die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut lon-
ginquitas itineris, aut nauigationis difficultas intercluſit, inuitans, vt quibuslibet
necessitatibus impeditis, desiderij sui effectum dono spiritus sancti consequantur.
Ipse enim vnigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum nullam inter se
& spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diuersitas in natura, dicēs:
Ego

Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, Ioan. 14.
spiritum veritatis. Et iterùm: Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater Ibidem.
in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vniuersa, quæcunque dixit vo- Ioan. 16.
bis. Et iterùm: Cùm venerit ille spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatē.
Cum itaq; veritas Christus sit, & spiritus veritatis, spiritus sanctus nomēq; paracle-
ti vtriq; sit proprium, non dissimile est festum, vbi vnum est sacramentum.

Caput IIII.

De conf. di. 4. Propriè in morte.

HOc autem nos, non ex nostra persuasione defendere, sed ex aposto-
lica authoritate seruare, satis idoneo probamus exemplo, sequen-
tes B. apostolum Petrum, qui in ipso die, quo omnem credentium
numerum promissus spiritus sancti repleuit aduentus, trium mil-
lium populum, sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis
consecrauit. Quod sancta scriptura, quæ apostolorum actus conti-
net, fideli historia docet, dicens: His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad
Petrum, & ad reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Actor. 2.
Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu
Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti.
Vobis enim repromissio est & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque
aduocauerit Dominus Deus noster. Alijs etiam verbis pluribus testificatus, exhor-
tabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua. Qui ergo receperūt sermo-
nem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.

Caput V.

De conf. di. 4. Duo tē-pora.

VNde quia manifestissimè patet baptizandis in Ecclesia electis, hæc duo
tempora (de quibus loquuti sumus) esse legitima, dilectionem vestram
monemus, vt nullos alios dies huic obseruantiæ misceatis.

Caput VI.

De conf. di. 4. Si quis necesse sit. Ibid. Si quis autem Epi. & in dec. suo parte 1. cap. 47. Galat. 4. Matt. 5. Rom. 10.

QVia etsi sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem dei reue-
rentia debeatur, principalis tamen & maximi sacramenti custodi-
enda nobis est * mysticæ rationis exceptio, non interdicta licentia,
qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus sub-
uenitur. Ita enim ad has duas festiuitates connexas sibimet atq; co-
gnatas, incolumium & in pacis securitate degentiū, libera vota dif-
ferimus, vt in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis angu-
stijs, in timore naufragij, nullo tempore, hoc veræ salutis singulare præsidium cui-
quam denegemus. Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine, debito
honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc
quidam putant, quòd in eadem die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesse-
rit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem: nec ad eandem perti-
nuisse virtutem, qua per spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: Qui non
ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt.
Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remediū renascē-
di, sic voluit baptizari, quomodò voluit circunci di, hostiamq; pro se emundationis
offerri, vt qui factus erat ex muliere, (sicut Apostolus ait) fieret & sub lege, quam nō
venerat soluere, sed adimplere, & implendo finire, sicut beatus Apostolus prædi-
cat, dicens: Finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti. Baptismi au-
tem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se docuit

* mystica & rationabilis.

esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius
Ioan.19. Ioan.1. profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis. Sicut ergo vetus testamentum noui testificatio fuit, & lex per Mosen data est, gratia autẽ & veritas per Iesum
Ioan.3. Matt.3. Luc.3. Christum facta est: sicut diuersa sacrificia vnam hostiam præformarunt, & multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sic Ioannes, non Christus, sed Christi præuius, non sponsus, sed sponsi amicus fuit adeò fidelis, & non sua quærens, sed quę Iesu Christi,
In de. Iuo. parte 1. cap. 59. De conf. di. 4. Duo tempora. vt se profiteretur ad soluenda calciamenta pedum eius indignũ: quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus esset in spiritu sancto & igni, qui duplici potestate & vitam redderet, & peccata consumeret. His itaque, fratres charissimi talibus ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota, euidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundùm apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tãtùm tempora, id est, Pascha & Pentecosten, esse seruanda. Hoc vestræ indicimus charitati, vt ab apostolicis institutis nullo vlteriùs recedatis excessu. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

Caput VII.

Nice. con. ca. 5. QVare illud primitùs pro custodia concordissimæ vnitatis exegimus, vt quia saluberrimè à sanctis patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conuentus, terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam, fraterno concilio sociandi, indissimulanter concurrant: quod vtique laboriosum non est, si vicissim inter vos hæc consuetudo seruetur. Quoniam, adiuuante gratia Dei, facilius poterit prouideri, vt in ecclesijs Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram beatissimo apostolo Petro id semper in commune tractatum fuerit, vt omnia instituta canonumq; decreta apud omnes Domini sacerdotes inuiolata permaneant. Hæc autem, quæ inspirante Domino, vo
*Vacillum bis insinuanda credidimus, per fratres & coepiscopos nostros * Bachillum atq; Paschasinum, ad vestram volumus notitiam peruenire. Quibus referẽtibus cognoscamus, quàm reuerenter à vobis Apostolicæ sedis statuta seruentur. Data xij. Cal. Nouemb. Alypio & Ardabure viris clarissimis consulibus.

Epistola quinta eiusdem ad Dorum Beneuentanum Episcopum.

Dilectissimo fratri Doro Leo Episcopus.

Anno Christi 448. pontificatus S. Leonis 9. fuit scripta hæc epistola. IVdicium, quod de te sperabamus, dolemus esse frustatum, quando ea te commisisse perspicimus, quæ omnem ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili nouitate fœdarent, cùm plenissimè noueris, quanta solicitudine per omnes Domini Ecclesias paternorum velimus canonum præcepta seruari, & hanc maximè curam ad sacerdotes vniuersarum plebium pertinere, vt sanctarum constitutionum regulæ nullis corrumpantur excessibus. Vnde miramur te, quem authoritatum Apostolicæ sedis obseruantissimum esse conuenerat, tam negligenter, ac potiùs insolententer egisse, vt traditarum tibi legum non custos, sed transgressor existeres. Libello etenim Pauli presbyteri tui, qui in subditis habetur, cognouimus, apud te nouo ambitu, fœdoq; colludio presbyterij ordinem fuisse turbatum, ita vt vnius festina

festina & immatura proiectio, quædam eorum deiectio facta sit, quorum honorẽ ætas commendabat, & nulla culpa minuebat. Quòd si ambientis intentio, aut imperita fauentium studia id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, vt inciLuc.14.18. piens emeritis & nouellus præferretur antiquis: tuæ fuerat industriæ atque doctrinæ, vt iniustè petentium desideria rationabili authoritate cohiberes, ne quem in sacerdotali properè prouehebas honore, ad iniuriam eorum, quibus sociebatur inciperet, minorque se fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixisse Dominum, quòd qui se humiliat, exaltabitur: qui verò se exaltat, humiliabitur. Vos autem quæritis de pusillo crescere, & de honore maiores esse. Vtrunque enim inordinatum, vtrunque præpostèrum est, & omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis adsequiur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, vt cupiditas eminendi non solùm superbientem minuat, sed etiam conniuentem. Si verò (vt adseritur) primi secundique presbyteri, circa Epicarpium sibimet præponendum, tam huic adsentatio fauit, vt illum cum sui dedecore poscerent honorari: nec hoc quidem illis, proprio se iudicio deijcientibus, tribui debuit, quod volebant, cui tam miseræ voluntati te dignius fuerat obuiarę, quàm cedere. Deformis autem & ignaua subiectio benè sibi conscijs, & non irritam facientibus gratiam Dei, præiudicare non potuit, vt primatus suos quocunque commercio in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem, * & quem vl- *sed qui vltimum sibi anteposuerant, cæteris præmineret. Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet priuari etiam sacerdotio mererentur, tamẽ vt eis pro Apostolicæ sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur. Et vt iudicij sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Nec quisquam, præter prædictos duos, imminutæ dignitatis patiatur iniuriam, sed in eorum statum tantummodò hoc recurrat opprobrium, qui nouello, & immaturè ordinato, inferiores fieri delegerũt, vt illam Euangelicã sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur: Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & qua mensura Matt.7. Marc.4. mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Paulus verò presbyter ordinem suũ, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. Nec vlteriùs aliquid in cuiusquam præsumatur iniuriam, ita vt dilectio tua, quam non immeritò tota facti huius pulsat inuidia, hoc saltem remedio curare se properet, vt sine dissimulatione hæc, quæ decernimus, tradantur effectui, ne si iteratò ad nos imploratio iusta confugerit, necesse sit seueriùs commoueri, quum his, quæ malè sunt facta, correctis malimus redintegrare disciplinam, quàm augere vindictam. Exequutionem verò præceptionum nostrarum fratri & coepiscopo nostro Iulio commisisse nos noueris, vt omnia illi quẽ admodùm constituimus, roborentur. Data * Idus Martij, Posthumiano viro cla- * viij. Idus rissimo consule.

Epistola eiusdem sexta ad Eutychen Constantinopolitanum Abbatem.

Dilectissimo filio Eutycheti presbytero, Leo Episcopus.

Anno Christi 448. S. Leonis pontificatus 9. scripta est hæc epistola. AD notitiam nostram tuæ dilectionis * epistola retulisti, quòd Nestoriana hæresis quorundam rursus studijs pullularet. Solicitudinẽ tuam ex hac parte nobis placuisse rescripsimus, quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus. Vnde nõ ambigimus authorem catholicæ fidei Dominum tibi in omnibus adfuturum. Nos autem cùm pleniùs, quorum hoc * improbitate fiat, potuerimus agnosce- * literis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re, necesse est, auxiliante Domino prouidere, quatenùs nefandum virus dudumque damnatum, radicitùs possit extingui. Deus te custodiat incolumem dilectissime fili. Datum Calend. Iunij, Posthumiano & Zenone viris charissimis consulibus.

** prauitate vel importunitate.*

Epistola septima eiusdem ad Theodosium Augustum.

Leo Episcopus Theodosio Augusto.

Anno Christi 449. pontificatus S. Leonis 10. fuit scripta haec epistola, & aliquot sequentes.

QVantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clemẽtiæ præpararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur, vt vobis non solùm regium, sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem præter imperiales & publicas curas, pijssimam solicitudinem Christianæ religionis habetis, ne scilicet in populo Dei, aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant: quia tunc est optimus regni vestri status, quando sempiternæ & incommutabili Trinitati vnius deitatis confessione seruitur. Quid autem in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ita fratrem & coepiscopũ nostrum Flauianum potuerit cõmouere, vt Eutychen presbyterũ communione priuaret, nondum potuimus euidenter cognoscere. Quanuis enim prædictus presbyter ad sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit, breuiter tamen aliqua prælibauit, adferens se. Nicenæ synodi cõstituta seruantẽ frustrà in fidei diuersitate culpatum. Eusebij aũt Episcopi accusatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus presbyter misit, de obiectionis euidentia nihil habebat. Sed cùm presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen in eo sensum arguerit, non euidenter expresserit, quanuis & ipse Episcopus Nicenæ synodi profiteatur in hac re se esse decretis, propter quod non habuimus, vnde aliquid discerneremus. Et quia causæ meritum, fidei ratio, & laudabilis solicitudo vestræ pietatis exegit, necesse est, iam locum subreptionibus non patere, sed priùs, de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, vt possit de benè cognitis congruè iudicari. Ad prædictum autẽ Episcopũ dedi literas, quibus mihi displicere cognosceret, quòd ea quæ in tanta causa gesta fuerant, etiam nimio silentio reticeret, cùm studere debuerit primitùs nobis cuncta referare. Quem credimus vel post admonitionem omnia ad nostram notitiam relaturum, vt in lucem ductis his, quæ adhuc videntur occulta, id quod euangelicæ & apostolicæ doctrinæ cõuenit, iudicetur. Data ad Calendas Martias, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola eiusdem octaua ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, vbi quærit, cur Eutyches à communione Ecclesiæ fuerit separatus.

Dilectissimo fratri Flauiano Episcopo, Leo Episcopus.

** sancta & laudabili fide.*

CVm Christianissimus & clementissimus Imperator * sanctæ & laudabilis fidei, pro Ecclesiæ catholicæ pace solicitus, ad nos scripta transmiserit de his, qui apud vos perturbationis strepitum mouerant, miramur fraternitatẽ tuam, quicquid illud scandili fuerit, nobis silere potuisse, non potiùs procurasse, vt primitùs nos insinuatio magis tuæ relationis instrueret, ne de rerum gestarum possemus fide ambigere. Accepimus enim libellum Eutychetis presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio Episcopo, immeritò communione priuatũ, maximè

ximè cùm euocatũ se adfuisse testetur, nec sui præsentiam denegasse, adeò vt in ipso iudicio libellũ appellationis suæ se adferat obtulisse, nec tamen fuisse susceptũ, qua ratione cõpulsus sit, vt contestatorios libellos in Constantinopolitana vrbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus, necdum agnoscimus, qua iustitia à cõmunione Ecclesiæ fuerit separatus. Sed respicientes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquàm vniuersa, quę gesta sunt, veraciter audiamus. Et ideò fraternitas tua peridoneam maximè aptamq; personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquã fidem nouitatis emerserit, quod seueriori sententia dignum fuerit vendicari. Nam & Ecclesiastica moderatio, & religiosa pijssimi principis fides multam nobis solicitudinem Christianæ pacis indicunt, vt amputatis dissensionibus, fides catholica inuiolata seruetur, & his, qui prauа defendunt, ab errore reuocatis, nostra authoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas adferri, quũ memoratus presbyter libello proprio sit professus, paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus causis hoc maximè prouideri, vt sine strepitu concertationum, & charitas custodiatur, & veritas defendatur, frater charissime. Et ideò quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessariò esse solicitos, quàm plenissimè, & lucidè vniuersa nobis, quòd antè facere festinet: ne inter adsertiones partium, aliqua ambiguitate fallamur, & dissensio, quæ in suis initijs abolenda est, nutriatur: quum in corde nostro ea obseruantia, Deo inspirante, permaneat, ne constitutiones venerabilium patrum diuinitùs roboratæ, & ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiusquam interpretatione violentur. Deus te custodiat incolumem, frater charissime. Datum duodecimo Cal. Maij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Cõstitutiones Patrũ nõ violandæ.

Rescriptum Flauiani Episcopi Constantinopolitani ad sanctissimum Leonem Papam vrbis Romæ.

De subdoli hostis insidijs. I.
De fraudulenta subtilitate hæreticorum. II.
De blasphemijs Eutychetis III.
De excommunicatione eius iustissima. IIII.

Domino beatissimo, & Deo amabili patri Leoni, Flauianus in Domino æternam salutem.

Caput I.

NVlla res diaboli venena compescit, nec continet mortiferas eius sagittas. Sursum enim atque deorsum peruolans, quærit quos possit occidere, quòs possit superare, quos possit deuorare. Propter quam rem vigilandũ est, & orationibus à Deo obtinendum, vt fatuas iniquisitiones euitare possimus. Decet enim sequi patres nostros, nec commutare diffinitionem eorum perpetuam, quorum regulam secundùm sacras scripturas esse didicimus. Depositis ergo fletibus & lachrymis, quas incessanter fundo, quia sub me clerus degens, inuasus est à fero dæmone, & nõ potui eum liberare, nec ad ferre à tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere, quomodò raptus sit, quomodò residijt à proposito diuino, & ab illum cucurrit, qui perdere consueuit, præcepta patrum *declinans, & constituta eorum despiciens, iam incipio enarrare.

** dedignãs*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput II.

Matt. 7. 1. Ioan. 2.

SVnt enim quidam veste suâ oues significantes, interiùs lupi rapaces, quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quando autem cœperunt adsumere impietatem, illud quod priùs occultabatur in illis aperitur, & dolus omnis fit omnibus manifestus. Inueniuntur autem infirmæ fidei homines, & qui diuinas lectiones nesciunt, & secum eos in perditionem præcipitant, dissipantes & vituperantes patrum disciplinas, & * reliquas sanctas scripturas ad suam perditionem, quos quidem debemus præuidere, & à quibus multum oportet cauere, ne in malitia sua aliqui occupati, concidant de sua firmitate. Exacuerunt enim linguam suam quasi serpentes, & venenum in labijs habent quasi aspides. De his hæc Propheta clamauit.

*relinquũt

Caput III.

*capiebat.

TAlis inter nos Eutyches emersit, quondam presbyter & archimandrites, qui quasi nostræ religionis sectam * sapiebat, & hãc proferebat: Nestorij quidem impietati resistens in pugna, quæ contra Nestorium parabatur: trecentorum autem decem & octo sanctorum patrum de fide expositionem factã, & sanctæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium, vel ad similes eius, quibus omnes assenserunt, tentauit euellere, antiquam impij Valentini & Apollinaris reparans sectam, & non timuit præceptum regis veri Dei, dicentis: Quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt mola asinaria alligetur collo eius, & demergatur in profundum maris. Verecundiam autem omnem eius perfidia abiecit, & quam gerebat infidelitatis pellem excutiens, in sancta synodo asserebat instanter, dicens: Dominum nostrum Iesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cùm à nobis vnius substantiæ, & vnius personæ cognoscatur, neque carnem Domini coessentialem nobis subsistere, tanquam ex nobis susceptam & coadunitam Dei verbo secundùm substantiam: sed dicebat virginem quidem, quæ eum genuit, secundùm carnem consubstantialem nobis esse: ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis, & corpus Domini non esse quidem corpus hominis: humanum verò corpus esse, quod est ex virgine, omnium patrum expositionibus contraria sentiens.

Matt. 18.

Caput IIII.

SEd ne multa dicens, longam faciam epistolam, olim, quicquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus, & presbyterio illum esse nudatũ, quia sic captus est, & iussimus eum cum monasterijs nullam habere rationem, & exclusimus eum à communione nostra, vt sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis, sub beatitudine vestra degentibus, manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui, quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per literas, vel per aliquam coniunctionem loquantur.

Epistola Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani alia ad sanctissimum Leonem Papam vrbis senioris Romæ, de erroribus impij Eutychetis.

Sanc-

Sanctissimo & beatissimo patri & consacerdoti Leoni, Flauianus in Domino salutem.

PIetate & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nosti, Deo amatissime. Omnis enim nostra spes atque salus & retributio promissorum bonorũ in his est. Propterea omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro fide, & expositionibus dogmatibusq; sanctorum patrum, quatenùs per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inuiolata saluentur & custodiantur. Necessarium itaque fuit nunc, & iam videntes nos lædi orthodoxam fidem, & renouari Apollinaris & Valentini hæreses ab Eutyche monacho, non hoc despicere, sed in aperto hoc pro cautela populi reuelare. Iste enim Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens, insiliens nostræ mansuetudini, inuerecundè & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre dicens, ante inhumanationem quidem saluatoris nostri Iesu Christi duas naturas esse diuinitatis & humanitatis, post * vnitatem verò vnam naturam sanctam: neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Neq; enim vnitas conuenientium in Christo duarum naturarũ, sic vt vna re proprietates suas in vnitate confudit, sed manent in vnitate perfectæ naturarum proprietates. Adiecit aũt & aliam impietatem, dicens corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neq; humanæ conspersionis: sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neq; genetrici eius secundùm carnem: Et hæc aiebat, cùm in gestis Ephesi habitis & sancto & vniuersali Concilio, in epistola scripta ad impium damnatumq; Nestorium apertè sic habeatur: Quia diuersæ quidem ad vnitatem veram concurrêre naturæ, vnus autem ex ambobus Christus Dei filius: non tanquam naturarum differentia sit perempta propter vnitatem, sed potiùs effecerit nobis vnũ dominum Iesum Christum, diuinitatis & humanitatis per ineffabilem & intelligibilem ad vnitatem cõcursionem. Et hoc non latet tuam sanctitatem, dum omnino legerit gesta, quæ Ephesi sunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches, arbitratur non se daturum pœnã præfinitam à sancto illo & vniuersali Cõcilio, quoniam per hæc multi simpliciores ex eius eloquijs in fidei sermone læduntur. Accusatum verò cum à reuerendissimo Eusebio, & occurrentem in sanctum Concilium, & voce sua sectam propriam * retegentem, alienumq; existentẽ à recta fide, damnauimus, sicut docebunt vestram sanctitatem omnia, quæ super eo sunt gesta, quæq; direximus cum nostris his literis. Iustum autem est & hoc vobis (sicut arbitror) intimari: quia idem Eutyches passus iustam canonicam damnationem, cùm debuisset secundis saluare priora, & per pœnitentiam perfectam multasq; lachrymas placare Deum, nostrumq; cor vehementer contristatum in eius ruina, per veram sanare pœnitentiam, nõ solùm non fecit, sed etiam per omnia conturbare sanctam, quæ apud nos est, Ecclesiam festinauit, propositiones iniuriarum publicè ponens & maledictionibus plenas, super hæc & preces offerẽs pijssimo & Christi amantissimo nostro Imperatori, & eadem arrogantia & petulantia plenas, per omnia diuinas regulas conculcare conatus est. Sed his ita gestis, literæ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atq; calliditate, dicens iudicij tempore libellos se dedisse appellationis & nobis, & hic conuenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem, quod nequaquam ab eodem factũ est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tanquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaq; sanctissime pater in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt atq; fiũt, pro consueta fidutia fiducialiter age, secundùm quod sacerdotio competit, propriamq;

* vnitionẽ

In Epistola Cyrilli ad Nestoriũ.

Vide in Synodo Ephesina.

* detegentem.

Pertinacia Eutychetis

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciens communem causam,& sanctarum Ecclesiarum disciplinam,simul decernere damnationẽ aduersus eum regulariter factã.& per propria scripta dignare, confortare autem & pijssimi & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodò vestro solatio atq; defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere.Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eum factæ sunt,facilimè destruentur,Deo cooperante per vestras sacratissimas literas.Remouebitur autem & Cõcilium, quod fieri diuulgatur, quatenùs nequaquam vbiq; sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. Omnium, quæ vobiscum est,fraternitatem ego & qui mecum sunt,salutamus.Incolumis in Domino & orans pro nobis,doneris Ecclesiæ & nobis,religiosissime & sanctissime pater.

Epistola nona eiusdem Leonis Papæ ad Theodosium semper Augustum.

Leo vrbis Romæ Episcopus, Theodosio semper Augusto.

PRo integritate fidei catholicæ Christianissimũ Principem conuenit esse solicitum,& hoc indefessis precibus diuinam misericordiam posco, vt cordi vestro, id quod est veritatis, inspiret, neq; falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur.A me autem,atq; ab omnibus catholicis sacerdotibus,quæ Euangelicæ fidei pietas defendat,satis plenè ac lucidè literis meis,quas clemẽtiam vestram iamdudum per famulum vestrum Epiphanium tribunum, qui pro hac causa missus est,arbitror vos accepisse.Ratum est,nec ambigi potest,hoc nos purissimè credere,hoc constanter asserere,quod etiam venerandi patres, quondam apud Niceam congregati,secundùm fidem symboli credendum & confitendum sacratissima authoritate sanxerunt. Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma peruersum meritò anathematizauimus, ita iustè etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Iesu Christo susceptam esse, damnamus. Vnde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis Episcopale Concilium,citò (auxiliante Deo) poterũt omnia scandala,quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari, vt per vniuersum regnum vestrum catholicæ fidei integritate seruata, & pacem Christianam manere,& vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus. Data octauo Calendas Iunias,Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola decima eiusdem Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum,contra Eutychetis perfidiam & hæresim.

Capitum sequentis epistolæ tituli.

Quòd ignorãtia sanctarum scripturarũ Eutychen hæreticum fecerit. I.
Contra eos,qui in duos filios dispensationis dominicæ mysterium scindere moliuntur. II.
Contra eos,qui passibilẽ diuinitatẽ vnigenitifilij Dei audẽt adserere. III.
Contra eos, qui in duas naturas Christi temperamentum vel confusionem argumentantur. IIII.
Contra eos, qui cœlestem, aut alterius cuiusq; substantiæ existere formam serui, quam ex nobis adsumpsit,insaniendo adserunt. V.
Contra eos, qui duas quidem ante adunationem naturas Domini delirãt, vnam verò post adunationem confingunt. VI.

Leo Episcopus dilectissimo fratri Flauiano Constantinopolitano Episcopo.

Caput I.

LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset,agnouimus:& quę priùs videbantur occulta,nunc nobis reserata patuerũt. Quibus Eutyches,qui presbyterij nomine honorabilis videbatur, multùm * imprudens,& nimis imperitus ostenditur, vt etiam de ipso dictum sit à Propheta:Noluit intelligere, vt benè ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquius,quàm impia sapere,& sapientioribus doctioribusq; non credere? Sed in hanc insipientiã cadunt,qui quum ad cognoscendam veritatẽ aliquo impediũtur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas,nec ad euangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt.Sed ideò magistri erroris existũt, quia veritatis discipuli non fuere . Quã enim eruditionẽ de sacris noui & veteris testamenti paginis acquisiuit,qui nec ipsius quidem symboli initia compræhendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur,istius adhuc senis corde non capitur.

* *impudẽs*

Psal. 35.

24. quæ. 3. Quid autẽ inquius.

Caput II.

NEsciens igitur quid deberet de verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumẽ, in sanctarum scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem & indiscretam confessionem solicito apprehendisset auditu, qua fidelium vniuersitas profitetur, credere se in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto,ex Maria virgine.Quibus tribus sententijs omnium ferè hæreticorum machinæ destruuntur.Cùm enim Deus & omnipotens & æternus pater creditur,consempiternus eidem filius demonstratur,in nullo à patre differens,quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens,de æterno natus est coæternus,non posterior tempore , non inferior potestate, non dissimilis gloria, non diuisus essentia. Idem verò sempiterni genitoris vnigenitus sempiternus, natus est de spiritu sancto, ex Maria virgine . Quæ natiuitas temporalis illi natiuitati diuinæ & sempiternæ nihil minuit,nihil contulit,sed totam se reparando homini,qui erat deceptus,impendit,vt & mortem vinceret , & diabolum, qui mortis habebat imperium,sua virtute destrueret . Non enim superare nos possemus peccati & mortis authorẽ,nisi naturã nostram ille susciperet,& suam faceret,quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Cõceptus quippe est de spiritu sancto intrà vterum matris virginis, quæ ita illum salua virginitate edidit,quemadmodùm salua virginitate cõcepit.Sed si de hoc Christianæ fidei fonte purissimo syncerũ intellectũ haurire non poterat, quia splendorẽ perspicuę veritatis obcęcatiõe propria tenebrarat,doctrinę se euãgelicę subdidisset,dicẽte Mat.Liber generationis Iesu Christi,filij Dauid,filij Abrahã.

Heb. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*instrumentum Roma. 1. Apostolicæ quoque prædicationis expedisset *instructum, & legens in epistola ad Romanos: Paulus seruus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, ad propheticas paginas piam solicitudinem contulisset, & inuenisset promissionem Dei ad Abraham, dicentis: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est CHRISTVS. Esaiæ quoque prædicationem interiore apprehendisses auditu, dicentis: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Eiusdemque prophetæ fideliter verba legisset: Puer natus est nobis, filius natus est nobis, cuius potestas super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri seculi. Nec frustratoriè loquens, ita verbum diceret carnem factum, vt editus vtero virginis Christus, haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An fortè ideò putauit Dominum nostrum Iesum Christum, non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam angelus ait: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: vt quia conceptus virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis *fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim virgini spiritus sanctus dedit. veritas autem corporis sumpta de corpore est: & ædificante sibi sapientia domum, verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hoc est, in ea carne, quam sumpsit ex homine, & quam spiritus vitæ rationalis animauit.

Exod. 22. Gal. 3. *Esai. 7.* *Esai. 9.* *Luc. 1.* *Prou. 9.* *Ioan. 1.*

Caput III.

SAlua igitur proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coëunte personam, susceptа est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis naturę est vnita passibili, vt quòd nostris rę medijs congruebat, vnus atq; idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis, perfectaque natura, verus natus est Deus: totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuêre in saluatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subijt infirmitatum, ideò nostrorum fuit particeps delictorum. Adsumpsit formam serui sine sorde peccati, humana augens diuina non minuens: quia exinanitio illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, & creator ac Dominus omnium rerum vnus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miseratio, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma serui, factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraq; natura. Et sicut formam serui, Dei forma non adimit: ita formam Dei, serui forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus hominem, sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subijsse sententiam, seq; in malis suis quoddam depræuaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoque, iustitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriã mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione cõsilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispositionem, sacramento occultiore cõpleret, & homo, diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

Natura nostra à Christo assumpta non peccatum.

Caput

Caput IIII.



NGreditur ergo hæc mundi infima filius Dei, de cælesti sede descẽdens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incompræhensibilis, voluit compræhendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis Dominus seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate, suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est esse homo passibilis: & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit. Adsumpta est igitur de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Iesu Christo, ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo natura est dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Et nullum est in hac vnitate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim idemq; est, quod sæpè dicendum est, verè Dei filius, & verè hominis filius. Deus per id, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Homo per id, quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Deus per id, quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Homo per id, quòd factus est ex muliere, factus est sub lege. Natiuitas carnis, manifestatio est humanæ naturæ. Partus virginis, diuinæ est virtutis indicium. Infantia paruuli, ostenditur humilitate cunarum. Magnitudo altissimi, declaratur vocibus angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere. Sed Dominus est omnium, quẽ Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare. Iam cùm ad præcursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret quòd carnis velamine diuinitas tegeretur, vox patris de cælo intonans, dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit. Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere atque dormire, euidenter humanum est. Sed quinque panibus, quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam viuam, cuius haustus bibenti præstet, ne vltrà iam sitiat, supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tempestate cõsternere, sine ambiguitate diuinum est: Sicut ergo (vt multa præteream) non eiusdem naturæ est, flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanę aggere sepulturę, ad vocis imperiũ excitare rediuiuũ, aut in ligno pendere, & in nocte luce conuersa, omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixũ esse, & paradisi portam fidei latronis aperire: ita nõ eiusdẽ naturæ est, dicere, Ego & pater vnũ sumus: & dicere, pater maior me est. quãuis enim in Domino Iesu Christo, Dei & hominis vna persona sit, aliud tamen est, vnde in vtroq; cõmunis est contumelia, aliud, vnde communis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas.

Christus natus nouo ordine. *Noua natiuitate.* *Matt. 2.* *Matt. 3.* *Matt. 4.* *Ioan. 6.* *Ioan. 4.* *Matt. 14.* *Ioan. 11.* *Matt. 27.* *Luc. 23.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.* *Galat. 4.* *Ioan. 1.*

Caput V.



PRopter hanc vnitatem personæ, in vtraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, adsumpserit. Et rursus, filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in diuinitate ipsa, qua vnigenitus, consempiternus & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde vnigenitum filium Dei crucifixum

Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cifixum & sepultum omnes etiam in symbolo confitemur, secundùm illud Apo-
1.Cor.2. stoli dictũ: Si enim cognouissent,nunquam dominũ maiestatis crucifixissent. Cùm
aũt ipse Dominus noster atq; saluator fidem discipulorum suis interrogationibus
Matt.16. crudiret: Quem,inquit,dicũt homines esse filium hominis? Cũq; illi diuersas alio-
rum opiniones retexuissent,Vos autem,ait,quem me esse dicitis? Me vtiq;, qui sum
filius hominis,& quem in forma serui,atq; in veritate carnis adspicitis,quem me es-
se dicitis? Vbi B. Petrus diuinitùs inspiratus, & confessione sua omnibus gentibus
profuturus: Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Nec immeritò beatus est pro-
nunciatus à Domino, & à principali petra soliditatem & virtutis traxit & nomi-
nis, qui per reuelationem patris eundem & filium Dei est confessus, & Christum,
quia vnum horum sine alio receptum nõ proderat ad salutem: sed æqualis erat pe-
riculi, Dominum Iesum Christum aut Deum tantummodò sine homine, aut sine
Deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem verò Domini, quæ vtiq; veri
corporis fuit,quia non alter est resuscitatus,quàm qui fuerat crucifixus & mortuus,
Actor.1. quid aliud quadraginta dierum mora gestum est,quàm vt fidei nostræ integritas ab
Ioan.20. omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis,& cohabitans at-
que conuescens, & pertractari se diligenti curioso; contactu ab eis, quos dubietas
Ibidem. perstringebat,admittens,ideò & clausis ad discipulos ianuis introibat, & flatu suo
dabat spiritum sanctum, & donato intelligentiæ lumine, sanctarum scripturarum
Luc.24. occulta pandebat.Et rursus vulnus lateris,fixuras clauorum,& omnia recentissimę
passionis signa monstrabat,dicens: Videte manus meas & pedes,quia ego sum. Pal-
pate & videte,quia spiritus carnem & ossa non habet,sicut me videtis habere: vt ag-
nosceretur in eo proprietas diuinæ humanæq; naturæ indiuidua permanere, & ita
sciremus,verbum non hoc esse,quod carnem,& vt vnum Dei filium, & verbum cõ-
fiteremur & carnem.Quod fidei sacramento Eutyches iste nimiùm æstimandus est
vacuus,qui naturã nostram in vnigenito Dei nec per humilitatem mortalitatis, nec
per gloriam resurrectionis agnouit. Nec sententiam beati apostoli & euangelistæ
2.Ioan.4. Ioannis expauit, dicens: Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in car-
ne venisse,ex Deo est: & omnis spiritus, qui soluit IESVM, ex Deo non est, & hic est
Antichristus.Quid autem est soluere IESVM, nisi humanam ab eo separare naturã,
& sacramentum fidei,per quod vnum saluati sumus, impudentissimis euacuare fi-
gmentis? Caligans verò circa naturam corporis Christi, necesse est,vt etiam in pas-
sione eius eadem obcæcatione desipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam,
& susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat:cuius credit
mortem,agnoscat & carnem.Nec diffiteantur nostri corporis hominem, quem co-
gnouit fuisse passibilem: quoniam negatio veræ carnis,negatio est etiam corporeæ
passionis.Si ergo Christianam susceptit fidem,& à prædicatione euangelij suum non
Ioan.19. auertit auditum, videat, quæ natura transfixa clauis pependerit in crucis ligno, &
aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat, vnde sanguis & aqua efflue-
1.Pet.2. rint,vt Ecclesia Dei & lauacro rigaretur & poculo.Audiat & beatum Petrum apo-
Ibidem. stolum prædicantem,quòd sanctificatio spiritus per aspersionẽ fiat sanguinis Chri-
sti.Nec transitoriè legat eiusdem Apostoli verba,dicentis:Scientes, quòd non cor-
ruptibilibus argento & auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ
traditionis,sed precioso sanguine,quasi agni incõtaminati & immaculati Iesu Chri
1.Ioan.1. sti.Beati quoque Ioannis apostoli testimonio non resistat,dicentis:Et sanguis Iesu filij
1.Ioan.5. Dei emundat nos ab omni peccato. Et iterùm: Hæc est victoria, quæ vincit mun-
dum,fides nostra.Et quis est,qui vincit mundum,nisi qui credit,quoniam Iesus est
*spiritus filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua
solùm,sed in aqua & sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam * Christus
est veritas. Quia tres sunt, qui testimoniũ dant, spiritus, aqua & sanguis: & hi tres,
vnũ sunt.Spiritus vtiq; sanctificationis,& sanguis redẽptionis, & aqua baptismatis,
quę tria vnum sunt,& indiuidua manent,nihilq; eorũ à sui connexione seiungitur.

Quia

Quia catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit,vt in Christo Iesu,nec sine vera di-
uinitate humanitas,nec sine vera credatur humanitate diuinitas.

Caput VI.

QVum autem ad interloquutionem examinis vestri Eutyches respõderit,dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrũ ante adunationem, post adunationem verò vnam naturam confiteor: miror tam absurdam,tamq; peruersam eius professionem,nul la iudicantium increpatione reprehensam,& sermonem nimis insipientem nimisq; blasphemum,ita omissum, quasi nihil, quod offenderet,esset auditum,cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationẽ vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquàm verbum caro factum est, natura in eo singularis adscritur.Quod ne Eutyches ideò vel rectè vel tolerabiliter æstimet dictum,quia nulla vestra est sententia confutatum: dilectionis tuæ diligentiam commonemus,frater charissime,vt si per inspirationẽ misericordiæ Dei, ad satisfactionem causa perducitur,imprudentia hominis imperiti etiã ab hac sensus sui macula per te purgetur.Qui quidem (sicut gestorũ ordo patefecit) benè cœperat à sua persuasione discedere,quum,vestra sententia coarctatus, profiteretur se dicere, quod antè non dixerat,& ei fidei acquiescere, cuius priùs fuisset alienus. Sed quum anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum,intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia,dignũq; esse,qui iudiciũ condemnationis exciperet.De quo si fideliter atq; vtiliter dolet,& quàm rectè mota sit Episcopalis authoritas,vel serò cognoscit,vel si ad satisfactionis plenitudinẽ,omnia quæ ab eo ma lè sunt sensa,viua voce & præsenti subscriptione damnauerit, non erit reprehensibilis erga correctũ quantacũq; miseratio: quia Dominus noster verus & bonus pa- Ioan.10.
stor,qui animam suam posuit pro ouibus suis,& qui venit animas hominũ saluare, Luc.9.
non perdere,imitatores nos vult esse suæ pietatis,vt peccantes quidem iustitia coerceat,conuersos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissimè fides vera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem verò causam piè ac fideliter exequẽdam,fratres nostros Iulianum Episcopum & Renatum presbyterum tituli sancti Clemẽtis, sed & filium meum Hilarium diaconum vice nostra direximus.Quibus dulcitium notarium nostrum,cuius fides nobis est sępè probata,sociauimus,confidentes adfuturũ diuinitatis auxilium, vt is,qui errauerat, damnata sensus sui prauitate,saluetur. Deus te incolumẽ custodiat,frater charissime. Data Idibus Iunij,Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Impia Eutychetis vox.

Epistola vndecima Leonis Papæ ad Iulianum Episcopum Coensem, contra Eutychenæ impietatis errorem.

Leo vrbis Romæ Episcopus, dilectissimo fratri Iuliano Episcopo.

LIcet per nostros,quos ab vrbe pro fidei causa direximus,plenissimas ad Flauianũ fratrem literas miserimus cõtra nimiæ impietatis errorẽ,tamen quia per filium nostrũ Basiliũ diaconẽ scripta tuæ dilectionis accepimus,quæ multùm nobis catholici sensus feruore placuerũt, etiam hanc paginã, quæ illis epistolis cõsonaret,adiecimus, vt vnanimiter atq; constanter his,qui Euangeliũ CHRISTI corrũpere cupiunt,resistatis, quoniã sancti spiritus in nobis atq; in vobis vna est eruditio,eadẽq; doctrina:quã quicunq; nõ recipit,nõ est membrũ corporis Christi, nec potest eo capite gloriari,in quo naturã suam adserit nõ haberi.quid aũt prodest

impru-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Impius error Eutychetis.

imprudentissimo seni, Nestorianæ hæreseos nomine, eorum lacerare opinionem, quorum pijssimam conuellere non potest fidem, quum quantùm Nestorius à veritate discesserit, deitatem verbi ab adsumpti homini substantia separando, tantùm à recto tramite etiam iste desciscat, qui vnigenitum Dei filium sic de vtero beatæ virginis prædicat natum, vt humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas verbo vnita non fuerit? De quo prodigio falsitatis, quis non videat, quæ opinionum monstra nascantur? Negator enim mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, necesse est, vt multis impietatibus impleatur, eumq; aut Apollinaris sibi vendicet, aut Valentinus vsurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem. Qua vtique non recepta, non solùm quòd secundùm carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma serui, homo natus est, denegatur: sed etiam, quòd crucifixus est, & mortuus ac sepultus, quodq; die tertia à mortuis resurrexit, & quòd ad dexteram Dei patris sedens, ad iudicandos viuos & mortuos, in eo corpore sit vēturus, in quo est iudicatus ad mortem, abnuitur: quia hæc redemptionis nostræ sacramenta vacuantur, si Christus veram veri hominis, totamq; naturam suscepisse non creditur. An quia manifesta erant signa diuina, falsa dicentur documenta corporea? & testimonia vtriusque naturæ valebunt, vt creator intelligatur: non valebunt, vt creatura saluetur? Quod deitatis est caro non minuit: quod carnis est, deitas non peremit. Idem enim & sempiternus ex patre, & temporalis ex matre: in sua virtute inuiolabilis, in nostra infirmitate passibilis: in deitate Trinitatis cum patre & cum spiritu sancto, vnius eiusdemq; naturæ: in susceptione autem hominis, non vnius substantiæ, sed vnius eiusdemq; personæ, vt idem esset dines in paupertate, omnipotens in abiectione, impassibilis in supplicio, in morte immortalis: nec enim verbum aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conuersum est, quum simplex & incommutabilis natura deitatis, tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiés, nec augmentum, & sic adsumptam naturam beatificans, vt glorificata, in glorificante permaneat. Cur autem inconueniens, aut impossibile videatur, vt verbum & caro atq; anima vnus Iesus Christus & vnus Dei hominisq; sit filius, si caro & anima, quæ dissimilium naturarum sunt, vnam faciunt etiam sine verbi incarnatione personam, quum multò facilius sit, vt hanc vnitatem sui atque hominis deitatis præstet potestas, quàm vt eam in substantijs suis obtineat solius humanitatis infirmitas? Nec verbum igitur in carnem, nec in verbum caro mutata est: sed vtrunq; in vno manet, & vnus in vtroq; est, non diuersitate diuisus, non permixtione confusus, nec alter ex patre, alter ex matre: sed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre

1. Tim. 2. in fine seculorum, vt esset mediator Dei & hominum, homo Iesus CHRISTVS, in quo inhabitaret plenitudo diuinitatis corporaliter: quia adsumpti, non adsumentis prouectio est, quòd Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super

Coloss. 2. *Philip. 2.* omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam DOMINVS Iesus CHRISTVS in gloria est Dei patris. In eo verò quod Eutyches in Episcopali iudicio ausus est dicere, ante incarnationem duas in Christo fuisse naturas, post incarnationem autem vnā: necessarium fuerat, vt ad reddendam rationem professionis suæ, crebris atque solicitis iudicum interrogationibus vrgeretur, ne tanquam inane aliquid præterfluueret, quod non nisi de haustu venenatorum dogmatum apparebat effusum. Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quòd anima, quam saluator adsumpsit, priùs in cælis sit commorata, quàm de Maria virgine nasceretur, eamq; sibi verbum in vtero copularet. Sed hoc catholicæ mentes, auresq; non tolerant, quia nihil secum Dominus de cælo veniens nostræ conditionis exhibuit: nec animam enim, quæ anterior extitisset, nec carnem, quæ non marterni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic adsumpta est, vt priùs creata, pòst adsumeretur, sed vt ipsa adsumptione crearetur. Vnde quod in Origene meritò damnatum est, qui animarum,

rum, antequam corporibus insererentur, non solum vitas, sed & diuersas fuisse adseruit actiones: necesse est, vt etiā in isto, nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur. Natiuitas enim Domini secundum carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat, siue quòd solus ex sancto spiritu ab inuiolata virgine sine concupiscentia carnis est conceptus & natus, siue quod ita visceribus matris est editus, vt & fœcunditas pareret, & virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat eius caro, quàm nostra: nec alio illi, quàm cæteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat aduersum, nec discordiam desideriorum gignebat compugnantia voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs. Verus homo, vero vnitus est Deo: nec secundùm existentem prius animam deductus è cœlo, nec secundum carnem creatus est ex nihilo eandem gerens in * Deo verbi Dei personam, & tenens communem nobiscum in corpore, animaque naturam. Non enim esset Dei hominumq; mediator, nisi idem Deus, idemque homo in vtroque & vnus esset & verus. Incitat quidem nos ad latitudinem differendi materiæ magnitudo: sed apud eruditionem tuam non est copia laborandum, præsertim cum iam per nostros ad fratrem Flauianum sufficientes literas miserimus, ad confirmandos animos non solùm sacerdotum, sed etiam laicorum. Præstabit, vt credimus, misericordia Dei, vt absque cuiusquam animæ detrimento possint aduersum diaboli dolos, & sana defendi, & vulnerata curari. Data Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Origenis error de animabus.

Verbi deitate personam.

1. Tim. 2.

Epistola duodecima eiusdem Leonis Papæ ad Theodosium Augustum de legatis, quos vice sua destinauit ad synodum Ephesinam, pro erroribus Eutychetis collectam.

Cæsari Theodosio religiosissimo & pijssimo Augusto, Leo Papa Ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ.

QVantum rebus humanis consulere prouidentia diuina dignetur, solicitudo clementiæ vestræ, spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diuersum: quoniam fides, quæ non nisi vna est, in nullo potest esse sui dissimilis. Vnde licet Eutyches, (quantum gestorum Episcopalium ordo patefecit) imperitè atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à sua merito reprobabili persuasione discedere: quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissimè catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit synodale Concilium, vt imperito seni, ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat, fratres meos Iulianum Episcopum, & Renatum presbyterum, & filium meum Hilarium diaconum misi, qui ad vicem præsentiæ meæ pro negocij qualitate sufficerent, & qui eum secum deferent iustitiæ & benignitatis affectum, vt quia dubitari non potest, quæ sit Christianæ confessionis integritas, & totius erroris prauitas damnaretur, & resipiscens, qui deuiauerat, si pro venia supplicaret, sacerdotalis ei beneuolentia subueniret, quum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reseruauerit, vt correcturum se esse promitteret, quicquid nostra sententia de his, quæ malè senserat, improbasset. Quid autem catholica Ecclesia vniuersaliter de sacramento dominicæ incarnationis credat & doceat, ad fratrem & coëpiscopum nostrum Flauianum plenius continent scripta, quæ misi. Data Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Eutyches se submittit sententiæ Romæ Pontificis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epistola decimatertia eiusdem Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam, de his vnde supra ad Theodosium Augustum.

Leo catholicæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus, pijssimæ Pulcheriæ Augustæ.

QVantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in vestra clementia præpararit, multis sæpè probauimus documentis. Et quicquid nostris temporibus, contra impugnatores catholicæ veritatis, industria sacerdotalis obtinuit, ad vestram maximè gloriam redundauit, dum, sicut spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subijcitis cuius munere & protectione regnatis. Vnde quia contra integritatem fidei Christianæ dissensionem quandam in Constantinopolitana Ecclesia Eutyche authore generatam, fratris & coëpiscopi mei Flauiani relatione cognoui, ita vt totius causæ speciem synodalium gestorum textus ostenderit, dignum gloria vestra est, vt error, qui (vt arbitror) de imperitia magis, quam de versutia natus est, auferatur, priusquam vllas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia prauitatis acquirat: quia etiam ignorantia graues nonnunquam incidit lapsus, & plerunque in diaboli ruit foueas incauta simplicitas, per quiam in supradicto subrepsisse intelligo spiritum falsitatis, vt dum æstimat se religiosiùs de filij Dei maiestate sentire, si ei naturæ nostræ veritatem inesse non dicat, totum illud, quod verbum caro factum est, vnius atque eiusdem putet esse substantiæ. Et quantum Nestorius à veritate excidit, dum Christum de matre solum hominem adserit natum, tantùm etiam hic à catholico tramite deuiat, qui de eadem virgine non nostrum credit editam esse substantiam, vbens vtique eam solius deitatis intelligi, vt quod formam serui gesit, & quod nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ naturæ fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodest, Dominum nostrum beatæ Mariæ virginis filium, verum perfectumque hominem dicere, si non illius generis homo creditur, cuius in Euangelio prædicatur. Dicit e- *Matt.1.*
nim Matthæus: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, & ita *Luca.3.*
humanæ originis ordinem sequitur, vt generationum lineas vsque ad Ioseph, cui mater Domini erat desponsata, deducat. Lucas vero retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem redit, vt Adam primum, & Adam nouissimum eiusdem ostendat esse naturæ. Potuerat quippe omnipotentia filij Dei *Gen. 32.*
sic ad docendos, iustificandosque homines apparere, quomodo & patriarchis & *Gen.18.*
prophetis in specie carnis apparuit, quum aut luctantem inijt, aut sermonem conseruit, quumue officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines huius hominis erant indices, cuius veritatem ex præcedentium patrum stirpe sumendam, significationes mysticæ nunciabant. Et ideo sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullæ implebant figuræ, quia nondum superuenerat spiritus sanctus in virginem, nec virtus altissi- *Prouer. 9.*
mi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viscera, ædificante sibi sapientia domum *Ioan. 1.*
verbum caro fieret, & forma Dei ac forma serui in vnam conueniente personam, creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse interomnia gigneretur, Nisi enim nouus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem: & consubstantialis patri, consubstantialis esse dignaretur & matri, naturamque sibi nostram, solus à peccato liber, vniret: sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas, nec aliter vti possemus triumphantis victoria, si extra nostram esset confecta naturam. De hac autem participatione

tione mirabili sacramentum nobis regenerationis indulsit, vt per ipsum spiritum, per quem Christus & conceptus est & natus, etiam nos, qui per concupiscentiam carnis sumus geniti, spirituali iterum origine nasceremur. Propter quod ab Euangelista de credentibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis *Ioan. 1.*
neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Cuius ineffabilis gratiæ particeps non est, nec potest filiorum Dei adoptionem cõsequi, quisquis à fide sua hoc, quod nos principaliter saluat, excludit. Vnde multum doleo, multumque contristor, quod hic, qui anteà de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contra vnicam *24. quæst. 2. Damnationis sententiam.*
spem nostram, patrumque nostrorum, vana nimis & stolida audet adstruere. Qui eum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commouere, vt damnationis sententiam mereretur accipere, quam vtique, si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apostolicæ moderatio hanc temperantiam seruat, vt & seueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia est de pietatis tuæ synceriſsima fide, obsecro gloriam clementiæ tuę, vt sicut sancto studio tuo catholica prædicatio semper adiuta est, ita nunc quoque eius faueat libertati: quam fortè ideo permisit Dominus hac tentatione pulsari, vt quales intra Ecclesiam laterent, possint agnosci. Quorum planè non est negligenda curatio, ne ipsorum nos contristet amissio. Augustissimus vero & Christianissimus Imperator cupiens quam celerrimè turbata componi, Episcopali Concilio, quod Ephesi vult habere, nimiùm breue & angustum tempus indixit, diem Calendarum Augustarum præstituendo conuentui, quum à tertio die Iduum Maiarum, quo serenitatis eius scripta susceperimus, maior pars reliqui sit temporis absumenda, vt profectio sacerdotum, qui negocio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud, quod pietas eius etiam me credidit debere interesse Concilio; etiam si secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam possit impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tantæ vrbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ Ecclesiasticæ viderer patriam & Apostolicam sedem velle deserere. Quia igitur ad publicam vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clementiæ vestræ venia, charitati me & precibus ciuium non negarem, in his fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris, qui adsuerint, æstimate: quibus secundum causam, satis mihi & gestorum serie, & ipsius, de quo agitur, professione patefactam, euidenter & plenè quid seruandum esset, ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostræ, quæ minùs lucidè declarata sit, quæritur: sed hoc est stolidissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus vtriusque voluit ignorare. Siquidem ipsius catholici symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententijs, tam instructa sit munitione cælesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cuius symboli plenitudinem si Eutyches puro & simplici voluisset corde concipere, in nullo à decretis sacratissimi Niceni Concilij deuiaret, & hoc à sanctis patribus intelligeret constitutum, vt contra Apostolicam fidem, quæ non nisi vna est, nullum se ingenium, nullum eleuaret eloquium. Et ideo pro vestræ pietatis consuetudine elaborare dignemini, vt quod contra singulare sacramentum salutis humanæ, blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac si ipse, qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita vt per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem, communio ei sui ordinis non negetur. Quod etiam sancto Flauiano Episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat, vt charitas non negligatur, si error aboletur. Datum Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus. *Symbolum Apostolorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epistola decimaquarta ad Faustum, & Martianum, & reliquos Archimandritas Constantinopolitanos.

Dilectissimis filiis Fausto, Martiano & reliquis Archimandritis Leo Episcopus.

QVum propter causam fidei, quã Eutyches perturbare tẽtauit, de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis adsisterent, congruum credidi, vt etiam ad vestram dilectionẽ scripta dirigerem, quos certũ habeo ita studere pietati, vt blasphemas & impias voces nullatenùs æquanimiter audire positis, manente in cordibus vestris Apostolica institutione, *Gal. 1.* qua dicitur: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. Sensum autem prædicti Eutychetis, qui, sicut gestorum lectione cognouimus, meritò reprobatus est, etiam nos detestandum esse decernimus: ita vt si adserere insipiens in sua prauitate voluerit permanere, habeat cum his consortium, quorum est secutus errorem. Meritò enim fiet extra Christi Ecclesiam, qui in Christo humanam, id est, nostram, negat esse naturam. Sed si idem spiritu Dei miserante correctus, impietatem sui erroris agnouerit, & quæ catholici execrantur, plena satisfactione damnauerit, volumus ei misericordiam non negari, vt Ecclesia Domini nullum sentiat damnum, cùm & resipiscens possit recipi, & solus debeat error excludi. De sacramento autem pietatis magnæ, in qua nobis per incarnationem verbi Dei iustificatio est & redemptio, quæ sit nostra ex patrum traditione sententia, nunc sufficienter (quantùm arbitror) explicatum est, vt per insinuationem præsulis vestri, quid secundùm Euangelium Domini Iesu Christi in omnium fidelium cordibus fixum esse cupiamus, noscatis. Datum Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.]

Est in Tom. Consil. Epistol. 14.

Epistola decimaquinta eiusdem ad Ephesinam synodum secundam, in qua prouocat congregatos Episcopos, Eutychetis blasphemias condemnare.

Leo Episcopus sanctæ synodo, quæ apud Ephesum conuenit.

REligiosa clementissimi principis fides, sciẽs ad suam gloriam maximè pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerẽtiam diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum authoritatem Apostolicæ sedis adhiberet, tãquàm ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quod in eius cõfessione laudatũ sit, quando dicente Domino, Quem me esse dicunt homines filium *Matt. 16.* hominis, varias quidem diuersorũ opiniones discipuli memorarunt: sed cùm ab eis, qui ipsi crederent, quæreretur, princeps apostolorum plenitudinẽ fidei breui sermone complexus, Tu es, inquit, Christus filius Dei viui, hoc est, Tu qui es verè filius hominis, idem verè es filius Dei viui. Tu, inquã, verus in deitate, verus in carne, & salua geminæ proprietate naturæ vtrinq; vnus. Quod si Eutyches intelligenter ac viuaciter crederet, nequaquàm ab huius fidei tramite deuiaret. *Ibidem.* Propter quã ei respõdetur à Domino: Beatus es Simõ Bar Iona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cęlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non prævalebunt adversus eam. Nimis autem à compage huius ædificationis alienus est, qui & beati Petri confessionem non capit, & Christi Euangelio contradicit, ostendens se nullum vnquàm studium cognoscendæ veritatis habuisse, & superfluò honorabilem visum, qui nulla maturitate cordis ornauit canitiem senectutis. Verùm quia etiam talium non est negligenda curatio, & piè ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis possit error aboleri, fratres nostros Iulianum Episcopum, Renatum presbyterum, & filium meum Hilarium diaconum, eumque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei, misi, qui vice mea sancto conuentui vestræ fraternitatis interfint, & cõmuni vobiscùm sententia, quæ Domino sint placitura, constituant. Hoc est, vt primitiùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter errauit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plenè aperteque propria voce & subscriptione damnauerit, quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens, per omnia nostra sequuturum se esse sentẽtiam. Acceptis autem fratris & coepiscopi nostri Flauiani literis, pleniùs ad eum de his, quæ ad nos videtur retulisse, rescripsimus, vt abolito hoc, quo inquinatus videbatur, errore, in laudem & gloriã Dei per totum mundum vna sit fides, & vna eademq; confessio, & in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & inferno rum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Data Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus. *Phil. 2.*

Epistola decimasexta eiusdem ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum.

In Tom. Concil. est XV.

Flauiano charissimo fratri, Leo Episcopus Romæ.

LIteras tuæ dilectionis accepi cum gestis, quæ apud vos super fidei quæstione cõfecta sunt. Et quia clementissimus Imperator pro Ecclesiæ pace solicitus synodum voluit congregari, quãuis euidẽter appareat, rem, de qua agitur, nequaquàm synodali indigere tractatu: tamen, frater charissime, subsequutos esse significo, quos in hac re placuit destinare. Nec necessarium fuit, nunc ampliùs scribi, quum, propicio Deo, de his quę causę credidimus conuenire, per ea, quę ipsi portabunt scripta, fis plenius instruendus. Data decimoquinto Calendas Iulij, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola decimaseptima eiusdem, ad Theodosium Augustum.

In Tom. Concil. est XVI.

Leo Episcopus Theodosio semper Augusto.

ACceptis clementiæ vestræ literis, & multùm vniuersali Ecclesię gaudendum esse prospexi, quód Christianam fidem, qua diuinitas honoratur & colitur, in nullo dissimilem, in nullo vult esse discordem. Quid enim rebus humanis ad exorandam misericordiam Dei efficaciùs suffragetur, quàm si vna gratiarum actio, & vnius confessionis sacrificium maiestati eius ab omnibus offeratur? In quo & sacerdotum & cunctorum fidelium ita demum erit plena deuotio, si in his, quæ per vnicum Dei filium Deum verbum pro nostra redemptione sunt gesta, nihil aliud sentiatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiatur,quàm quod ipſe prædicari de ſe iuſsit & credi. Vnde quanuis ad diem Concilij Epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me ratio nulla permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præceſſerint, & temporalis neceſsitas me non patiatur deſerere ciuitatem, præſertim quum tam euidens fidei cauſa ſit, vt rationabilibus cauſis ab indicenda ſynodo fuiſſet abſtinendum: tamen in quantùm Dominus iuuare dignatur, meum ſtudium commodaui, vt clementiæ veſtræ ſtatutis aliquatenùs pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant, quiq; præſentiæ meæ impleant vicem, quia non talis quæſtio orta eſt, vnde aut poſsit, aut debeat dubitari. Data duodecimo Calendas Iulij, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

In Tom. Concil. eſt XVII.

Epiſtola decimaoctaua eiuſdem, ad Pulcheriam Auguſtam.

Leo Epiſcopus Pulcheriæ Auguſtæ.

Hæc eadem ferè habentur, ſed fuſiùs, ſuprà Epiſt. 13.

QVantùm ſibi fiduciæ de fide veſtrę clemẽtię Eccleſia Dei debeat polliceri, multis probauimus ſępè documentis, dum, ſicut ſpiritu ſancto docente didiciſtis, illi per omnia poteſtatẽ veſtram ſubijcitis, cuius munere & protectione regnatis. Vnde quia contra integritatem fidei Chriſtianæ, diſſenſionem quandam in Conſtantinopolitana Eccleſia, Eutyche authore generatam, fratris & coepiſcopi mei Flauiani relatione cognoui, ita vt totius cauſæ ſpeciem ſynodalium geſtorum textus oſtenderit, dignum gloriæ veſtræ eſt, vt error qui de imperitia magis, quàm de verſutia natus eſt, auferatur, priuſquàm vllas vires de cõſenſu imprudentium pertinacia prauitatis acquirat. Nam quantùm Neſtorius à veritate excidit, dum Dominum Ieſum CHRISTVM de matre virgine hominem ſolùm adſerit natum: tãtùm etiam hic à catholico tramite deuiauit, qui de eadem virgine editum, non noſtræ credidit eſſe naturæ, vt quòd formam ſerui geſsit, quòd noſtri ſimilis fuit atque conformis, quædam noſtræ carnis fuerit imago, non veritas: Nihil autẽ prodeſt Dominum noſtrum, beatæ Mariæ virginis filium, hominem dicere, ſi non illius generis atque ſeminis homo creditur, cuius in ipſo Euangelij exordio prædicatur. Vnde multùm doleo, multumque contriſtor, quòd hic, qui anteà de humilitatis propoſito laudabilis videbatur, contra vnicam ſpem veſtram, patrumque noſtrorum, vana & nimis peruerſa audeat adſtruere. Qui quum videret inſipientiæ ſuæ ſenſum catholicis auribus diſplicere, reuocare ſe à ſua opinione debuerat, ne ita Eccleſiæ præſules commoueret, vt ſententiam damnationis exciperet. Quam vtique ſi in ſuo ſenſu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſeruat, vt & ſeueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis. Quia ergo mihi multa fiducia eſt de pietatis veſtræ ſynceriſsima fide, obſecro glorioſiſsimam clementiam veſtram, vt ſicuti ſancto ſtudio tuo catholica prædicatio ſemper adiuta eſt, ita nunc quoque eiuſdem faueas libertati. Non enim portiuncula aliqua fidei noſtræ, quæ minùs lucidè ſit clara, pulſatur, ſed hoc imperita reſultatio audet inceſſere, quod Dominus in Eccleſia ſua neminem voluit ignorare. Et ideò pro veſtræ pietatis conſuetudine elaborare dignemini, vt contra ſingulare ſacramentum ſalutis humanæ, quod blaſphema inſipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac ſi ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ità vt, quod malè ſenſerat, propria voce & ſubſcriptione condemnet, communio illiſui ordinis reformetur. Quod etiam fratri & coepiſcopo meo Flauiano me clementia veſtra ſcripſiſſe cognoſcat, & his, quos miſimus, delegaſſe, vt venia concedatur, ſi error aboletur. Ne autem pijſsimi principis diſpoſitioni, qua Epiſcopale Concilium

Concilium voluit congregari, noſtra videretur præſentia defuiſſe, fratres meos Iulianum Epiſcopum, Renatum presbyterum, & filium meum Hilarium diaconum miſi, qui vicẽ præſentiæ meæ implere ſufficerent. Sed ei, qui in errore eſt, meliùs conſuletur, ſi vbi deſipuit, ibidem reſipiſcat, & vbi damnationem meruit, illic indulgentiam conſequatur. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

Epiſtola decimanona eiuſdem ad Iulianum Epiſcopum. *In Tom. Concil. eſt xviij.*

Leo Epiſcopus Iuliano Epiſcopo, chariſsimo fratri.

LIteræ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper ſunt redditæ, quàm ſpirituali catholicæ fidei vigeas amore, demonſtrãt, & multùm gaudere me faciunt, quòd in eadem ſententia pia corda concurrunt, vt ſecundùm doctrinam ſpiritus ſancti impleatur in nobis, quod Apoſtolus ait: Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eodem ſenſu, & in eadem ſententia: cuius vnitatis nimiùm ſe Eutyches facit extraneum, qui in ſua peruerſitate veteraſcit, nec adhuc, quibus vinculis à Domino ſit obligatus, intelligit. Et quanquàm ſacerdotem Domini reperiendum putat, qui eius imperitiæ amentiæq; conſentiat, diù apud nos incertum fuit, quid in ipſo catholicis diſpliceret: & cum fratris noſtri Flauiani nullas literas ſumeremus, ipſe autẽ ſcriptis ſuis Neſtorianam hæreſim repullulare quereretur, non plenè potuimus diſcere, vnde procederet, vel quò tenderet tam doloſa cauſatio. Sed poſteaquàm geſtorum ad nos epiſcopalium documenta perlata ſunt, omnia illa, quæ fallacium querelarum velamine tegebantur, quàm eſſent deteſtãda, patuerunt. Et quia clemẽtiſsimus Imperator, pro beneuolentia ac pietate animi ſui, de ſtatu huius, qui antè honorabilis videbatur, diligentiùs voluit iudicari, atque ob hoc indicendum credidit Epiſcopale Concilium: per fratres noſtros Iulianum Epiſcopum, & Renatum presbyterum, ſed & filium meum diaconum Hilariũ, & quos ex latere meo vice mea miſi, ad fratrem noſtrum Flauianum ſufficientia pro qualitate cauſæ ſcripta direxi, quibus & veſtra dilectio, & Eccleſia vniuerſa cognoſcat, de antiqua & ſingulari fide, quam indoctus impugnator inceſsit, quid diuinitùs traditum teneamus, & quid incommutabiliter prædicemus. Quia tamen non debemus partes miſerationis omittere, congrua moderatione credidimus ſanciendum, vt ſi condemnatus presbyter plena ſatisfactione corrigitur, ſententia, qua obſtrictus eſt, relaxetur. Si verò in eodem inſipientiæ ſuæ luto iacere delegerit, ſtatuta permaneãt, & cum eis habeat ſortem, quorum eſt ſecutus errorem. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus. *1. Cor. 1.* *Eutychetis verſutia.*

Epiſtola vigeſima eiuſdem ad Flauianum Epiſcopum. *In Tom. Concil. eſt xix.*

Flauiano dilectiſsimo fratri, Leo Epiſcopus.

PRofectis iam noſtris, quos ad vos in fidei cauſa direximus, per filium noſtrũ Baſilium diaconũ ſcripta tuæ dilectionis accepimus, quibus meritò parùm de negocio cõmunis ſolicitudinis indidiſti, quoniã & geſta antè delata, de omnibus nos ſufficienter inſtruxerant, & ad familiarem interrogationem idoneus erat ſermo prædicti, per quem nũc alloquia reddẽtes, dilectionem tuam per Dei gratiã, in qua fidimus, cohortamur, vtentes verbis Apoſtolicis, atque dicentes:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philip.1. In nullo terreamini ab aduersarijs,quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis. Quid enim tam exitiabile,quam negata veritate incarnationis Christi, omnem spem salutis humanæ velle dissoluere,& Apostolo contraire dicenti manifestè: Ma-
1.Tim.3. gnum est pietatis sacramentum,quod manifestatum est in carne? Quid tam gloriosum,quàm contra inimicos natiuitatis & crucis Christi pro fide euangelica dimicare? De cuius purissimo lumine, inuictaq; virtute, datis iam ad tuam dilectionem literis,quid in nostro esset corde,patefecimus,ne de illis,quæ secundùm doctrinam catholicam didicimus & docemus,aliquid inter nos videri possit ambiguum. Quia verò tam valida,& tam clara sunt testimonia veritatis,vt nimis cæcus,nimisq; obduratus habendus sit,qui ad coruscationem lucis atq; rationis non confestim se à tenebris falsitatis excusserit,ad curandam imperitorum insaniam,etiam patientiæ volumus adhibere medicinam,vt paternas increpationes hi,qui in senectute carnis suę mente sunt paruuli,discant obedire maioribus. Ac si depositæ imperitiæ suæ vanitate resipiscunt,omniq; errore damnato fidem veram singularemq; suscipiunt, misericordia eisdem episcopalis benuolentiæ non negetur,mãsuro iudicio, quod præcessit,si impietas meritò condemnata,in sua prauitate perstiterit, Data decimo Calendas Augusti,Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est xx.

Epistola vigesimaprima eiusdem ad eundem Flauianum Constantinopolitanum Episcopum.

Leo Episcopus Flauiano Episcopo.

AVget solicitudinem nostrã taciturnitas tua,qui iamdiù nulla dilectionis tuæ scripta susceperimus,cùm nos curarum tuarum participes,pro fidei defensione soliciti, frequenter per occasiones idoneas ad dilectionem tuam literas miserimus, vt adhortationum nostrarum consolationibus te iuuaremus, vt aduersariorum stimulis pro fidei defensione non cederes, cum laboris tui participes nos probares. Olim ad fraternitatem tuam nostros credimus peruenisse, per quos plenius scriptis, mandatisq; nostris instructum te esse retines, & Basilium ad te (vt volueras) ipsi remisimus. Nunc,ne aliqua prætermissum occasione te crederes, per filium nostrum honorabilem & amabilem nobis virum Esitium,hanc paginam dedimus,vt tota celeritate ad scripta nostra respondeas,nosq; subinde de tuis actibus, nostrorumq;,& de totius causæ absolutione facias certiores,vt solicitudinẽ, quam nunc pro fidei defensione gerimus,prosperioribus nuncijs molliamus. Data tertio Idus Augusti,Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola vigesimasecunda eiusdem ad Gonstantinopolitanos.

In Tom. Concil. est xxj.

Leo Episcopus,& sancta synodus,quæ in vrbe conuenit,clero,honoratis,& plebi consistenti apud Constantinopolim, dilectissimis filijs in Domino salutem.

IN

Vt prophanatur, iudicatur in hac epistola Concilij Ephesini sectidi acta, & impenditur consolatio Constantinopolitanis pro destitutione pontificis sui Flauiani.

IN notitiam nostram, quæ Ephesi contra opinionem omnũ sunt acta,perlatis,magno animum nostrum fatemur mœrore confusum, nec tantum licuisse iniquitati facilè potuisse-
mus credere,nisi filius noster Hilarius diaconus,qui à nobis vice nostra cum alijs, vt interesset synodo, missus fuerat, fugiens reuertisset,declinans,ne iniustę particeps esset sententiæ. Quippe quum vox illic à nostris contradictionis emissa sit,quam Alexandrinus antistes (qui totum solus ibi potentiæ suæ vendicauit) audire contempsit,in cõfortium suæ voluntatis inuitos protrahens sacerdotes, vt per vim coacti subscriberent, qui nullam damnationis causam idoneam reperissent. Sed hos ausus pio & Christianissimo principi confidimus minimè placituros. At nunc quia ecclesiam vestram hac ratione cognouimus dissipatam,consolandos adhortandosq; vos esse credidimus nostris epistolis,vt pro catholicæ fidei defensione perfidorum nequitiæ resistatis. Nolumus enim dilectionẽ vestram hoc mœrore percelli,cùm maior gloria vestram sit subsequutura cõstantiam, si à probabili sacerdote vestro nullæ vos minæ, nulla formido diuulserit. Quisquis enim incolumi atq; superstite Flauiano episcopo vestro sacerdotium eius fuerit ausus inuadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari. Nos enim sicut Nestorium in sua peruersitate anathematizauimus, ita eos,qui veritatem carnis nostræ in Domino Iesu Christo denegant, pari execratione damnamus. State igitur in spiritu catholicæ veritatis,& Apostolicam cohortationem ministerio nostri oris accipite, quia vobis donatum est pro Christo, non *Philip.1.* solùm,vt in eum credatis,sed etiam vt pro illo patiamini. Nolite arbitrari, dilectissimi,quòd sanctæ ecclesiæ suæ desit,aut defutura sit diuina protectio. Splẽdescit enim fidei puritas,cùm ab ea sordes separantur errorum. Vnde iterum iterumq; vos ante conspectum Domini obtestamur pariter & monemus,vt à fide,in qua fundati estis, & in qua Christianissimum principem nouimus permanere, non insidijs, non cuiusquam persuasionibus moueamini, sed in persona episcopi vestri illum in cordis oculis habeatis,pro quo idem omnia pati,quæ fuerunt illata, non metuit, cuius per omnia imitatores vos esse cupimus, vt commune cum ipso præmium fidei habere possitis. Data Idib. Oct. Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est xxij.

Epistola vigesimatertia eiusdem ad clerum & plebem Constantinopolitanæ vrbis.

Leo Episcopus, & sancta synodus, quæ in vrbæ Roma conuenit,clero,honoratis,& plebi consistenti Constantinopoli.

LIcet de his,quæ in Concilio sacerdotum apud Ephesum gesta memorantur, multus nos mœror afficiat, eò quòd sicut consonans fama dispersit,& ipso rerum monstratur effectu, nec iustitię illic moderatio,nec fidei est seruata religio: de vestræ tamen deuotionis pietate gaudemus,& in sanctæ plebis acclamationibus,quarũ ad nos exempla delata sunt, omniũ vestrorũ probamus affectum,quia & viuit ac permanet apud bonos filios,optimi patris iusta dilectio,& catholicæ doctrinæ eruditionẽ in nulla patimini parte corrumpi. Nõ dubiè enim, sicut vobis spiritus sanctus reserauit, Manichæorũ cõfœderãtur errori,qui ab vnigenito Dei filio verũ & nostræ naturę hominẽ negant esse susceptũ,omnesq; eius corporeas actiones simulatorij volunt fuisse phantasmatis. Cui impietati ne in aliquo præberetis assensum, iam per filium meum Epiphanium, & Dionysium Romanæ Ecclesiæ notarios, cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem,

quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam expetistis.vltrò præbuimus,vt nos paternam vobis curam non dubitetis impendere,ac modis omnibus laborare,vt auxiliante misericordia Dei, omnia quæ ab imperitis,& ab insipientibus excitata sunt scandala destruantur.Nec quisquam sibi audeat de sacerdotali honore blandiri,qui potuerit in execrandi sensus impietate conuinci. Nam si vix in laicis tolerabilis videtur insciti*a*,quanto magis in eis, qui præsunt,nec excusatione est digna, nec venia, maximè cum etiam defendere peruersarum opinionum commenta præsumunt,& in consensum suum aut terrore aut gratia inlanabiles quosque traducunt? Spernantur huiusmodi à sanctis mẽbris corporis Christi, neque sibi catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi. Extra enim donum diuinæ gratiæ, & extra sacramentum habendi sunt salutis humanæ,qui negantes naturam nostræ carnis in Christo,& euangelio contradicunt,& symbolo reluctantur. Nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcæcatione deduci,vt nec in passionis dominicæ,nec in resurrectionis veritate consistãt: quia vtrunque in saluatore vacuatur,si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus isti ignorantiæ tenebris,in quo hactenùs desidiæ torpore iacuêre,vt nec auditu discerent,vel lectione cognoscerent,quod in ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est,vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impartitur,hoc sumitur, vt accipientes virrutem cælestis cibi, in carnem ipsius,qui caro nostra factus est,transeamus. Vnde &ad confirmationem charitatis vestræ,quæ laudabili fide inimicis veritatis obnititur, aptè atque opportunè,sermone affectuque Apostolico vtar, & dicam: Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo IESV, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis,memoriam vestri faciens in orationibus meis,vt Deus Domini nostri Iesu CHRISTI, pater gloriæ,det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis,in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri,vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nobis, qui credidimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in CHRISTO, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum,& potestatem,& virtutem, & dominationem, & omne nomen,quod nominatur,non solùm in hoc seculo,sed etiam in futuro,& omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius,plenitudo eius,qui omnia in omnibus adimpletur.Dicant hi aduersarij veritatis, quando omnipotẽs pater,vel secundum quam naturam, filium suum super vniuersa prouexerit,vel cui substantiæ cuncta subiecerit.Deitas enim verbi, par in omnib.& consubstantialis est patri,& sempiternè atq; intẽporaliter vna eademq; potentia est genitoris & geniti. Creator quippe omnium naturarũ,quoniã per ipsum omnia facta sunt,& sine ipso factum est nihil, superior est omnibus,quæ creauit,nec vnquam creatori suo nõ fuerũt subiecta, quę cõdidit,cui propriũ & sempiternũ est, nec aliunde quã de patre,nec aliud esse quã pater est.Huic si addita est potestas,si illustrata dignitas,si exaltata sublimitas,minor erat prouehente, qui creuit,nec habebat diuitias eius naturæ, cuius indiguit largitate. Sed talia sentientẽ in societatem suam Arius rapit,cuius peruersitati multum hæc suffragatur impietas,negans verbo Dei humanã inesse naturam,vt dũ humilitatem in Dei maiestate fastidit,aut falsatã in Christo adferat imaginẽ corporis,aut omnes actiones passionesq; corporeas,deitatis potiùs fuisse dicat quã carnis.Quodlibet autẽ defendere audeat, prorsus insanũ est:quia nec pietas fidei,nec ratio recipit sacramenti, vt aut aliquid passa sit deitas, aut in vllo mentita sit veritas.Impassibilis igitur Dei filius Deus, cui cum patre & spiritu sancto vna incõmutabilis Trinitas essẽtia,hoc quod est esse,perpetuũ est, in ea plenitudine tẽporis,quę sempiterno cõsilio fuerat prestituta,&prophetica dicto rũ atq; gestorũ significatiõe promissa, factus filius hominis nõ suę cõuersione substantiæ,

Dist. 38. Si in laicis videtur.

De consec. distin. 2. in quibus isti.

Ephes. 1.

Ioan. 1.

Luce 19.

stantiæ, sed nostræ adsumptione naturæ, venit quærere & saluare,quod perierat. Venit autem non localiaccessu,nec motione corporea,tanquam præsens futurus, vnde abfuisset,aut illinc recessurus,vnde venisset:sed venit per hoc, quod erat visibile,& commune cernentibus declarandus, humanam scilicet carnem atq; animã in viscera virginis matris accipiens,vt manens in forma Dei, formam serui sibimet,& similitudinem peccati carnis vniret, per quam non minueret diuina humanis,sed augeret humana diuinis. Talis enim erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium,vt originali peccato transeunte per posteros,nullus pœnam damnationis euaderet, nisi verbum caro fieret, & habitaret in nobis, in ea scilicet natura,quæ nostri & sanguinis esset & generis.Propter quod dicit Apostolus:Sicut per vnius delictum in omnes homines condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitæ:Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi,ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.Et iterum:Quia enim per hominem mors,& per hominem resurrectio mortuorum.Et sicut in Adã omnes moriuntur,ita & in Christo omnes viuificabũtur.Hi vtiq; omnes,qui licet in Adã sint nati,In Christo tamẽ inuenũtur renati,habentes fidei testimonium,& de iustificatione gratiæ, & de cõmunione naturæ,quã qui susceptam ab vnigenito Dei filio in vtero Dauidicæ virginis diffitetur, ab omni sacramento Christianæ religionis alienus est,& nec sponsum agnoscens nec sponsam intelligens,nuptiali non potest interesse conuuio.Caro enim Christi velamen est verbi, quo omnis qui ipsum integrè confitetur, induitur. Erubescens autem illud,& quasi indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatum, ac licet se regio inferat festo,sacrisq; se epulis importunus immisceat,discretionem tamen regis fallere improbus conuiua non poterit:sed sicut ipse Dominus protestatus est,tolletur ligatis manibus & pedibus,& mittetur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.Vnde,quicunque in Christo non confitetur corpus humanũ,nouerit se mysterio incarnationis indignum,nec eius sacramẽti habere consortiũ, quod Apostolus prædicat,dicens:Quia membra sumus corporis eius,de carne eius, & de ossibus eius,propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ,& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.Et exponens,quid per hoc significaretur,adiecit:Sacramentum hoc magnum est.Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Ab ipso ergo principio generis humani omnibus hominibus Christus est denunciatus in carne venturus.In qua(sicut dictum est,& erunt duo in carne vna)vtiq; duo sunt, Deus & homo,Christus & Ecclesia,quæ de sponsi carne prodijt,quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua,sacramentũ redemptionis & regenerationis accepit.Ipsa est enim noua conditio creaturæ,quæ in baptismate non indumento veræ carnis,sed contagio damnatæ vetustatis exuitur,& efficiatur homo corpus Christi, quia & * Christus corpus est hominis.Vnde non Deũ tantũ dicimus Christũ,sicut hæretici Manichæi:nec hominẽ tantũ, sicut hæretici Photiniani:nec ita hominẽ,vt aliquid ei desit,quod ad humanã certũ est pertinere naturã,siue animam siue mentem rationalem,siue carnem quæ non de fœmina sumpta sit, sed facta de verbo in carnem conuersio atq; mutato,quæ tria falsa & vana, Apollinistarum hæreticorum tres partes variæ protulerunt.Nec dicimus,quod beata virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus à spiritu sancto,postea sit susceptus à verbo, quod Nestorium prædicantem meritò iusteq; damnauimus: sed dicimus Christum Dei filium,Deum verum,natum de Deo patre sine vllo initio temporis, eundemq; hominem verum,natum de matre homine,certa plenitudine temporis, nec eius humanitatẽ,qua maior est pater,minuere aliquid ei naturæ,qua æqualis est patri.Hoc autem vtrunq; vnus est Christus,qui verissimè dixit,& secundũ Deũ, Ego & pater vnum sumus:& secundum hominem.Pater maior me est.Hanc fidem(dilectissimi) veram & indissolubilem,quæ sola veros efficit Christianos, quamque vt intelligimus & probamus,pio studio & laudabili amore defenditis,perseuerãter tenete, & constanter adserite. Et quoniam oportet vos post diuinũ auxiliũ,etiã catholicorũ

principum

Ioan. 1.

Roma. 5.

1. Cor. 15.

Matt. 22.

Ephes. 5.

Ioan. 19.

* *Christi.*

Ioan. 10.

Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, vt petitioni nostræ, qua plenariam indici synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere, quo citius adiuuante misericordia Dei, & sanis fortitudo augeatur, & morbidis, si curari acquiescant, medicina præstetur. Data Idibus Octobris, Asterio & Protogone viris clarissimis consulibus.

Epistola vigesima quarta eiusdem ad Theodosium Augustum, qua rogat illum, speciale Concilium in Italia fieri, & in nullo alio loco, eò quod contraria canonibus facta sit synodus Ephesina, & in ea acta iudicantur illegitima nec ritè facta.

Glorioſiſsimo & clementiſsimo Theodoſio Auguſto Leo Epiſcopus.

Hæc epiſtola potius fragmentum quoddam eſſe videtur proximè ſequentis epiſtolæ, nec ſatis cohærens.

OLim & ab initio in Concilijs celebratis tantam nos percepimus à beatiſsimo Petro apoſtolorum principe fiduciam, vt authoritatem habeamus, ad veritatem pro noſtra pace defendendam, quatenus nulli liceat ſic eam munitam in aliquo commouere, dum repentè læſio remouetur. Igitur quia Concilium Epiſcoporum; quod propter Flauianum in Epheſina ciuitate fieri præcepiſtis, & ipſi fidei probatur obeſſe, & omnes Eccleſias vulnerare, & hæc à nobis comperta ſunt non incerto nuncio, ſed ab ipſis reuerendiſsimis Epiſcopis, qui à nobis miſsi ſunt, & fideliſsimo rerum, quæ geſta ſunt, narratore Hilario diacono noſtro. Hæc autem ideo culpa proceſsit, eò quod non pura conſcientia, & recto iudicio ſecundum conſuetudinem hi, qui collecti ſunt, de fide & erratibus protulerunt. In ipſo autem iudicio non omnes, qui conuenerant, interfuiſſe cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupra dicti * ſacerdotis arbitrio impijs ſubſcriptionibus captiuas manus dederunt, quod nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent, talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, vt in omnes per eam ſæuiretur Eccleſias. Quod noſtri ab Apoſtolica ſede directi, adeo impium & catholicæ fidei contrarium videntes, nobis ſignificare noſcuntur. Vnde tranquiliſſimi principum remouete (quæſumus) à veſtræ pietatis conſcientia periculum religionis & fidei, vt CHRISTI euangelio vim non inferat humana præſumptio. Ecce ego Chriſtianiſsime & venerabilis Imperator, cum conſacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementiæ veſtræ ſyncerj amoris officium, cupiensque vos per omnia placere Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Domini rei de ſilentio iudicemur, obſecramus coram vnius deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (quum ipſa veſtri ſit cuſtos & author Imperij) & coram ſanctis angelis Chriſti, vt omnia in eo ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos grauari, quia (quod neceſſe eſt nos dicere) veremur, ne cuius religio diſsipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habere, & tota mentis acie reuerenter aſpicite beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſsio veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in CHRISTO. Cui ſacramento quia impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, vt quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flauianus Epiſcopus dedit, generalem ſynodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne vltrà aliquid ſit vel in fide dubium, vel in charitate diuiſum, conuenientibus vtique Orientalium prouinciarum Epiſcopis, quorũ ſi qui ſuperati minis atq; iniurijs, à veritatis tramite deuiarũt, ſalutaribus remedijs in integrum reuocentur: ipſiq; quorum eſt cauſa durior, ſi cõfilijs melioribus acquieſcant, vt ab Eccleſiæ vnitate non excidãt. Quàm autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariò poſtuletur, canonum Niceæ habitorũ decreta teſtantur, quæ à totius mundi ſunt ſacerdotibus conſtituta. Fauete catholicis veſtro more parentumq; veſtrorum, date defendendæ fidei libertatem. Quum enim Eccleſiæ cauſa ſtatum regni veſtri agamus & ſalutis, vt prouinciarum veſtrarũ quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, vt veſtrum CHRISTI dextera defendatur Imperium. Datum tertio Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

* *Id eſt, Diſcori, qui tamen non eſt ſupra dictus.*

Epiſtola vigeſimaquinta eiuſdem ad Theodoſium Auguſtum de ſecunda & prophana ſynodo Epheſina, in qua Eutychetis hæreſis quorundam Epiſcoporum prauo intellectu adiuta eſt: vnde hortatur eundem Auguſtum, vt priſcæ fidei conſtitutio ab eis non violetur, ſed Dei ſacerdotes totius orbis adunentur.

In Tom. Concil. eſt xxiij.

Leo Epiſcopus, & ſancta ſynodus, quæ in vrbe Roma conuenit, Theodoſio ſemper Auguſto.

LIteris clementiæ veſtræ, quas dudum ad beati Petri Apoſtoli ſedem pro catholicæ fidei amore miſiſtis, tantam fiduciam ſumpſimus defendendæ per vos veritatis & pacis, vt in cauſa tam ſimplici, tamq; munita nihil putaremus poſſe exiſtere, quod noceret, preſertim cùm ad epiſcopale Concilij, quod haberi apud Epheſum præcepiſtis, tam inſtructi ſint miſſi, vt ſi ſcripta, quæ vel ad ſanctam ſynodum, vel ad Flauianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporũ publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet antiſtes, ita manifeſtatione puriſsimæ fidei, quã diuinitus inſpiratam & accepimus & tenemus, omnium concertationum ſtrepitus quieuiſſet, vt nec imperitia vltrà deſiperet, nec occaſionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dũ priuatæ cauſæ religionis exercentur obtentu, commiſſum eſt impietate paucorum, quod vniuerſam Eccleſiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, ſed fideliſsimo rerũ, quæ geſta ſunt, narratore Hilario diacono noſtro (qui vix, ne ſubſcribere per vim cogeretur, effugit) conueniſſe ad ſynodum plurimos ſacerdotes, quorum vtiq; frequentia cõſultationi & iudicio profuiſſet, ſi is qui ſibi locum principem vendicabat, ſacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet, vt (ſicut moris eſt) omnium ſententijs ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo cõſtitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errãtibus ſubueniret. In ipſo autẽ iudicio non omnes, qui conuenerant, interfuiſſe cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſuprà dicti ſacerdotis arbitrio, impijs ſubſcriptionibus captiuas manus dederunt, quòd nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent, talemq; ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, vt dum homo vnus impetitur, in omnem Eccleſiam ſæuiretur. Quod noſtri ab Apoſtolica ſede directi, adeò impium, & catholicæ fidei contrarium eſſe viderunt, vt ad conſentiendum nulla potuerint oppreſsione compelli, conſtanterq; in eadem ſynodo (vt decuit) fuerunt proteſtati, nequaquam id, quod conſtituebatur, ſedem Apoſtolicam recepturam, quoniam reuerà omne Chriſtianæ fidei ſacramentum (quod abſit) à temporibus veſtræ pietatis excluditur, niſi hoc ſceleſtiſsimum facinus, quòd cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur. Quia verò diabolica nequitia ſubtiliter fallit incautos, & ita quorundam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis illudit, vt pro ſalubribus perſuadeat nocitura:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra: remouete quæ ſumus à veſtræ pietatis conſcientia periculum religionis & fidei, quodq; in ſecularibus negocijs legum veſtrarum æquitate conceditur, in rerum diuinarum pertractatione præſtate, vt Chriſti euangelio vim nõ inferat humana præſumptio. Ecce ego Chriſtianiſsime & venerabilis Imperator, cum conſacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementię veſtræ ſynceri amoris officium, cupiensq; vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal CHRISTI Domini rei de ſilentio iudicemur, obſecramus coram vnius deitatis inſeparáli Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipſa veſtri ſit cuſtos & author Imperij, & coram ſanctis angelis CHRISTI, vt omnia in eo ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos grauari, quia (quod neceſſe eſt nos dicere) veremur, ne cuius religio diſsipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reuerenter adſpicite beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omniũ apoſtolorum coronas, cunctorumq; martyrum palmas, quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſsio veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in CHRISTO. Cui ſacramento quia impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, vt quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flauianus Epiſcopus dedit, generalem ſynodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid vltrà ſit vel in fide dubium, vel in charitate diuiſum, conuenientibus vtiq; Orientalium prouinciarum Epiſcopis, quorũ ſi qui ſuperati minis atq; iniurijs à veritatis tramite deuiarunt, ſalutaribus remedijs in integrum reuocentur: ipſiq; quorum eſt cauſa durior, ſi conſilijs melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ vnitate non excidant. Quàm autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariè poſtuletur, canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ à totius mundi ſunt ſacerdotibus conſtituta, quæque ſubter adnexa ſunt. Fauete catholicis veſtro more, parentumq; veſtrorum. Date defendendæ fidei libertatẽ, quam ſalua clementiæ veſtræ reuerentia, nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre. Cùm enim Eccleſiæ cauſas, tum regni veſtri agamus & ſalutis, vt prouinciarum veſtrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, vt & veſtrum Chriſti dextera defendatur Imperium. Datum iij. Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

In Tom. Concil. eſt nxuij.

Epiſtola vigeſimaſexta eiuſdem Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam, contra eandem ſecundam prophanam ſynodum Epheſinam, vt eius errores in alia ſynodo retractentur.

Leo Epiſcopus, & ſancta ſynodus, quæ in vrbe Roma conuenit, Pulcheriæ Auguſtæ.

SI epiſtolæ, quæ pro fidei cauſa per noſtros clericos directæ ſunt ad veſtram pietatem peruenisſent, certum eſt, remediſi vos his rebus, quæ contra fidem factæ ſunt, adſpirante vobis Domino, præſtare potuiſſe. Quando enim ſacerdotibus, quando Chriſtianæ religioni aut fidei defuiſtis? Sed cùm ad manſuetudinem veſtram adeò nõ potuerint peruenire, qui miſsi ſunt, vt ad nos vix vnus illorum Hilarius diaconus noſter fugiens ſit reuerſus, iteranda ſcripta credidimus. Et vt validiores preces noſtræ eſſe mereantur, ipſorum ſcriptorum, quæ ad clementiam veſtram non peruenerunt, exempla ſubiecimus, amplioribus vos obteſtationibus obſecrantes, vt quanto acerbiora facta ſunt, quibus pro ſede regia vos conuenit contraire

traire, tãto maiore gloria, curam eius, in qua excellitis, religionis habeatis, ne catholicæ fidei integritas vlla humanarum concertationũ occaſione violetur. Quæ enim congregata apud Epheſum ſynodo, ſopienda & ſananda, pacis remedio credebantur, hæc non ſolùm in maiora pacis diſpendia, ſed (quod nimis dolendum eſt) etiam in ipſius fidei, qua Chriſtiani ſumus, excidia proceſſerunt. Et ij quidem, qui miſi ſunt, quorumq; vnus vim Alexandrini Epiſcopi, ſibi omnia vendicantis, effugies, rerum geſtarum nobis ordinem fideliter nunciauit, reclamarunt in ſynodo (ſicut oportuit) vnius hominis non tam iudicio, quàm furori, proteſtantes ea, quæ per vim metumq; gererentur, ſacramentis Eccleſiæ, & ipſi ſymbolo ab apoſtolis inſtituto, præiudicare non poſſe, nec ſe ab ea fide vlla iniuria ſeparandos, quam pleniſsimè expoſitam atq; digeſtam, à ſede beati apoſtoli Petri ad ſanctam ſynodum detuliſſent. Cuius cùm recitatio poſcentibus Epiſcopis non ſit admiſſa, vt ſcilicet remota ea fide, quæ patriarchas, prophetas, apoſtolos & martyres coronauit, generatio Ieſu Chriſti Domini noſtri ſecundùm carnem, & veræ mortis ac reſurrectionis eius confeſsio (quod horremus dicere) ſolueretur, ſcripſimus de hac re (vt potuimus) ad gloriоſiſsimum principem, & (quod eſt maximum) Chriſtianum, cuius epiſtolæ pariter exempla ſubiecimus, vt fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla ſineret nouitate corrumpi, quoniam Flauianus Epiſcopus in noſtra omnium communione perſiſtit: atq; hoc, quod factum eſt ſine conſideratione iuſtitiæ, & contra omniũ canonum diſciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit: & quia diſſenſionis ſcandalum non abſtuliſſet Epheſina ſynodus, ſed auxiſſet, habendo intra Italiam Concilio, & locus conſtitueretur & tempus, omnibus querelis & præiudicijs partis vtriuſque ſuſpenſis, quò diligentiùs vniuerſa, quæ offenſionem generauerant, retractẽtur, & abſq; vulnere fidei, abſq; religionis iniuria, in pacem Chriſti redeant, qui per impotentiam ſubſcribere coacti ſunt ſacerdotes, & ſoli auferantur errores. Quod vt obtinere mereamur, probatiſsimæ nobis fidei pietas tua, quæ labores Eccleſiæ ſemper adiũuat, ſupplicationem noſtram apud clementiſsimum principem ſibi ſpecialiter à beatiſsimo Petro apoſtolo legatione commiſſa dignetur adferere, vt priuſquàm ciuile hoc & exitiale bellum intra Eccleſiam conualeſcat, redintegrandæ vnitatis copiam, Deo auxiliante, concedat, ſciens Imperij ſui viribus profuturum, quicquid catholicæ libertati benigna ipſius fuerit diſpoſitione collatum. Data tertio Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

In Tom. Concil. eſt xxv.

Epiſtola vigeſimaſeptima eiuſdem ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Flauiano chariſsimo fratri Leo Epiſcopus.

QVæ & quanta dilectio tua pro catholicæ fidei defenſione patiatur, per diaconũ, qui ab Epheſo furtim eſt lapſus, cognouimus. Et licet magnificemus Deum, qui te gratiæ ſuæ virtute confortat, neceſſe eſt tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, & ipſa totius Eccleſiæ fundamenta quatiuntur. Quia verò prouidentia Dei ſemper ſuis neceſſarium præſtat auxilium, ſcire debet fraternitas tua, nos pro communi cauſa nihil eorum, quæ agenda ſunt, præterire, vt primitùs ad ea, quæ vniuerſitati fidelium proſint, peruenire mereamur. Sin, eſt, vt fortiter interim dilectio tua toleret, quæ ſibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Perlator ſanè breuis huius epiſtolæ fidei ſermone poterit enarrare, quicquid illud eſt, ad quod, adiuuante Domino, ſtudio fidei & charitatis intendimus. Data tertio Calendas Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſsimis conſulibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tom. Concil. est xxvj.

Epistola vigesimaoctaua eiusdem ad Faustum, & ad cæteros archimandritas Constantinopolitanos, qua adhortatur eos ad constantiam in omni bono, maximè fidei & charitatis, & detestatur acta secundi Concilij Ephesini.

Leo Episcopus & sancta synodus, quæ in vrbe Roma conuenit, Fausto, Martino, Petro, & Magno, & Heliæ presbyteris & archimandritis Constantinopolitanis, dilectissimis filijs in Domino salutem.

QVanuis ea, quæ ad Constantinopolitanam Ecclesiam scripsimus, solicitudinem deuotionis vestræ latère non possunt, tamen etiam specialibus dilectionem vestram literis cohortandam esse credidimus, vt memores sanctæ professionis vestræ, quę propriè in fide & charitate consistit, omnia scandala, quæ contra pacem Ecclesiæ orta sunt, à vestris cordibus repellatis, beati Apostoli sententiam pia mente retinentes:

Galat. 1. si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis anathema sit: & custodientes vnitatem cum fratre nostro Flauiano Episcopo, quem ad

Ephes. 5. tempus Dominus permisit impiorum factione tentari, vt probatum sibi sacerdotem suum perseuerātiæ merito faceret clariorem. Hæ autem perturbationes, necesse est, vt auxiliante Dei gratia, celeriter destruantur, & omne quod reprobum est, ab Ecclesiæ puritate, quæ nec maculam, nec rugam recipit, respuatur, maximè cùm ab insana imperitia in hoc vsque proruptum sit, vt contra sacramentum salutis humanæ, incarnationis Domini nostri Iesu Christi veritas denegetur: atq; antiquæ fidei prædicatur atq; defensor, quia non acquieuit blasphemijs, quas olim sancti patres nostri in multis hæreticis damnauêre, subijciatur iniurijs: in quo vtique omnium Domini sacerdotum reuerentia cæditur, & vniuersa corporis Christi membra pulsantur. Sed quia gloriosum nobis est, quicquid nos pati Deus voluerit, & pro veritate tolerare: in consortium vos patientiæ paternis exhortationibus aduocamus, vt per dilectionem vestram omnibus Deo seruientibus, quæ scripsimus, innotescāt, & inimicis Euangelij resistentes, nec pastoris vestri dilectionem, nec vnitatem catholicæ fidei deseratis: quoniam ea, quæ in Epheso nuper contra iustitiam, vel canonum di-

*potestiā, sciplinam per vnius hominis * impudentiam gesta sunt, nulla catholicæ fidei ratio, rata esse permittit. Data octauo Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est xxvij.

Epistola vigesimanona eiusdem ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

Leo Episcopus vrbis Romæ, dilectissimo fratri Anastasio Episcopo.

QVantùm relatione Hilarij diaconi nostri cognouimus, magnum facinus Alexandrino Episcopo authore vel executore, commissum est, vt dum in fratrem nostrum Flauianum veteres æmulationes & odia priuata desæuiunt, nec innocentię probatissimi sacerdotis, nec Christianæ fidei parceretur. Vnde multùm dilectioni tuæ congratulamur, quòd te, ad illā synodum ire cupientē, opportunis obstaculis manus diuina detinuit, ne abstenturus proculdubiò à tanto scelere, indignis iniurijs

iniurijs subiaceres, & furori impio, militibus, quantùm didicimus, armisq; fussulto, contraire non posses. Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat, & in nefandissimiam hæresim vnius imperitissimi senis assęclæ transierunt, tempus probationis nostræ debemus agnoscere, & contra impetus aduersantiū, munitionibus cælestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare. Scimus, frater charissime, quia sacramento magnæ pietatis suæ aderit diuina protectio. Si quid igitur fraternitati tuę de impijs constitutionibus fuerit ingestum, protestamur pariter ac monemus, ne vel in damnationem fratris insontis, vel in receptione nefarij dogmatis consensum tui cordis immisceas. Maior est enim, qui in nobis est, quàm qui aduersus nos. Annitere potiùs, quantùm te ipse naturæ nostræ susceptor & glorificator adiuuerit, vt omnium fratrum nostrorum corda confirmes. Nobis enim ab Euangelio generationis, & mortis, ac resurrectionis Domini nostri Iesu Christi nullatenùs recedentibus, diffinitissimum est, in nostræ communionis numero non futuros eos, qui conantur antiqua catholicæ fidei fundamenta conuellere. Data tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola trigesima eiusdem ad Iulianum Episcopum.

In Tom. Concil. est xxviij.

Leo Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Iuliano fratri & coëpiscopo salutem.

COgnitis, quæ apud Ephesum vnius hominis præsumptione sunt gesta, magno quidem dolore affecti sumus de his, quę impiè furioseq; commissa sunt: sed ad Dominum nostrum animū dirigentes, multam fiduciam ab ipsa, quam sequimur, veritate concipimus, non omittentes omnia agere, quæ auxiliante Dei gratia credimus profutura. Tenendum ergo nobis est, quod tenemus: & sæuiente vnius turbinis procella, serenissima fidei est amplectenda trāquillitas, donec radios suos veritas per vniuersa diffundat, & caliginem infidelitatis consumat. Quæ autem dispositā sunt, per latoris sermonem agnosces. Datum tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

Epistola trigesimaprima eiusdem ad Pulcheriam Augustam de his, quæ superiùs postulauit.

In Tom. Concil. est xxix.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

GAudere me plurimùm, & exultare in Domino, pietatis tuæ scripta fecêre, quibus euidenter ostenditur, quātùm catholicam diligas fidem, & quantùm hæreticum detestēris errorem. Hæresis quippe est nimis impia, & * euangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa religionis Christianæ conatur fundamenta conuellere, negans sempiterni patris filium sempiternum, de vtero beatæ virginis matris, veram carnem nostræ sumpsisse naturæ, & eos damnatione percellens, qui ab euangelica & apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, illudq; frustrà prætendens, quòd Nicenæ synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienum, gloriosissima Augusta. Vnde quia non deserit Ecclesiam suam diuina protectio, dicente Domino: Ecce ego vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, eodemq; opere & tempore spiritus Dei & clementiæ vestræ solicitudinem, & curam nostri cordis, accendit, vt de remedijs procurandis ea-

Anno Christi 450. pōtificatus S. Leonis 2. fuit scripta hæc epistola, & 5. sequentes.

* Euangelicæ veritati. Matth. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem vtriq; cuperemus, quæ priùs popoſci, nunc quoq; inſtantiùs peto, maiore vtens fidutia deprecandi, poſteaquam præſidium venerandæ exhortationis accepi, ſperás ad futuram miſericordiam Dei, vt cooperante veſtra clementia, peſtiferi erroris poſſit morbus auferri, vt quicquid, ipſo inſpirante atque auxiliante, potuerit ſalubriter fieri, cum veſtræ fidei laude peragatur: quoniam res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſsionem pertinent, & regia, & ſacerdotalis defendat authoritas. Data decimoſexto Calendas Aprilis, Valentiniano Auguſto ſeptimò, & Auieno, viris clariſsimis conſulibus, Aera 488.

23. quæ. 5. Res autem omnes.

In Tom. Concil. eſt xxx.

Epiſtola trigeſima ſecunda Leonis Papæ ad Martianum & Fauſtum presbyteros exhortatoria, de damnatione ſecundi Epheſini Concilij.

Leo Epiſcopus Martiano Fauſtoq; presbyteris.

BOnorum operũ, & ſpiritualium ſtudiorum Deũ authorem eſſe, non dubium eſt, qui quorum incitat mentes, adiuuat actiones. Quod nobis præſenti experimento euidenter apparuit. Siquidem inter diſcretarum ſpatia longinqua regionum, vnum ſumpſerunt corda noſtra conſilium, vt quod à nobis deſiderabatis, eo vobis tempore, quo epiſtolæ noſtræ mittebantur, occurrerit: ſi tamen dilectioni veſtræ tradi ſcripta noſtra potuere, quæ non ſolùm Apoſtolicæ ſedis authoritate, ſed etiam ſanctæ ſynodi, quę ad nos frequens cõuenerat, vnanimitate directa ſunt, vt in his quantam curam totius Eccleſię habeamus, appareat, hortando ſcilicet omnium fidelium mentes, & clementiſsimorum principum præſidia ad defenſionem fidei poſtulando, quorum pios & catholicos animos, non diffidimus opem atque authoritatem ſuam iuſtis petitionibus præſtituros, quo citiùs, auxiliante Domino, pernicioſa hæreſis, & dudum ſanctorum patrum authoritate damnata, quæ & nuper Epheſi malè adiuta eſt, auferatur. Interim verò det operam (quantùm fieri poteſt) veſtra dilectio, vt omnibus Eccleſiæ filijs innoteſcat, quod contra impium ſenſum, ſecundùm doctrinam euangelicam & apoſtolicam prædicamus. Quia licet plenè, quæ ſemper fuiſſet atque eſſet catholicorũ ſententia, ſcripſerimus, tamen nũc quoq;, ad confirmandas omnium mentes, non parum exhortationis addidimus. Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Domino Ieſu Chriſto, eſt glorificata confeſsio, & cuius fides omnes quidem hæreſes deſtruit, ſed maximè impietatem præſentis erroris expugnat: & intelligo mihi aliud non licere, quàm vt omnes conatus meos ei cauſæ, in qua vniuerſalis Eccleſiæ ſalus infeſtatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occaſione, ſcripta noſtra ad vos non potuerint peruenire, exemplaria eorundem nunc mittenda credimus, vt nullo modo fidei, quam defendimus, prædicatio veſtræ notitiæ ſubtrahatur. Data decimoſexto Calendas Aprilis, Valentiniano Auguſto ſeptimò, & Auieno, viris clariſsimis conſulibus.

Synodus frequens Romæ.

Ro. Pontifex præſidet Eccleſiæ.

In Tom. Concil. eſt xxxj.

Epiſtola trigeſimatertia eiuſdem ad Theodoſium Auguſtum, vbi ſcripſit, vt id, quòd de incarnatione filij Dei ab Anatolio Conſtantinopolitano epiſcopo prædicatur, agnoſcat, & vniuerſale Concilium in Italia fiat.

Leo Epiſcopus Theoſio ſemper Auguſto.

Omnibus

OMnibus quidem veſtræ pietatis epiſtolis, inter eas ſolicitudines, quas pro fide patimur, ſpem nobis ſecuritatis maximam præſtitiſtis, Nicenum commendando Concilium, adeò vt ab illo, ſicut ſæpè iam ſcribitis, non patiamini ſacerdotes Domini deuiare. Sed ne aliquid in præiudiciũ catholicæ defenſionis viderer egiſſe, de ordinatione eius, qui Conſtantinopolitanæ cœpit Eccleſiæ præſidere, nihil interim in alterutram partem temerè referendum putaui, non dilectionẽ negãs, ſed manifeſtationem catholicæ veritatis expectãs. Quod æquanimiter ferat obſecro veſtra clementia, vt quum talem ſe erga fidem catholicam, qualem cupimus, approbarit, de ſynceritate ipſius copioſiùs & ſecuriùs gaudeamus. Ne verò aliqua illum de noſtro animo mordeat ſiniſtra ſuſpicio, occaſionem totius difficultatis amoueo: nec aliquid exigo, quod aut arduum videatur, aut dubium: ſed ad id, quod nullus catholicorum reſutet, inuito. Noti enim ſunt per vniuerſum mundum atque manifeſti, qui ante nos ſiue Græca ſiue Latina lingua in catholicæ veritatis prædicatione fulſerunt: ad quorum ſcientiam atque doctrinam quidam etiam noſtræ ætatis accedunt, de quorum ſcriptis par, & multiplex profertur inſtructio. Quę ſicut Neſtorianam hæreſim deſtruxit, ita etiam hunc, qui nunc malè repullulat, abſcidit errorem. Relegat itaque ſolicitè, quæ à ſanctis patribus incarnationis dominicæ fides fuerit cuſtodita, ſemperque ſimiliter prædicata: & cùm ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Epiſcopi epiſtolam (qua Neſtorium corrigere & ſanare voluit, prauas prædicationes ipſius arguens, & euidentiùs fidem Nicenę definitionis exponens, quamq; ab eo miſſam Apoſtolicæ ſedis ſcrinia ſuſceperunt) præcedentium ſenſui perſpexerit conſonantem, Epheſinæ etiam ſynodi geſta recenſeat, quibus contra Neſtorij impietatem, à ſanctæ memoriæ Cyrillo inſerta & allegata ſunt, de incarnatione Domini catholicorum teſtimonia ſacerdotum. Non aſpernetur etiam meam epiſtolam recenſere, quam pietati patrũ per omnia cõcordare reperiet. Cumq; à ſe hoc, quod eidem profuturum ſit, expeti deſiderariq; cognouerit catholicorum ſententijs toto corde conſentiat, ita vt ſynceram communionis fidei profeſsionem, abſolutiſsima ſubſcriptione, coram omni clero, & vniuerſa plebe declaret, Apoſtolicę ſedi, & vniuerſis Domini ſacerdotibus atque Eccleſijs publicandam, vt pacificato per vnam fidem mundo, poſsimus omnes dicere, quod angeli, nato de Maria virgine ſaluatore, cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominib. bonæ voluntatis. Quia verò & nos, & beati patres noſtri, quorum doctrinam & veneramur & ſequimur, in vnius fidei concordia ſumus, ſicut prouinciarum omnium proteſtantur antiſtites: agat clementiæ veſtræ deuotiſsima fides, vt quam primũ ad nos Cõſtantinopolitani Epiſcopi, qualia debent, probati & catholici ſacerdotis ſcripta peruenĩãt, apertè ſicet atq; dilucidè proteſtãtia, quòd ſi quis de incarnatione verbi Dei aliud aliquid credat aut adſerat, quàm catholicorum omnium & mea profeſsio proteſtatur, hunc à ſua communione ſecernat, vt ei fraternam in Chriſto charitatem meritò poſsimus impendere. Vt autẽ ſalubribus curis velocior pleniorq;, auxiliante Domino, per veſtræ clementiæ fidem præſtetur effectus, ad pietatem veſtram fratres & coepiſcopos meos Abundium & Aſterium, ſed & Baſilium & Senatorem presbyteros, quorum mihi deuotio eſt probata, direxi: per quos, quę noſtrę forma ſit fidei, manifeſtatis inſtructionibus, quas miſimus, poſsitis dignanter agnoſcere, vt ſi Conſtantinopolitanus antiſtes in eandem confeſsionem toto corde conſentit, ſecuri (vt dignum eſt) de Eccleſiaſtica pace lætemur, neq; aliquid reſidere videatur ambiguũ, vt de ſuperfluis forſitan ſuſpicionibus laboremus. Sin verò aliqui à puritate noſtræ fidei, atque patrum authoritate diſſentiunt, Concilium vniuerſale intrà Italiã, ſicut Synodus, quę ob hanc cauſam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia veſtra concedat, vt in vnum conuenientib. omnibus, his qui aut ignorantia, aut timore prolapſi ſunt, correctionis remedijs conſulatur: nec cuiquã vltrà ſit liberum, ita Nicenę ſynodi facere

Luc. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentionem, vt eius fidei inueniatur esse contrarius: quoniã & vniuersæ Ecclesiæ, & vestro hoc imperio profuturum est, si vnus Deus, vna fides, & vnum sacramentum salutis humanæ, vna totius mundi confessione teneatur. Data decimoseptimo Calendas Augusti, Valentiniano septimo, & Auieno viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est xxxij.

Epistola tricesimaquarta eiusdem ad Faustum, Martianum cæterosq; presbyteros & archimandritas.

Leo Episcopus Fausto, Martiano, Petro, Manueli, Iob, Antiocho, Viuantiaco, Abrahamo, Theodoro, Piętio, Eusebio, Helpidio, Paulo, Asterio & * Charaso presbyteris & archimandritis, & Iacobo diacono & archimandritæ.

** Caroſo*

CAusa fidei, in qua salus Christiana consistit, multa me solicitudine laborare compellit, metuentem, ne prauitas, quæ in suis fuerat amputanda principijs, processu temporis & pertinacior fiat & latior. Nam quum clementissimus Imperator talia ad nos scripta direxerit, quibus solicitudinem suam pro pace vniuersalis Ecclesiæ demonstraret, ipse Constantinopolitanus Episcopus, & hi, qui eundem consecrarant, præter id quod ad ordinationem noui antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt: quasi in illa Ecclesia nullum scandalum, nulla extitisset offensio, aut non hinc præcipuè fuerit ordinati meritum demonstrãdum, si aliena à se, quæ catholicorũ sensibus sunt aduersa, docuisset. Ne ergo (quod inter longinquas regiones accidere solet) in nimias dilationes tenderent veritatis examina, fratres & coepiscopos nostros Abundium & Asterium, sed &

** pissimũ*

Basilium & Senatorem presbyteros probatissimos viros, ad * probatissimum principem cum sufficiẽti paternarum authoritatum instructione direximus. Quos in omnibus, fratres charissimi, diligẽtia ac solicitudine vestra cupimus adiuuari, vt impietas, quæ cæcis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quosque decipendi vlteriùs non habeat potestatem, cùm aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subueniri, qui aut imperitia sunt lapsi, aut errore traducti. Et ideò vos, qui iustificamini per fidem, qui catholicam diligitis veritatem, & de singulari sacramento salutis humanæ per spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum, & quanta potestis deuotione, id agite, vt falsitate destructa, & fidei soliditate defensa, secura per totum mundum Dei pace potiamur. Data decimosexto Calend: Augusti, Valentiniano Augusto septimo, & Auieno viris clarissimis consulibus.

In Tom. Cõcil. est xxxiij.

Epistola tricesimaquinta Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam pro his, quæ superius Theodosium Augustum postulauit.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

GAudeo fidei clementiæ vestræ, quòd religiosum studium dignanter impenditis, vt pax Ecclesiastica renouetur, quæ quorundam dissensionibus videbatur esse turbata. Debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, vt ablatis omnibus scandalis, quæ contra catholicam fidem inimicus excitauerat, vna eademq; sit per totum mundum confessio veritatis: quæ faciliùs certiusque reparabitur, si prauorum sensuum nulla semina, nulla vestigia relinquantur. Quod tamẽ mearum partium est, præterire non debeo, vt scilicet, quid de incarnatione filij Dei à Cõstantinopolitano Episcopo

scopo teneatur, agnoscam, præsertim cùm inordinatione ipsius plurã præcesserint, taliaque ad nos debuerit scripta dirigere, quæ illum à contagione huius, qui nuper emersit, erroris alienum euidenter ostenderent. Optans itaq; securam cum eo habere concordiam, gratiamque illi fraternæ charitatis impendere, scribere ei interim distuli, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis expectãs. Simplex est atque absolutum, quod posco, vt remoto longarum disputationum labore, sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolæ, quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat, in qua & errorem Nestorij arguit, & fidem Nicenæ definitionis exposuit, & epistolæ meæ, quæ ad sanctæ recordationis Flauianum Episcopum est directa, consentiat. Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi, quod ausa est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat: quia & mea, & sanctorum patrum de incarnatione Domini concors per omnia, & vna confessio est. Quam si quis existimauerit non sequendam, ipse se à compage catholicæ vnitatis abscindet, cùm tamen nos, vt in integrum omnia reuocentur, optemus. Ad effectum verò salubrium dispositionum velociùs obtinendum, fratres & coepiscopos meos Abundiũ & Asterium, sed & Basilium & Senatorem presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei, quam secundùm doctrinã venerabilium patrum prædicamus, offerrent, & remotis circunloquutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de incarnatione filij Dei à totius orbis probatis sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post diuinam gratiam, sancto vestræ pietatis auxilio dignum est adiuuari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat cõtentio, cùm correctione adhibita, omnes oporteat in vnius confessionis redire concordiam. A qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, vniuersale Concilium sacerdotum haberi intra Italiam, clementia vestra annuente, iubeatur, quò, remota arte fallendi, tandem pateat, quid altiori tractatu aut coërceri debeat aut sanari. Data tertiodecimo Calendas Augusti, Valentiniano Augusto septimo, & Auieno, viris clarissimis consulib.

Epistola trigesimasexta eiusdem ad Martinum presbyterum.

In Tom. Cõcil. est xxxiiij.

Leo Episcopus Martino presbytero.

GRatias agimus Deo, & multam fiduciam piæ exultationis accepimus, quum dilectionem tuam & catholicam fraternitatem ita spiritu fidei vigere cognoscimus, vt cordibus vestris nihil infirmitatis hæretica possit inferre tentatio, ad quam diuinitùs destruẽdam, nec defuit (vt scitis) solicitudo nostra, nec deerit, donec omnipotentis dextera omnia diaboli arma confringat. Cui ob hoc aliquid audere permittitur, vt à fidelibus CHRISTI gloria maiore vincatur. Si quid autem difficultatum inter uenit aut morarum, cum æquanimitate tolerandum est: quoniam vbi veritas est magistra, nunquam desunt diuina solatia, fratres charissimi. Quamuis ergo magna locorum interualla nos diuidant, vnitate tamen fidei vobiscum sumus, & toto corde Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum, & verum hominem confitentes, nulla in vobis detrimenta perpetimur, cùm de vestræ professionis concordia loriamur, tantùm vt sit auxiliante Domino, constantia perseuerans, dicente Apostolo: Vobis enim datum est pro Christo, non *Phil. 1.*
solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Ad quam fortitudinem sanctarum mentium roborandam, fratres nostros atque legatos, quos pro Apostoli: æ fidei libertate direximus, & quos dudum apud vos esse confidimus, plurimùm in credimus profuturos, cùm totius actionis uostræ didiceritis affectum, &

curam

Universidad de Deusto
Biblioteca

curam vestram atque consilium operi iunxeritis. De qua re non necesse est nunc latiùs scribere, quum iam per supradictos sufficientes epistolas miserimus, quib. abundantissimè omnis catholica fraternitas instruatur. Diuinæ erit virtutis & gratiæ, vt
1. Tim. 3. Dei filius, qui naturam humani generis suam fecit, ampliùs quàm videmus aut sapimus, magnum pietatis suæ asserat sacramentum, quod impia temeritas sibi quidem fraudauit, sed rectis cordibus non potuit. Data Idib. Septem. Valentiniano & Auieno viris clarissimis consulibus.

In Tom. Cõcil. est xxxv.

Epistola trigesimaseptima eiusdem ad Leonem Rauennatem Episcopum de his, qui de captiuitate redeuntes, incertum habent, vtrùm ante captiuitatem baptisma consequuti sint.

Tituli Capitulorum sequentis Epistolæ.

De paruulis, qui in captiuitatem deuenerunt, & baptismum non reminiscuntur se consequutos. I.

Vt ab hæreticis baptizatus, per impositionem manus spiritum sanctum accipiat. II.

Leo Episcopus, Leoni Episcopo Rauennati salutem.

An. Christi 451. pontificatus S. Leonis 12. scriptæ fuit hæc epistola, & 14. sequentes.

Requenter quidem in diuersarum ambiguo quæstionum titubantia fratrum corda, spiritu Dei instituente, solidauimus, responsionis formam vel ex sanctarum scripturarũ disciplinis, vel ex patrum regulis colligẽtes: sed nuper in synodo nouum & inauditum antèà genus consultationis exortum est.

Caput I.

De conse. dist. 4. Cũ itaque baptisoi. *qui

Nam quorundam fratrum suggestione comperimus, aliquos captiuorum ad sedes suas, libertatemque redeuntes, qui scilicet in captiuitatem illa ætate peruenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismi, sed vtrùm eiusdem mysterij antè sacramenta perceperint, infantiæ inscientia non posse reminisci: & ideó sub hoc latentis recordationis incerto, animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quæ ideò non impenditur, quia putatur impensa. Quum itaque tribuere talibus dominici sacramenta mysterij, non immeritò quorundam fratrum formido dubitaret, in synodali (vt diximus) cœtu formam huiusce modi consultationis accepimus, quàm diligentius discuti, & pro vniuscuiusque sensu solicita voluimus ratione tractari, quò ad veritatem, adhibita cognitione multorum certiùs peruenire possemus. Eadem ergo, quæ in sensum nostrũ diuina inspiratione venêre, frequens etiam fratrum firmauit assensio. In primis itaque prouidere debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita sit suspicationibus suis deditus, vt verum esse diffiniat, quod omni manifestatione cessante, ex opinione ambigua suspicatur? Cùm itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, * quòd nesciat consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille qui consecrat.

Scimus

Scimus quidem inexpiabile esse sacinus, quoties iuxta hæreticorum damnata à sanctis patribus instituta, cogitur aliquis lauacrum, quod regenerãdis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quæ nobis vnicam prædicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen deuenire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo, quoties persona talis inciderit, solicita primùm examinatione discutite, & longo tempore, nisi fortè supremus finis imineat, indagate, vtrùm nemo sit penitus, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis. Et cùm constiterit hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cuius in se nullum scit esse vestigiũ. Nec vereamur huic salutis ianuam aperire, quam nunquam antè docetur ingressus.

Caput II.

Baptizati ab hæretici, non rebaptizãdi.

Vòd si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per episcopalem manus impositionem virtutem sancti spiritus consequatur. Quam rem frater charissime, ideo generaliter ad omniũ vestrum volumus peruenire notitiam, ne dum plus iusto metuitur, misericordia Dei saluari cupientibus denegetur. Data nono Calend. Nouembris consulatu Martiani Augusti.

Epistola trigesimaoctaua eiusdem ad Martianum Augustum.

In Tom. Cõcil. est 36.

Leo Episcopus Martiano semper Augusto.

Literas pietatis vestræ accepisse me gaudeo, & ad significationem totius prosperitatis pertinere cognosco, cùm sermones vestri vos faciant integritate securos. Quãtas itaque clementiæ vestræ gratias referamus, non ex verbis nostris, sed ex beneficijs vestris, quæ Ecclesiæ contulistis, agnoscite, non ambigentes, qualem illum retributorẽ in omnibus habeatis, pro cuius estis tam pia religione soliciti, & qui vos (vt res ipsa demonstrat) ad hoc, vt fides catholica ab insidijs inimicorum suorum defenderetur, elegit. Hæc à me nunc breuiter per fratris mei Anatolij clericos pietas vestra dignanter accipiat. Pleniora autem de omnibus, quæ ad curã meam pro statu Ecclesiarum, & concordia pertinent Domini sacerdotum, per legatos nostros scripta direxerimus. Data Idib. April. Adelphio viro clarissimo consule.

Epistola trigesimanona eiusuem ad Pulcheriam Augustam, in qua gratias agit, quòd Nestorianam & Eutychianam hæresim fidei defensione destruxerit.

In Tom. Cõcil. est 37.

Leo Episcopus vrbis Romæ pulcherrimæ Augustæ:

Vod semper de sancta pietatis vestræ mente præsumpsimus id plenissimè experiendo cognouimus, Christianam fidem (quanuis diuersis prauorum appeteretur insidijs) vobis tamen præsentibus, & in defensionem eius à Domino præparatis, non posse turbari. Non enim Deus aut suæ misericordiæ sacramentum, aut vestri laboris deserit meritum, quo dudum subdolum sanctæ religionis hostẽ ab ipsis viscerib.

Ecclesiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ depulistis, cùm hæresim suam tueri impietas Nestoriana non potuit: quia non sefellit famulam & disciplinam veritatis, quantum simplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum agone processit, vt per solicitudinem vestram ea, quæ per Eutychen diabolus molitus est, non laterent: & qui sibi singulas partes geminę impietatis elegerant, vna catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis de perempto Eutychetis errore victoria est, quem si quid sani cordis habuisset, dudum in authoribus suis perculsum, olimq; prostratum, facilè potuerat declinare, ne de sepultis cineribus rediuiua tentaret incendia commouere, vt in eorum transiret consortium, quorum secutus esset exemplum, glorioßsima Augusta. Libet igitur exultare cum gaudio, & pro vestræ clementię prosperitate, digna Deo vota persoluere, qui tibi per omnes mũdi partes, in quibus Domini Euangelium prædicatur, duplicem iam & palmam contulit & coronam. Clemẽtia igitur vestra agnoscat, omnem Romanam Ecclesiam vniuersis fidei vestræ operibus plurimùm cõgratulari, siue quòd legationem nostram pio per omnia adiuuistis affectu, & quòd sacerdotes catholicos, qui de ecclesijs suis iniusta fuerunt iecti sententia, reduxistis, siue quòd reliquias sanctę memoriæ Flauiani innocentis & catholici sacerdotis ad ecclesiam (cui benè præfuit) fecistis cum honore debito reuocari. In quibus vtique omnibus gloriæ vestræ multiplicatur augmentum, dum & sanctos pro suis meritis veneramini, & ab agro Domini spinas & tribulos vultis auferri. Quosdam sanè Episcopos de his, qui reb. impijs videntur prębuisse cõsensum, reconciliationem reposcere, & catholicorum communionem desiderare, tam nostrorum, quàm fratris & coepiscopi mei Anatolij, cui testimoniũ ferre dignamini, relatione cognouimus: quorum desiderijs sic præbemus effectũ, vt correctis, & quæ malè sunt facta, propria subscriptione damnantibus, participata nostrorum (quos misimus) cura cum supradicto Episcopo, pacis gratia tribuatur, quia deuotionis vtrunque est Christianæ, vt & pertinaces veritas iusta coërceat, & cõuersos charitas non repellat. Quia verò nouimus, quantum pię solicitudinis catholicis sacerdotibus mãsuetudo vestra dignetur impendere, indicandũ esse curauimus, fratrem & coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse cõsortem, cuius commendamus Ecclesiam, quam dicitur vastare, qui illi iniustè adseritur subrogatus: illud etiam à vestra pietate poscentes, quod vos sponte facere non dubitamus arbitrio, vt tam fratrem & coepiscopũ meum Iulianum, quàm Constantinopolitanos clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus offici jis adhæsere, ea, qua debetis, gratia faueatis. De omnibus verò pietatem vestram pro nostros, quid fieri aut declarari deberet, instruximus. Data Idib. April. Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom. Cõcil. 3i.

Epistola quadragesima eiusdem ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum.

Capita sequentis epistolæ.

De fide eius, scriptis missis probata. I.
De his, qui metu in hæresim lapsi sunt, vt si conuersi fuerint, recipiantur. II.
De nominibus hæreticorum ad altare non recitandis. III.
De commendatione Iuliani Episcopi vel eorum clericorum, qui Flauiano Episcopo fide adhæserunt. IIII.

Caput I.

Leo Episcopus Anatolio Episcopo.

Gaudemus

Gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quia sicut dilectionis tuæ literis, & fratrum nostrorum, quos Cõstantinopolim miseramus, relatione cognouimus, sequacem te euãgelicæ eruditionis ostendis, vt per sacerdotis probabilem fidem meritò præsumamus, quòd tota ecclesia eidẽ credita, nec rugam cuiusquam sit erroris habitura nec maculam, dicente Apostolo: Despõdi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Illa est enim virgo Ecclesia, sponsa vnius viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari, vt per totum mundum vna nobis sit vnius castæ communionis integritas, in qua societatem tuæ dilectionis ample æstimur, & gestorum, quæ sumpsimus, seriem necessarijs (sicut oportuit) munitã subscriptionibus approbamus. Vt ergo inuicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur alloquijs, filios nostros * Casterium presbyterum, Patricium & Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta detulere, cum epistolis nostris, post venerabilem diem festi paschalis emisimus, indicantes nos (vt suprà diximus) de Constantinopolitanæ ecclesiæ pace gaudere, cui hanc curam semper impendimus, vt eam nulla velimus hæreticorum fraude violari.

2. Cor. 12.

**Charte-rium.*

Caput II.

DE fratribus verò, quos & epistolis tuis, & legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus, eò quòd doleant se contra potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cùm ita eos formido turbasset, vt in damnationem catholici atque innocentis antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem, quod præsentibus & agentibus nostris, cõstitutum est, approbamus, vt suarum interim ecclesiarum essent communione contenti: sed cum legatis nostris, quos misimus, participata tecum solicitudine, volumus disponatur, quatenus hi, qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur, ita vt digno priùs anathemate, quæ contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur. Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur, dicẽte Apostolo: Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Neq; enim potest in aliquo benignitas nostra repræhendi, cùm satisfacientes recepimus, quos doluimus esse deceptos. Nec asperè igitur communionis nostræ gratia denegãda est, nec temerè largienda: quia sicut plenum pietatis est, oppressis charitatẽ dominicam redhiberi, ita iustum est, omnia perturbationis authoribus imputari.

1. quæ. 1. In Ecclesia Dei quæ corpus. Rom. 8.

Caput III.

DE nominibus autem Dioscori, Iuuenalis, & Eustathij sacrum altare non recitandis, dilectionẽ tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse direxerint, quodque honorandæ sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & catholicos sua persequutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condemnent, quos conuenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

Caput IIII.

FRatrem verò, & coepiscopum nostrum Iulianum, vel clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officijs adhæserunt, dilectioni quoque tuę volumus adhęrere, vt quem fidei suæ meritis viuere apud Deum nostrum nouimus, in te sibi eum præsentē agnoscant. Illudque dilectionē tuam nosse volumus, fratrem & coepiscopum nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina laboresq; tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc communione persistere, cuius ecclesiam tua solitudine volumus esse defensam, vt nihil eodē absente depereat, & nullus ei in aliquo prędiudicare pręsumat, donec cum literarum nostrarum ad vos prosecutione perueniat. Et vt maior circa te vel nostra, vel totius Christianæ plebis affectio prouocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium voluimus notitiam peruenire, vt qui Deo nostro deseruiunt, de confirmata apud te pace sedis Apostolicæ gratulentur. De cęteris verò causis atque personis dilectio tua literis, quas per nostros accipiet, plenius instruetur. Data Idib. April. Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom. Cōcil. est xxxix.

Epistola quadragesimaprima eiusdem ad Iulianum Episcopum.

Leo Episcopus Iuliano Episcopo.

LIteras fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos clericos, nuncias tuæ salutis accepi: quibus te magnis tribulationib. grauatum fuisse significas, cùm vtiq; non defuerit materia solicitudini & laboribus, quæ inter procaces catholicæ fidei aduersarios, inhærētem veritati animum fatigaret, idq; (vt scribis) fuerit animo, vt per occasionem necessitatis, & nobis te, & patriæ præsentares. Quod verum futurum sperauera m, vt apertiùs omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoscerem. Sed gratias Deo, quòd ita incolumitas tua & Ecclesiæ cauſa profecit, vt liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis consensus innotuit, sicut & fratris Anatolij scripta profitentur, & gesta, quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta, demonstrant fratribus remeantibos. Ergo prędi ctis salutationibus vicissitudinem reddo, & vt contra falsitatis astutias perseuerātem diligentiam teneas, fidenter exhortor, cùm tibi ad hoc & tuus animus, & nostra authoritas suffragetur: quoniam licet de multis meliora indicata sint, quòd scilicet doleant se deceptos, & damnata perfidia tum authoribus suis, gratiam nostrę communionis expoſcant, quod nos adeò libenter accepimus, reddituri his hanc, quam desiderant, communionem, quum promissa compleuerint, tamen quosdam persistere in sua obduratione cognouimus, quos oportet districtiùs comprimi: si nequeūt benignitate sanari. Ad quam rem nostros post diem venerabilē dirigemus, qui tecum participato consilio, ea quæ à nobis constituta fuerint, exequantur. Data Idib. Apr. Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom Cō cil. est xl.

Epistola quadragesimasecunda eiusdem ad Martianum Augustum, in qua pro conseruatione catholicæ fidei illi congratulatur.

Leo

Leo Episcopus Romanæ Ecclesiæ, Martiano semper Augusto.

QVanùis per Constantinopolitanos clericos ad pietatem vestram ante rescripserim, sumptis tamen clementiæ vestræ literis, per virum illustrem præfectum vrbis filium meum Tatianum, magnam materiā gratulationis accepi, quia studiosissimos vos Ecclesiasticæ pacis agnoui. Cui sancto desiderio digna æquitate cōfertur, vt quem statum esse cupitis religionis, eundē habeatis & regni. Nam inter principes Christianos, spiritu Dei confirmante cōcordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur: quia profectus charitatis & fidei, vtrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, vt propitiatio per vnam confessionem Deo, simul & hæretica falsitas, & barbara destruatur hostilitas, glorioſissime Imperator. Aucta igitur per Imperialem amicitiam spe cęlestis auxilij, confidentiùs pietatem vestram pro sacramento salutis humanæ incitare præsumo, ne cuiusquam procaci impudentiq; versutia quasi de incerto, quid sequendum sit, sinatis inquiri: vt quum ab euangelica, apòstolicaq; doctrina nec vno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de scripturis diuinis sapere, quàm beati apostoli & patres nostri didicere atque docuerunt, nunc demum in disciplinatæ moueantur & impiæ quæstiones, quas olim mox, vt eas per apta sibi corda diabolus excitauit, per discipulos veritatis spiritus sanctus extinxit. Nimis autem iniquum est, vt per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum & ad carnalium disputationum bella reuocemur, tanquàm reparata disceptatione tractandum sit, vtrùm Eutyches impiè senserit, & vtrùm impiè Dioscorus iudicarit, qui in sanctæ memoriæ Flauiani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, vt in eandem ruinam prouoluerentur, impegit, quorum multis iam (vt cognouimus) ad satisfactionis remedia conuersis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides, tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Vnde pijssimæ solicitudini vestræ, quam de indicenda synodo habere dignamini, per legationem, quæ confestim ad clementiam vestram, Deo annuente, perueniet, quicquid ad causæ vtilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportuniùs suggeretur. Data nono Calend. Maij, Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom. Cō cil. est xli.

Epistola quadragesimatertia eiusdem ad Martianum Augustum, de directa vicis suæ legatione Constantinopolim, pro Chalcedonensi Concilio faciendo.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

PRoposcerā quidem à glorioſissima clementia vestra, vt synodum, quam pro reparanda orientalis Ecclesiæ pace, à nobis etiam petitam, necessariam iudicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis, vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, cōuenirent. Sed quia pio studio humanis negocijs diuina præponitis, & rationabiliter ac religiosè regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in euangelij prædicatione discordia: ego etiam vestris dispositionibus non remitor, optans vt omnium cordibus catholica fides, quæ non potest nisi vna esse, firmetur. A cuius integritate & Nestorius anteà, & nunc Eutyches, diuersis quidē callibus, sed impietate non impari deuiarūt, abominādi prorsus

Universidad de Deusto
Biblioteca

in perſuaſionibus ſuis, quas contra ſyncerum veri luminis fontem, de cœnoſis lacubus diabolicæ falſitatis hauſerunt. Prior itaque Synodus Epheſina Neſtorium cum dogmate ſuo meritò iuſtæq; damnauit, & quiſquis in illo errore perſiſtit, ad nullius poteſt ſpem remedij peruenire. Sequens verò in prædicta ciuitate non poteſt vocari Concilium, quod in euerſionem fidei fuiſſe cõſtat agitatum, quodq; veſtra clementia amore veritatis, catholicis adſutura, aliud ſtatuendò caſſabit, glorioſiſsime Imperator. Vnde per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regni veſtri eſt author & rector, obteſtor & obſecro clemẽtiam veſtram, vt in præſenti ſynodo fidem, quam beati patres noſtri ab apoſtolis ſibi traditam prædicarũt, non patiamini quaſi dubiam retractari, & quæ olim maiorum ſunt authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari. Illudque potiùs iubeatis, vt antiquæ Nicenæ ſynodi conſtituta, remota hæreticorum interpretatione, permaneant. Nec me quoque (vt voluit veſtra clementia) ab illo credatis abeſſe Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id eſt, Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio presbyteris, ſed & in fratre meo Iuliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda præſentia. Quos auxiliante Chriſto, ita acturos eſſe confido, vt ea, quæ Domino noſtro placeant, decernentes, accende pietatis veſtræ ſtudio conſulant, quod & paci proſit religionis & cuſtodiæ veritatis. Data quinto Calendas Iunij, Adelphio viro clariſsimo conſule.

Semel in Concilio definita nõ in dubium reuocãda.

In Tom. Cõcil. eſt xliij.

Epiſtola quadrageſimaquarta eiuſdem ad Martianum Auguſtum, vbi inter cætera pro defenſione fidei Imperatori gratulatur.

Leo Epiſcopus Martiano Auguſto.

MVltam mihi fiduciam ſcribendi ad clementiam veſtram, & literæ veſtræ, quas veneranter accepi, & coepiſcopi mei reuertentes à Conſtantinopoli præbuerunt, non ſola adſertione verborum, ſed ipſis iam operum effectibus demonſtrantes, ad defenſionẽ catholicæ fidei diuinum in vobis vigere præſidium. Quo vtique non ſolùm Eccleſiæ ſtatus, ſed etiam veſtri robur munitur Imperij, vt meritò eius expectetis protectionem, cuius colitis veritatem, glorioſiſsime Imperator. Nam vt & fratris mei Anatolij citiùs manifeſtaretur integritas, & olim damnati erroris rediuiuus adſertor locum in Chriſti Eccleſia non haberet, vt catholici Epiſcopi, quos nuper hæreticorum perſequutio deprauare non potuit, ab iniuſtis reuocarentur exilijs, vtq; reliquis beatæ memoriæ Flauiani digno honore ſuſceptis, impietatem ſuam condemnator eius agnoſceret, veſtræ virtutis titulus, veſtræ pietatis eſt fructus. Cui confido etiam aliarum inſignia accumulanda palmarum, vt ſicut Conſtãtinopolitana eccleſia, recepta Apoſtolicæ fidei libertate, lætatur, ita omnes regni veſtri prouinciæ emundatas ſe eſſe à diabolici dogmatis contagione glorientur. Vt ergò præcedentibus literis indicaui, fratres meos Lucentium Epiſcopum, & Baſiliũ presbyterum, qui ſolicitudinis meæ partes poſsint implere, direxi, fauore eos pietatis veſtræ in omnibus, quæ ſunt agenda, commendans. Nam cùm & fratris mei Anatolij ſcriptis, & noſtrorum ſermone cognouerim, multos de his, qui apud Epheſum Dioſcori factione compulſi, deteſtabilibus ſtatutis præbuere conſenſum, pœnitẽdo inconſtantiæ ſuæ veniam poſtulare, & communionẽ catholicam per ſatisfactionem correctionis expetere, non fuit talium negligenda conuerſio, qui non proprio ſenſu, ſed * impij præſumptoris impulſu in hæc incidiſſe noſcuntur, in quibus liberum non habuere iudicium. Ne itaq; vel reſipiſcẽtium deſideria mora longior fatigaret, vel

In Tom. Cõcil. eſt xliij.

* *improbi.*

vel incurioſa facilitas temerè aliquos & ſine diſcretione ſuſciperet, iniunctum eſt ab Apoſtolica ſede directis, vt in conſortium ſuæ deliberationis accito Conſtantinopolitanæ vobis antiſtite, & peſtilentiæ contagia non admittantur, & ſanitatis remedia non negentur. Quæ induſtria in omnibus, quæ nequiter geſta ſunt, emẽdandis, celerem (iuuante Domino) conſequetur effectum, ſi reparationi pacis Eccleſiaſticæ opem ſuam veſtra pietas dignetur adiũgere, vt vobis in terra regnantibus, & Dei regnum intra vos habere mereamini, & catholicam fidem nulla falſitas violet, nulla hæreſis inquietet, nec cuiquam liceat doctrinam euãgelicam deſerere, & ſacerdotali honore gaudere. Synodum verò fieri, vt meminit veſtra clementia, etiam ipſi poſcimus. Sed ſacerdotes prouinciarum omnium cõgregari præſentis temporis neceſsitas nulla ratione permittit, quoniã illæ prouinciæ, de quibus maximè ſunt euocandi, inquietante bello, ab eccleſijs ſuis eos non patiuntur abſcedere. Vnde oportuniori tempori, propiciato Domino, cùm firmior fuerit reſtituta ſecuritas, iubeat veſtra clementia reſeruari. De qua re pleniùs inter cætera apud pietatem veſtram poterunt allegare, quos miſi. Data * 5 Idus Iunij, Adelphio viro clariſsimo conſule.

Cauſa deſignatur, prohibens celebrare Concilium.

* *7. Idus*

Epiſtola quadrageſimaquinta eiuſdem ad Pulcheriam Auguſtam.

In Tom. Cõcil. eſt xliij.

Leo Epiſcopus Pulcheriæ Auguſtæ.

REligioſam pietatis veſtræ ſolicitudinem, qua vniuerſo mundo, Deo inſpirante, conſulitis, crebrioribus alloquijs incitare præſumo, vt operum veſtrorum profectum neceſſaria perfectio ſubſequatur, ac ſicut de ſtatu Conſtantinopolitanæ eccleſiæ gratulamur, cuius & ſacerdos & populus catholicæ puritatis fidem iam tenere cognoſcitur, ita etiam aliorũ concors nobiſcũ ſit de verbi incarnatione cõfeſsio. Vnde quod facturum me alijs literis indicaueram, Lucentium Epiſcopum, & Baſilium presbyterum fratres meos dirigere præparaui, qui diſpoſitiones meas, fratris mei Anatolij deuotione ſociata, ſecundùm eas, quas acceperunt regulas, exequantur. Sicut enim prædicti Epiſcopi ſcriptis, & clericorum eius ſuggeſtione patefactũ eſt, multa ſunt, quæ indulgentiùs ſunt curanda, multa quæ iuſtiùs coërcenda, vt in cauſa tãtæ perturbationis, nec diſtrictio nimis ſit aſpera, nec remiſſio parùm cauta, quum aliud ſatisfacientibus, aliud pertinacibus debeatur. Offertur ergo pietati veſtræ digna materia, quæ placitam Domino curam ſancti cordis exerceat, & præcedentium meritorum coronas etiam de præſentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Neſtoriana impietas, ita & Eutychiana blaſphemia ab omnium eſt catholicorum eliminanda conſortio. Quia tam impium eſt, conſubſtantialem & coæternam patri filij deitatem, etiam ex vtero virginis matris partu editam negare corporeo, quàm vnam in Dei filio poſt incarnationis ſacramentum affirmare naturam, vt ſcilicet aut humanitas eius refutetur, aut deitas: cùm vnione vtriuſque eſſentiæ, nec altera ſit in alterutram verſa, nec adſumpta in aſſumente finita: ſed & verbi incommutabilitas, & cărnis atq; animæ veritas maneant inſeparabiliter in vnitate perſonæ: quod qui teſtificante lege, credentibus patriarchis, annuẽtibus prophetis, prædicante euangelio, docentibus Apoſtolis, & toto mundo confitente non credunt, extra ſacramentum corporis Chriſti, extra vnitatem ſunt nominis Chriſtiani. Quorum ſicut ruinam dolemus, ita perfidiam deteſtamur. Vt autem circa talium perſonas ſyncerum ſeruetur vbiq; iudicium, & aliud correctis, & aliud pertinacib. repẽdatur, veſtra pietas noſtros, qui ab Apoſtolica ſede ſunt miſsi, fouere dignetur, eorumq; omnes, quas iniunximus, adiuuet actiones, quò citiùs ac faciliùs, auxiliãte Domino, quæ ad veſtrã gloriam, & ad totius Eccleſiæ pacem proficiant, exequãtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Eutyche autem totius scandali & prauitatis authore hoc clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco, qui Constantinopolitanæ vrbi nimis vicinus est, longius transferatur, ne frequentioribus solatijs eorum, quos ad impietatem suam traxit, vtatur. Monasterio quoque ipsius, cui perniciosè indigneque præsedit, catholicum abbatem iubete præponi, qui illam seruorum Dei congregationem & à prauo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere. Data Idibus Iunij, Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom. Cō cil. est xliij.

Epistola quadragesimasexta eiusdem ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, de his, quæ hæreticorum erroribus metu, non voluntate implicantur, vt per satisfactionem in Ecclesia suscipiantur.

Leo Episcopus, Anatolio Episcopo in Domino salutem.

LIcet sperem dilectionē tuam ad omne opus bonum esse deuotam, vt tamen efficacior tua fieri possit industria, necessarium & cōgruum fuit fratres meos Lucentium Episcopum, & Basilium presbyterum (vt promisimus) destinare, quibus tua dilectio societur, vt nihil in his, quę ad vniuersalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter, cum resident ibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis iniunximus, ea possint agi cuncta moderatione, vt nec benenolentiæ partes, nec iustitiæ negligantur, sed absque personarum acceptione diuinum in omnibus iudicium cogitetur. Quod vt recta obseruantia valeat custodiri, catholicæ primitùs fidei seruetur integritas, vt quia per omnia, angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam, neq; in finistram, neq; ad dexterā ab eius tramite deuietur. Et quia euangelica & apostolica fides omnes expugnat errores, & ab vno latere Nestorium deiecit, ab alio Eutychen & participes eius elidit: hanc regulam memētote seruādam, vt quicunq; in illa synodo, qui nomen synodi nec habere potuit, nec meretur, & in qua maleuolentiam suam Dioscorus, imperitiam autem Iuuenalis ostēdit, dolent, vt dilectionis tuæ relatione comperimus, se metu victos, & terrore superatos, ad consensum sceleristissimi iudicij potuisse compelli, & communionem catholicam obtinere desiderant, satisfactioni eorum pax fraterna præstetur, ita vt non duhis professionibus Eutychen cum suo dogmate, cumq; consortibus suis anathematis execratione condamnēt. De his autem, qui in hac causa grauiùs peccauēre, & ob hoc superiorem sibi locum in eadem in felici synodo vendicarunt, vt humilium fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præiudicijs aggrauarent, si forte resipiscunt, & à factis sui defensione cessantes, in condemnationem proprij conuertuntur erroris: horum si satisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus Apostolicæ sedis consilijs reseruetur, vt examinatis omnibus atq; perpensis, de ipsis eorū * agnitionibus, qui constitui debeat, æstimetur. Neq; priùs in ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cuiusquā talium (vt antè iam scripsimus) nomen ad altare recitetur, quàm quid de eis cōstitui debeat, rerum processus ostendat. De cōmonitorio verò, à clericis dilectionis tuæ nobis oblato, necessariū non fuit epistolis quid videretur, inferere, cùm sufficeret legatis cuncta cōmitti, quorum sermone ex omnib. diligētiùs instruēris. Annitere igitur, frater charissime, vt quæ Ecclesię Dei congruūt, fideliter & efficaciter cum his fratrib. quos tātæ rei idoneos authores elegimus, exequaris, præsertim cùm & ipsa vos causæ ratio, spesq; diuini auxilij cohortentur, & clemen-

Matt. 7. Ephesinā secundam intelligit, quæ prædixerat dicitur.

* actionib.

clementissimorū principum tam sancta sit fides, tam religiosa deuotio, vt in eis nō solùm Christianū, sed etiā sacerdotalem experiamur affectū. Qui vtiq; pro ea pietate, qua se Dei famulos esse gloriantur, oēs suggestiones vestras fidei catholicæ prosuturas, dignanter accipiēt, vt ipsorum quoq; ope & pax Christiana reparari, & error impius possit aboleri. Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandū, celeriter ad nos relatio dirigatur, vt pertractata qualitate causarū, nostra, quid obseruari debeat, solicitudo constituat. Data * quinto Idus Iunij, Adelphio viro clarissimo consule.

* sexto

In Tom. Concil. est xlv.

Epistola quadragesimaseptima eiusdem ad synodum Chalcedonensem, vbi hortatur per legatos Dei sacerdotes, vt secundùm scripturas cuncta disponerent.

Leo Episcopus, sanctæ Synodo apud Chalcedonam constitutæ, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

OPtaueram quidem dilectissimi pro nostri charitate collegij, omnes Domini sacerdotes in vna catholicæ fidei deuotione persistere, nec quenquam gratia aut formidine potestatum secularium deprauari, vt à via veritatis abscederet. Sed quia multa sæpè, quæ pœnitudinem possint generare, proueniūt, & superat culpas delinquentium misericordia Dei, atq; ideò suspenditur vltio, vt possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacē voluit conuenire, beatissimi Petri iure atq; honore seruato, adeò vt nos quoq; suis literis inuitaret, vt venerabili synodo nostrā præsentiam præberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla cōsuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet præsidere non abiuncta à vobis præsentia mea, qui nunc in vicarijs meis adsum, & iamdudum in fidei catholicæ prædicatione non desum, vt qui nō potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Vnde, fratres charissimi, reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitùs inspiratā, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm euangelicas authoritates, secundùm propheticas voces, apostolicāq; doctrinam plenissimè & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramēto incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia & syncera cōfessio. Quia verò non ignoramus, per prauas æmulationes, multarū ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosq; Episcopos, quia hæresim non receperint, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atq; in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitùs adhibeatur medicina iustitiæ: nec quisquā ita careat proprijs, vt alter vtatur alienis, cùm si (vt cupimus) errorem omnes relinquūt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis, qui pro fide laborauerunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari. Prioris autem Ephesinæ synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus episcopus tunc præsedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant, ne tunc damnata impietas, ideò sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches iusta execratione percellitur. Puritas enim fidei atq; doctrina, quam eodem, quo sancti patres nostri, spiritu prædicamus, & Nestorianam, & Eutychianam, cum suis authoribus, condemnat pariter & persequitur prauitatem. Data quinto Cal. Iulij, Adelphio viro clarissimo consule.

Romanū pontifex præsidet œcumenicis Concilijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tom. Concil. est xlvj.

Epistola quadragesimaoctaua eiusdem od Anatolium Episcopum.

Leo Episcopus Anatolio confratri.

AD declinandam erroris maculam, qua nõnullos aut Nestoriana impietas, aut Eutychiana labefactauit insania, laudabilem curam filij nostri Basilius & Ioannes presbyteri suæ æstimationis habuerunt, vt inter pugnantia dogmata falsitatis, vera catholicæ fidei pace gauderent. Siquidem longinquo peregrinationis labore suscepto, sensum cordis sui in Apostolica sede patefecêre, damnantes vtraq; hæresim, quarum suprà fecimus mentionem, & de incarnatione Domini nostri Iesu Christi nõ aliud recipientes, quàm quod instruente sancto spiritu, & didicimus, & docemus. Per hos ergo, frater charissime, cum testimonio nostro ad propria reuertentes, dilectioni tuæ nostra scripta direximus, fidenter orantes, vt qui gratia Apostolicæ communionis ornantur, etiam tuo fauore per omnia se gaudeãt adiuuari. Data xiij. Calend. Iulij, Adelphio viro clarissimo consule.

In Tom. Concil. est xlvij.

Epistola quadragesimanona eiusdem ad Martianum Augustum.

Leo Episcopus Martiano semper Augusto.

REdebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, vt præsenti necessitate respecta, differri ad opportunius tempus sacerdotalem synodum iuberetis, vt vocatis de cunctis prouincijs sacerdotibus, verè posset esse vniuersale Concilium. Sed quia vos amore catholicæ fidei cõgregationem nunc fieri voluistis, ne deuoto obuiare videret arbitrio, fratrem & coepiscopum meum Paschasinum de eà prouincia, quæ videtur esse securior, euocatum, qui vicem præsentiæ meæ posit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & compresbytero sociato, & his, quos anteà miseramus, adiunctis, consortem illis fratrem quoque meum Iulianum addentes episcopum. Quos ea moderatione vniuersa, Domino auxiliante, credimus esse gesturos, vt quæcunque in querelam perturbationemque veniunt, ad vnitatem pacis & fidei, compressa omni dissensione, reuocentur, nec vllum in aliquorum cordibus sacerdotum, vel Nestorianæ, vel Eutychianæ impietatis vestigium relinquatur: quoniam catholica fides, quam instruente nos spiritu Dei, per sanctos patres à beatis apostolis didicimus, & docemus, neutrum subrepere permittet errorem. Si quid ergo morborum, si quid est vulnerum, quod syncera possit correctione curari, vt ad veram sanitatem reuocetur, optamus. Quæ nunc vtiq; non erant dubia, nec cuiusquam simplicitati deinceps nocitura, si nullis se excusationibus voluerit obumbrare, cùm absolutionem peccati non obtineat nisi vera confessio. Quia verò quidam de fratribus (quod sine dolore non dicimus) contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem & coepiscopum meum vice mea synodo conuenit præsidere. Certus sum enim, quòd absq; odio & gratia ibidem ab his, quibus hoc commisimus, laboretur, vt cum foliis hæreticæ impietatis excidio, in omnibus ecclesijs Dei veritas regnet & charitas. Data 6. Calend. Iulij, Adelphio viro clarissimo consule.

Ro. Pontifex Synodo præsidet.

In Tom. Concil. est xlviij.

Epistola quinquagesima eiusdem ad eundem Martianum Augustum.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

Sanctum

SAnctum clementiæ vestræ studium, quò ad reparationem pacis Ecclesiasticæ synodum habere voluistis, adeò libenter accepi, vt quanuis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quò scilicet plurimi possent episcopi etiam de longuinquis prouincijs euocari, mox tamen, vt mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab vrbe direxerim, de episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim nauigare, qui vicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem epistolis ad eos, qui legationem antè susceperant, vt ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ præsentiæ iungerentur. Vnde quanuis nimis arctus dies synodo fuerit constitutus, spero tamen adfuturum omnipotentis auxilium, quò omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere, & vnanimiter cum sanctæ fraternitatis assensu, quæ vniuersali Ecclesiæ congruant, definire. Compressa enim vel remota inquietudine ac prauitate paucorum, facilè firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam euangelicis & apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitùs disputatione cuiusquam retractationis admissa, ne per vanam fallaceméq; versutiam aut infirma videãtur, aut dubia, quæ in ipso lapide angulari CHRISTO fundata sunt, & sine fine mansura: hoc nobis indesinenter orantibus, vt à sacramento singularis fidei nemo inueniatur alienus, sed damnata impietate hæreseos, nullum de perditione cuiusquam catholica Ecclesia sentiat detrimentum. Quod autem pietatem vestram de his, per quos meas missas epistolas obsecraui, nunc quoq; simili fiducia precor, vt vice mea acturos, commendatos per omnia habere dignemini, quò faciliùs ac diligentiùs, quæ optimo fidei vestræ ordinata sunt studio, salubri impleantur effectu. Data decimoquarto Calendas Augusti, Adelphio viro clarissimo consule.

Semel defuncta non sunt in dubiũ vocanda.

Epistola quinquagesimaprima eiusdem ad Pulcheriam Augustam per Theosticum Magistrianum.

In Tom. Concil. est xlix.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

REligiosam clementiæ vestræ solicitudinem, quam catholicæ fidei indefinenter impẽditis, per omnia recognosco, & DEO gratias ago, quòd tantam vniuersalis Ecclesiæ curam habere vos video, vt quod iustitiæ & beneuolentiæ congruere arbitror, confidenter insinuẽ, quò celeriùs, quæ, propitio Christo, pietatis vestræ studio irreprehensibiliter hactenùs gesta sunt, ad gratulandum perducantur effectum. Quòd ergo synodum Chalcedonensem haberi clementia vestra præcepit, cùm à me, vt in Italia haberetur, mansuetudo vestra retineat postulatum, vt oẽs nostrarum partium conuocati antistites, si securitas temporis suppeteret, conuenirent: adeò tamen non aspernanter accepi, vt binos de coepiscopis meis & compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, etiam datis ad venerabilem synodũ congruentibus scriptis, quibus fraternitas aduocata cognosceret, quam formam seruare in hac dijudicatione deberet, ne vlla temeritas aut fidei regulis, aut canonũ statutis, aut benignitatis remedijs obuiaret. Sicut enim à principio huius causæ frequentissimè scripsi, hanc inter discordes sensus & carnales æmulationes moderationem volui custodiri, vt integritati quidẽ fidei nihil euelli liceret apponi: ad vnitatẽ verò, pacemq; redeuntibus, remediũ veniæ præstaretur: quia tunc operum

diaboli

Ro. Pontifex præscribit formã Synodo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diaboli potentiæ destruuntur, quum ad Dei & proximi dilectionem hominum corda reuocantur. Sed quàm contraria tunc his monitis atque obsecrationibus mejs acta sint, multum est explicare: nec opus est epistolari pagina compræhendi, quod in illo Ephesino non iudicio, sed latrocinio potuit perpetrari. Ibi primates synodi, nec resistentibus sibi fratribus, nec consentientibus pepercerunt, cùm ad infringẽdam catholicam fidem & ad execrabilem hæresim roborandam, alios priuilegio honoris exuerint, alios consortio impietatis infecerint, sæuiores profectò in eos, quos persuadendo ab innocentia separabant, quàm in illos, quos beatos confessores persequendo faciebant. Veruntamen quia sibi maximè sua iniquitate nocuerunt, & maioribus vulneribus diligentior est adhibenda medicina, nullis vnquam epistolis definiui etiam talibus, si resipiscerent, veniam denegandam. Et quanuis incomparabiliter inimicissimam Christianæ religioni hæresim detestemur, ipsos tamen, si corrigantur, & digna se satisfactione purificent, ab ineffabili misericordia Dei non iudicamus alienos, sed potiùs cum gementibus gemimus, & cum flentibus flemus, & sic vtimur iustitia commotionis, vt non amittamus remedia charitatis. Quod, sicut pietas vestra cognoscit, non verbis solis promittitur, sed etiam factis docetur. Siquidem penè omnes, qui in consensum præsidentium aut traducti fuerant, aut coacti, rescindendo quod statutum fuerat ab illis, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem, & Apostolicæ pacis gratiam sunt adepti. Si ergo clementia vestra propositum nostrum considerare dignetur, probabit me eo consilio cuncta gessisse, vt sine cuiusquam animæ detrimento, hæreseos tantùm obtineretur extinctio, & ob hoc circa authores sæuissimorum turbinum, quiddam consuetudinis minuisse, vt ad indulgentiam postulandam compunctione aliqua posit eorum tarditas excitari. Qui etsi post illud iudicium suum tam impium, quàm iniustum, non sunt catholicæ fraternitati ita honorabiles, vt fuerunt, suas tamen adhuc obtinent sedes, & episcopatus sui honore potiuntur, aut per veram & necessariam satisfactionem pacem Ecclesiæ recepturi, aut si hæresim (quod absit) tuebuntur, professionis suæ merito iudicandi. Data 13. Calend. Augusti, Adelphio viro clarissimo consule.

Epistola Ceretij, Salonij & Verani Episcoporum Gallorum ad Leonem Papam.

Domino sancto, beatissimo patri, & Apostolicæ sedis dignissimo Papæ Leoni, Ceretius, Salonius & Veranus.

REcensita epistola beatitudinis vestræ, quam de fidei instructione conscriptam, ad Constantinopolitanum episcopum destinastis, dignum esse censuimus, vt tantæ doctrinæ vbertate deitati, debitas gratias saltem oblato literarum officio redderemus. Paternæ siquidem erga nos pietatis vestræ solicitudinem cõprobantes, anticipationi curationis vestræ hoc nos magis obnoxios cõfitemur, quòd remediorũ beneficia ante malorum experimenta cognouimus. Scientes nanque pene fera esse remedia, quæ adactis iam vulneribus apponuntur, vt Apostolicis illis munitionibus induamur, prouidæ pietatis vocibus præmonetis. Agnoscimus plane beatissime Papa, qua ad nos interiora pectoris vestri peculiari affectione transmiseritis, quorum incolumitati aliorum curatione succurritis: & dum ex aliorum præcordijs infusa antiqui serpentis venena producitis, quasi in quadam charitatis specula constituti, Apostolica illa cura ac solicitudine conclamatis, ne inopinantibus improuisus hostis adueniat, ne vulneri locum præbeat incauta securitas, Domine sancte, beatissime pater, & Apostolica sede dignissime Papa. Magna præterea & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione succrescimus, quòd illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium ecclesiarum conuenticula celebratur, vt verè consona omnium sententia declaretur, meritò illic principatũ sedis Apostolicæ constitutum, vnde adhuc Apostolici spiritus oracula referentur. Idcircò si dignanter admittitis, deprecamur vt opus & præsentibus & futuris temporibus profuturum, quod nos asseruandi studio solijs mandare curauimus, sanctitas vestra percurrere, & si quid librarij errore defuerit, emendare dignetur: vel si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studij vestri accumulastis augmẽto, idipsum addi libello huic solicita pietate in beatis, vt non solùm plures sancti episcopi fratres nostri per Gallias, verumetiam multi ex laicis filij vestri, qui epistolam istam magnoperè pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & sancta manu vestra emendatam transscribere, legere & tenere mereantur. In rem missas, si dignum ducitis, redire mox cupimus: vt quia incolumitas vestra, exultatio & salus nostra est, citiùs ad nos relatu desiderabili salutis vestræ gaudia recurrant. Et alia manu: Memorem coronam vestram humilitatis nostræ Christus dominus longæua ætate conseruet, domine sancte, beatissime pater, & Apostolica sede dignissime Papa. Ceretius susceptus vester, Apostolatum vestrum saluto, commendans me orationibus vestris. Salonius venerator vester, Apostolatum vestrum in Domino saluto, orationum vestrarum subsidia deposcens. Veranus cultor vestri Apostolatus beatitudinem vestram saluto, & vt pro me oretis peto.

Principatus sedis Apostolicæ.

Epistola Rauennij, aliorumq; Episcoporum Gallorum, ad Leonem Papam, fidei eius, quam ad Orientem direxit, laudes dicentium.

Domino verè sancto, meritò in Christo beatissimo, & Apostolico honore venerando Papæ Leoni, Rauennius, Rusticus, Venerius, Constantinus, Maximus, Armentarius, Florus, Sauinus, Valerianus, Constantius, Nectarius, Maximus, Asclepius, item Maximus, Vrsus, Ingenulus, Iustus, Valerianus Superuentus, Crisaphius, Fonteius, Petronius, Hydatius, Etherius, Eulalius, Eutychius, Fraternus, Venturus, Eugenius, Hilarius, Verus, Amandus, Gerontius, Proculeianus, Iulianus, Helladius, Armentarius, Honoratus, Hepartius, Amenius, Dynamius, Maximinus, Ynantius & Palladius.

Epistola Episcoporũ Gallicorũ egregia.

PErlata ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro catholicæ fidei adsertione misistis, optassemus & statim apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatẽ, qua in vnum celeriter non potuimus conuenire, vel spatia, quibus à nobis dispalati sumus, longa terrarum, vel aurarum, quæ in regionibus nostris præter consuetudinem fuit, intemperies, attulisset. Det ergo apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de ocio aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit, quæq; à nobis, etsi celeritatis gratiam abstulit, exultandi tamen materiam auferre nõ potuit. Exultauimus itaque Christo propitio, lectis beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos, exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tene-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenebras inciderunt. Quæ apostolatus vestri scripta, vt symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quò ad cõfundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendauit. Multi itaq; in ea gaudentes pariter & exultantes, recognouerunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, vt vester apostolatus exposuit, iure lætantur. Nõnulli solicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione præcepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamq; sibi occasionem gaudent, qua liberè ac fiduialiter, suffragante etiam Apostolicæ sedis authoritate, eloquantur, & adserat vnusquisque quod credit. Quis autem apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quo non solùm Gallias, sed totum mundum, velut quibusdam preciosissimis gemmis ornauit, dignas æstimet gratias posse persolui? Doctrinæ post Deum vestræ debet fidelis, vt constanter teneat, quod credebat: debet etiam infidelis, vt à perfidia sua, agnita veritate discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisq; sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de sacramento incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ salutis & veritatis inimicus instillat. Optassemus etiam ad filiũ vestrum, glorio-
Imperatorem vocãt Papæ filiũ. sissimum ac fidelissimum principem super eadem causa literas dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoq; nostræ solicitudinem, qua vos in Christo sequimur, proderemus, nisi ad nos de Orientalibus partibus nũcio perlato, fieri hoc, minimè necessarium putassemus. Meritis autẽ apostolatus vestri pius Dominus prę-stitit, vt hæresim, iam diu occultè nutritam, vestris temporibus proderet. Ad laudẽ enim solicitudinis vestræ pertinet, quòd malorum error latère non potuit: ad glorioſæ fidei ædificationem redundat, quòd praua persuasio participes aut non inuenit, aut inuentos amisit. Respiciat itaq; conseruando apostolatum vestrum misericors Dominus Ecclesiam suam, toto orbe diffusam. Vobis enim ita inuigilantibus, & hi qui curam animæ suæ gerunt, solicitiores in fide redduntur: & hi, qui paulò desides sunt, tanto ad solicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos semper habentes, non desinemus Deo ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare, gratulantes quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæq; doctrinę Apostolicæ sedi, vnde religionis nostræ, propicio Christo, fons & origo manauit, antistitẽ dederit, petentes etiam, vt datum concessumq; munus pontificij vestri, longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid (quod absit) contra Ecclesiam catholicam prophana infestatione tentetur, parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc authori salutis nostrę, & largitori æternitatis impendere. Et alia manu: Ora pro me, Domine meritò beatissime, & Apostolico honore venerande Papa. Rusticus Episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans saluto, & vt digneris pro me orare, supplex rogo. Venereus, te Dominum in Christo meum, reuerendissimè saluto, & vt digneris pro me orare, supplex rogo. Constantinus episcopus beatitudinem vestram saluto. Similiter & omnes episcopi suprascripti admodùm reuerenter & honorificè salutauerũt.

In Tom. Cõc. est 50.

Epistola quinquagesimasecunda Leonis Papæ ad omnes Episcopos Galliarum, de damnatione hæreticorum.

Leo Romanæ vrbis Episcopus Rauennio, Rustico, Venereo, Constantino, Maximo, Armentario, Floro, Sauino, Valeriano, Constantio, Asclepio, Nectario, Maximo, Vrso, Ingenulo, Iusto, Valeriano, Superuento, Crisaphio, Fonteio, Petronio, Hydatio, Etherio, Eulalio, Eutychio, Fraterno, Venturo, Eugenio, Hilario, Vero, Amãdo, Gerontio,

rontio, Proculeiano, Iuliano, Helladio, Armentario, Honorato, Hepartio, Amenio, Dynamio, Maximino, Ynantio & Palladio Episcopis per Gallias constitutis.

Anno Christi 452. põtificatus S. Leonis 13. fuit scripta hæc epistola & 3. sequentes.

Optassemus quidẽ fraternitatis vestræ literas eo tempore, quo promiseratis, accipere, vt profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio iungeretur. Sed cùm multa obstacula inopinatam nobis intulerint tarditatem, quamlibet seras, & diù expectatas epistolas per fratrem & coepiscopum nostrum Ingenulum gratanter accepimus: easq; cum gaudio recensentes, probauimus, sicut confidebamus, eruditione spiritus sancti cælestem in vobis vigere doctrinam: quam in Orientalibus ecclesijs versutia hostis antiqui, per eos, quos sequaces suos reperit, falsitasq; fatigare conata est, cùm catholica fides, quæ nulla sui est parte mutabilis, per ipsas aduersantium exercitationes & validior efficiatur semper & clarior: operante hæc gratia Dei, vt si qui fortè ad hæc subtilia inimici iacula declinanda, minùs erant instructi, minusq; soliciti, perceptis veritatis armis, fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quòd ergo, sicut causa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atq; obedienter auxistis, multa exultatione gaudemus. Et meritò nos cognoscimus fratribus & coepiscopis nostris Orientalibus intimasse, quòd secundùm euangelicam & apostolicam traditionem de incarnatione Domini nostri Iesu Christi, vna esset omnium nostrùm & indiscreta confessio, neque vllis eorum disputationibus detineri, vt alteri aliquid de summi & salutiferi sacramenti veritate sapiamus, quàm & ex prædicatione sanctorum patrum, & ex authoritate incommutabilis symboli didicimus & docemus, damnatis ab vniuersali Ecclesia, & nunc Eutyche, & anteà Nestorio. Quorum si quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipse se à corpore Christianæ vnitatis abscidit. Non enim vltrà iam cuiquam excusationis refugium de ignorantia & insciẽtia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur, cum hæc ipsa sexcentorum ferè fratrum, coepiscoporumque nostrorum synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi contra fundamentum fidei inspirare permiserit: quoniam admittentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus, vicarijs nostris, quorum plenissima extitit in omni actione deuotio, non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam principibus & potestatibus Christianis, cunctisq; clericis, plebibus, ordinibus, plenè atq; euidenter apparuit, hanc esse verè apostolicam fidẽ, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam synceram, & ab omni fæce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & vniuerso iam mundo consentiente defendimus, extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel precedens hæreticus ausus est inferre vel subsequens, dissimili quidem commento, sed impietate compari. Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodò fuisse genetricem, qui postmodùm sit à verbo deitatis susceptus, duabus scilicet naturis & personis distinctis, vt neq; ipse esset filius hominis, qui filius Dei, neq; vnus Christus in vtraq; natura, sed alter sempiternus ex patre, alter temporalis ex matre, cùm euangelica authoritas ita verbũ prædicet carnem factum, vt non duos Christos, nec duos filios, sed in vno Domino Iesu Christo, & Dei & hominis nobis insinuet veritatem, vt vtriusq; substantiæ, id est, saluantis atq; saluatæ, nec proprietas posit cõfundi, nec persona geminari. Sicut ergo Nestorius in suo dogmate execrabilis, sic & Eutyches, damnatũ olim sectatus errorem, alia prophanitate blasphemans, à catholicæ soliditatis cõpage resecatus est: quia indoctis quibusdam nimiumq; simplicibus persuadere tentauit, quòd verbum Dei ita caro sit factum, vt veram carnem de ventre virginis non sumpserit, nec nostri illum generis corpus habuisse, sed diuinitatis

Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius & carnis vnam esse naturam, vt vnum Dominum nostrum Iesum, & falsum hominem, & Deum diceret esse passibilem: Quod nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, vt aut in sua natura passibilis fuerit deitas, aut in susceptione humana mentita sit veritas. Quæ diabolicorum sensuum prodigiosa cõmenta, sancta nunc synodus (humilitatis nostræ scriptis, authoritate Domini mei beatissimi Petri Apostoli & merito roboratis, religiosa vnanimitate consentiens) abominando, ab Ecclesia Dei amputauit Dioscorum quoq; Alexandrinum, in sua impietate manentẽ, ne illa ecclesia, quæ inter ipsa euangelij principia beatum Marcum beatissimi Petri Apostoli discipulum, in omnibus vtiq; doctrinis, sui doctoris magisterio cõsonantem habuit fundatorem, quæq; postea recentioribus à nostra ætate tẽporibus Athanasium, Theophilum, & proximè Cyrillum probatissimos præsules habuit, indignã captiuitatem sub hæretici dominatione pateretur. Vnde secundùm magnam misericordiam Dei, vniuersos diaboli conatus, quibus Ecclesiam Domini conturbare molitus est, noueritis esse destructos. Reddite igitur Deo gratias, fratres charissimi, & dignam gratiarum actionem: & oret nobiscum vestra dilectio, vt fratres nostros, quos expectatio nostra desiderat, incolumes quàm primùm redijsse lætemur, & de omnibus, quæ Domino adiuuante sunt gesta, pleniùs vos posimus instruere. Nam fratrem Ingenulum nolumus hac expectatione tardari, cùm ob hoc ipsum properantiùs remeare debuerit, ne diutiùs vobis esset incognita omnium materia gaudiorum, quæ volumus per curam dilectionis vestræ etiam ad fratres nostros Hispaniæ episcopos peruenire, vt quod Deus operatus est, nulli esse possit incognitum. Data Calendis Februarij, Herculano viro clarissimo consule.

Eusebij Mediolanensis Episcopi epistola, ad Leonem Papam, per quam fidei eius, quam ad Orientem direxerat, assertioni cum alijs episcopis consensit atque subscripsit.

Domino sancto & beatissimo patri Leoni, Eũsebius Mediolanensis Episcopus.

RElatum est, Domino annuente, fratribus nostris, quos ad Orientem fidei causã solicitè prouida beatitudo vestra direxerat, decursisque literis, quas per eos tua sanctitas destinauit, omni exultatione in Christo releuatus sum, quòd effectum cõmissæ sibi legationis eosdem reportasse vestra pagina designauit. Nec mirum, quòd Dominus noster Iesus Christus catholicæ fidei, quam tenemus, maiestatis suæ gratiam, custodiamq; præstiterit, quando vos idoneos cultus sui assertores, in apostoli sui sede præsules collocauit, qui & recta sentire de incarnationis dominicæ sacramento, & eadem potestis rectè custodire. Admonitis ergo fratribus & coepiscopis meis, habitoq; cõuentu, vestrarum formam tenuimus literarum. Nã recensens epistolam beatitudinis vestræ, in sacerdotum Domini concilio, quam sanctus frater & coepiscopus noster Abundantius, & compresbyter meus Senator detulerant, agnitoq; eorum narratione, sicut scripta vestra signauerant, rerum gestarum ordine, continuò requisita est, recitataq; epistola, quam fidei assertione plenè digestam, ad Orientem dudum sanctitas vestra transmiserat, quæ ad nos, ex vestra admonitione, sancto fratre & coepiscopo nostro Ceretio mutuante peruenit: claruit eam plenam fidei simplicitate fulgere, prophetarum etiam adsertionibus, euangelicis authoritatibus, & apostolicæ doctrinæ testimonijs, nitore quodam lucis & veritatis splendore radiare, omnibusq; sensibus conuenire, quos beatus Ambrosius,

us, de incarnationis dominicæ mysterio, suis libris sancto spiritu excitatus inseruit. Et quia omnia maiorum fidei, nobis antiquitùs traditæ, tota puritate conueniunt, domine sancte & beatissime pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, vt eos, qui impiè de incarnationis dominicæ sacramento sentiunt, quanuis intellectus sui prauitate, à catholicæ fidei veritate recedẽtes, seipsos dignos abiectione fecerint, suo etiam consensu, authoritatis vestræ præcedente sententia, damnatione congrua persequendos. Literarum ergo vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos seruasse, his per fratrem & coepiscopum nostrum Cyriacum missis ostendimus. Superest, vt annuente Domino perfectis rebus, palmam fidei & consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes, hoc futuris memorabile seculis relinquatis, vt ab hoc tempore præsenti, extincta impiæ sectæ contumacia videatur, vt vobis propugnatoribus in æternum prostrata succumberet. Et alia manu: Incolumem beatitudinem tuam summa diuinitas tueatur atq; custodiat, domine sancte & beatissime pater.

Ego Eusebius Episcopus ecclesiæ Mediolanensis in omnia supradicta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicę sacramento impia senserunt.

Ego Fauentius Episcopus Rhegiensis ecclesiæ, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Maioranus Episcopus ecclesiæ Placentinæ in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Cyprianus Episcopus ecclesiæ Brixillensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Quintinus Episcopus ecclesiæ *Dertonensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt. *Tertonẽsis

Ego Crispinus Episcopus ecclesiæ Ticinensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Maximus Episcopus ecclesiæ Taurinatis in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Florcius presbyter, iussus à præsente sancto Eulogio Episcopo meo ecclesiæ Iporiensis, quia ipse per infirmitatem subscribere non potest subscripsi, ad omnia suprascripta consentiente, & anathema dicente his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego *Gradus presbyter directus ab Episcopo mea Eustasio ecclesię Augustanę, vice ipsius in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt. *Gerardus

Ego Cyriacus Episcopus ecclesiæ Laudensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Abundantius Episcopus ecclesiæ Comensis, in omnia suprascripta pro me ac pro absente sancto fratre meo Asimone Episcopo ecclesiæ Curiensis, primę Rhetiæ subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Paschasius Episcopus ecclesiæ Genuensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego Pastor Episcopus ecclesiæ Astensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Simplicius Episcopus ecclesiæ Nouariensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Ioannes Episcopus ecclesiæ Cremonensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Octauianus Episcopus ecclesiæ Brixianæ, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Iustianus Episcopus ecclesiæ Vercellensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Quintius Episcopus ecclesiæ Albingaunensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Præstantius Episcopus ecclesiæ Bergomatis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

In Tom. Concil. est 4.

Epistola quinquagesimatertia Leonis Papæ ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, vbi in primis eum de fide in Chalcedonensi Concilio laudat: deinde arguit, quòd contra Nicenam synodum, Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesias sibi subdere voluisset.

Leo Episcopus Anatolio Episcopo.

MAnifestato, sicut optauimus, per gratiam Dei lumine euangelicæ veritatis, & ab vniuersali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quòd creditæ nobis dispensationis labor ad desideratum peruenit effectum, sicut etiam epistolæ tuæ textus eloquitur, vt secundùm Apostolicam doctrinam, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. In cuius operis deuotione gratulamur dilectionem tuam esse cõsortem, vt & corrigendis tua prodesset industria, & ab omni te deuiantium participatione & factione purgares. Decessore enim tuo beatæ memoriæ Flauiano, propter defensionem catholicæ veritatis ejecto, non immeritò credebatur, quòd ordinatores tui, contra sanctorum canonum constituta, viderentur sui similem consecrasse. Sed adfuit misericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans, vt malis principijs benè vtereris, & non te iudicio hominum, sed Dei prouectum benignitate monstrares. Quod verè ita accipiendum est, si hanc diuini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum enim catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe scriptura sancta, Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus resistendum est, vt veræ continentiæ obtineatur integritas, cuius prima est labes superbia, initium

1. Cor. 1.

Eccle. 18.

initium transgressionis, & origo peccati. Quoniam mens potentiæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato prauoque progressu, impunitarum transgressionum augentur excessus, & crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ & amore concordiæ. Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vendicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicenorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam antè tentatis, ita præueniris excessibus, vt sanctam synodum, ad extinguendam solùm hæresim, & confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & vt conniuentiam suam tibi dedat, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicenorum canonum per sanctum verè spiritum ordinata conditio in aliqua vnquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel cõparare se audeat vel præferre, cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicena sit synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs authoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua, quæ sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio synodali, vt fratres in fidei tantummodò negocium conuocatos, & definitione eius causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri, ab Apostolica sede directi, qui vice mea synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, apertè reclamantes, ne contra statuta Nicenæ synodi præsumptio reprobæ nouitatis adsurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multùm mihi, hæc scribendo, commendas: sed temetipsum, quòd eis parêre nolueris, dum illicita moliris, accusas, superfluè non concedenda appetens, & insalubriter contraria concupiscens, quæ nullum vnquàm potuerunt nostrum obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur, ac non potiùs & meo, & omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus cõsensiunt, * opere subruatur. Sancti illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicena, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquàm aliter, quàm illi statuerunt, præsumitur, fine cunctatione cassatur, vt quę ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis, quos constituerunt patres, nemo in ius tendat alienum. Sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat, cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis infletur. Noli, frater, altum sapere, sed time, & Christianissimorum principũ pijssimas aures improbis petitionibus inquietare desiste, quibus certum habeo modestia te magis, quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitùs suffragatur quorundam episcoporum ante sexaginta (vt iactas) annos facta subscriptio, nunquamque à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ sedis trãsmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ sera nunc & inutilia

Nicenicõcilij 6. et 7. cap.

Rom. 12. * ope

Quæ ad perpetuam. 15. quæst. 1.

Rom. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subijcere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in
Matt.18. suam iniuriam verecundia fatigata præberet. Memento, quid Dominus ei, qui vnũ
Marc.9. de pusillis scandalizauerit, comminetur: & sapienter intellige, quale sit iudicium
Dei subiturus, qui tot ecclesijs, tot sacerdotibus scandalum inferre non metuit. Fa-
teor enim, ita me dilectione vniuersæ fraternitatis obstringi, vt nemini prorsus in
his, quæ contra se poscit, assentiam, posisque euidenter agnoscere me dilectioni
tuæ beneuolo animo contraire, vt saniore consilio ab vniuersalis te Ecclesiæ per-
turbatione contineas. Non conuellantur prouincialium iura primatuum, nec pri-
uilegijs antiquitus institutis metropolitani antistites fraudentur. Nihil Alexandri-
næ sedi eius, quam per sanctum Marcum euangelistam beati Petri discipulum me-
ruit, pereat dignitatis, nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor
tantæ ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque ecclesia, in qua
Act.11. primùm prædicante beato Apostolo Petro, Christianum nomẽ exortum est, in pa-
ternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata, nunquam se
fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes. Et magnus vnicuique ho-
nor est integritas sua. Quę quum in quibuslibet locis propria ornamenta non per-
dat, quanto magis in Constantinopolitanæ vrbis magnificentia potest esse glorio-
sa, si per obseruantiam tuam & defensionem paterni canonis, exemplum probita-
tis multi habeant sacerdotes? Hæc tibi scribens, frater in Domino, hortor ac mo-
neo, vt deposito ambitionis desiderio, spiritu potiùs ferueas charitatis, eiusque vir-
Rom.12. tutibus, secundùm doctrinam Apostolicam, proficienter orneris. Est enim pati-
1.Cor.13. ens & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambi-
tiosa, non quærit quæ sua sunt. Vnde si charitas non quærit propria, quantùm pec-
cat, qui concupiscit aliena? A quibus volo, vt te prorsus abstineas, memorque sis
Apoc.3. eius sententiæ, quæ dicit: Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam
si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque iudicio, vniuersalis Ecclesiæ pace pri-
uabis. Frater autem & coepiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius dia-
conus, quantùm in ipsis fuit, studiosè his, quæ eis iniunxeras, adfuere, sed actioni eo-
rum iustitia negauit effectum. Data vndecimo Calendas Iunij, Herculano viro cla-
rissimo consule.

In Tom. Concil. est lij.

Epistola quinquagesimaquarta eiusdem ad Martianum Augustum, vbi de eius gratulatur fide, quæ in Chalcedonensi Concilio gesta est: & de Anatolio Constantinopolitano Episcopo, qui in eodem Concilio Alexandrinam & Antiochenam Ecclesias contra statuta per ambitum sibi voluit subiugare.

Leo Episcopus Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, Martiano Augusto.

MAgno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ catholicæ multiplicata sunt gaudia, cùm sancto & glorioso clementiæ vestrę studio perniciosissimus error extinctus est, vt labor no ster citiùs ad desideratum perueniret effectum, quem Deo seruiens principatus vester, & fide & potestate iuuisset. Quia etsi in virtute spiritus sancti, inter quaslibet dissensiones per sedis Apostolicæ famulatum euangelij erat defendẽda libertas, manifestior tamẽ apparuit gratia Dei, quæ præstitit mundo, vt

do, vt in victoria veritatis, authores tantùm violatę fidei deperirent, & sua integritas Ecclesię redderetur. Bellum igitur, quod pacis nostræ inimicus excitauerat, adeò se liciter, dextera Domini pugnante, confractum est, vt triumphãte Christo, omnium sacerdotum esset vna victoria, & coruscante lumine veritatis, erroris tenebræ cum suis adsertoribus pellerentur. Nam sicut in ipsa Domini resurrectione credenda, ad coroboranda initia fidei multum securitatis accessit, quòd quidam apostoli de cor-
porea Domini Iesu Christi veritate dubitarunt, & visu atque contactu fixuras cla- Ioann.20.
uorum & vulnus lanceæ perscrutando, ambiguitatem cunctis, dum ambigunt, ab-
stulerunt: ita nunc quoque, dum aliquorum infidelitas confutatur, omnium hæsi-
tantium corda firma sunt, & profecit vniuersis ad illuminationẽ, quod quibusdam
intulit cæcitatem. In quo opere dignè & iustè exultat vestra clementia, quæ fideliter
proprieque prospexit, vt Orientalibus ecclesijs diabolicæ insidiæ non nocerent, sed
ad propiciandum Deum efficaciora vbique offerrẽtur holocausta, quando per me-
diatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum eadem confessio plebium e-
adem sacerdotum, eadem esset & regum, glorioſissime fili, & clementissime Augu-
ste. His autem, propter quæ tanta facta est congregatio sacerdotum, bono & optabi
li fine compositis, miror & doleo, quòd pacem vniuersalis Ecclesiæ, diuinitùs refor-
matam, ambitionis rursus spiritus inquietat. Quanuis enim necessariè sibi frater
meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deserens, in
assensum catholicæ fidei salubri correctione transiret, custodire tamen debuit, vt
quod vestro beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis prauitate turbaret.
Nos enim vestræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cùm secundùm suæ
consecrationis authores eius initia titubarent, benigniores circa ipsum quàm iu-
stiores esse voluimus, quò perturbationes omnes, quę operante diabolo fuerant ex-
citatæ, adhibitis remedijs, leniremus: quæ illum modestum magis, quàm immodera-
tum facere debuere. Qui etiam si præcipuis meritis, optimoq; iudicio legitimè fuis-
set ac solenniter ordinatus, contra reuerentiam tamen canonum paternorum, con-
tra sancti spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiu-
uari. Apud Christianum & verè religiosum, vereque orthodoxum principẽ loquor:
multùm Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat au-
gmento. Habeat, sicut optamus, Cõstantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac pro-
tegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio
est rerum secularium, alia diuinarum, nec præter illam peream, quam Dominus in
fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui in debita con- Matt.16.
cupiscit. Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episco 23.q.5. Pri
patum tantę vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam nilegia ec
non potest facere sedem, nec vllo speret modo, quòd per aliorum possit offensiones clesiarum,
augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, sanctorum patrum canonibus instituta, & ve- & ibidẽ ca.
nerabilis Nicenę synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla no- Priuilegia
uitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me Ecclesiarũ.
perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispẽsatio mihi credita est, & ad me-
um tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicena, ad to-
tius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) conni-
uente, violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus
Domini communis vtilitas. Et ideò sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesia-
sticæ studere concordiæ, & his, quæ pacificæ congruunt vnitati, pijssimum præsta-
re consensum, precor & sedula suggestione vos obsecro, vt aulus improbos, vni-
tati Christianæ paciq; contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, & fra-
tris mei Anatolij, nocituram ipsi (si presliterit) cupiditatem, salubriter comprimatis, ne ea, quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt, cupiens, maior
suis velit esse prioribus, liberumque illi sit quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderij conceptionem nunquã quidem debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cùm illi fratres & coepiscopi mei, qui vice mea aderant, obuiarent, ab illicito appetitu, eorum saltem salubri cõtradictione, cessasset. Nam & vestrę pietatis apices, & ipsius scripta declarãt, legatos sedis Apostolicæ (sicut oportuit) contradictione iustissima ei restitissent, vt inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohiberet. Vnde quia cõuenit fidei vestrę vel gloriæ vt sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur: agite, quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus Episcopus pareat patribus, cõsulat paci, neq; sibi æstimet licuisse, quòd Antiochenæ ecclesiæ sine vllo exemplo, contra statutum canonum, episcopum ordinare præsumit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. Quę opto magis irrepræhensibiliter agentem dirigere, quàm in hac præsumptione, quę illum ab omnib. separare poterit, perdurare. Frater autem & coepiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio diacono clementiæ vestræ ad mea scripta putauit, omni deuotione partes susceptæ legationis impleuit, qui non est æstimandus negocio defuisse, quem potiùs causa deseruit. Data vndecimo Cal. Iunij, Herculiano viro clarissimo consule.

In Tom. Cõcil. est liij.

Epistola quinquagesimaquinta eiusdem ad Pulcheriam Augustam de ambitu Anatolij.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

SAnctis & Deo placitis clemẽtiæ vestræ studijs defensam contrà hęreticos catholicam fidem, & vniuersę Ecclesię redditã pacẽ, ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus gratias agentes misericordiæ omnipotentis Dei, quòd exceptis his, qui magis dilexerũt tenebras, quàm lucem, neminem passus est euangelica veritate fraudari, vt absterso erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, nec de infirmis quorundam animis tenebrosus ille exultaret inimicus, quem non solùm hi, qui illæsi steterant, sed etiam, quos fecerat nutare, superauerũt, vt errore abolito, per totum mundum fides vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Confirmato autẽ in vnitate Euangelij vniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omnium sacerdotum, optimũ fuerat, supra illa, propter quæ sancta est synodus congregata, & quæ, secundùm pietatis vestræ studium, probabili sunt fine concluſa, nihil quod tanto bono contrarium esset, inferri, nec per occasionem episcopalis Cõcilij, in cõmune appeti, quod non licuit cõcupiſci. Frater enim & coepiscopus meus Anatolius parùm considerauit, quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ ecclesiæ sacerdotiũ fuerit cõsequutus: & non tam de adeptis gauisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quòd ei quorundam consensum præbuisse dicitur extorta subscriptio, quũ tam destruendis mox conatibus contradictio fratrum & coepiscoporũ meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum canonũ, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicena spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiq; audere conceditur, ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat: quæ si (vt oportet) à cunctis pontificibus intemerata seruẽtur, per vniuersas ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegijs ambiguitas, nulla

Philip. 2.

nulla erunt de alieni vsurpatione certamina: sed ea, quæ iure charitatis rationabilis est, & morum & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totiùs ambitionis alienus, dicente Domino: Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire. Constantinopolitanæ verò præsuli ecclesiæ (quia ampliùs, quàm assecutus est, concupiscit) quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque in vnius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque prouincijs, & olim sanctę synodi Nicenæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium patrum decreta soluantur, quorundam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus episcopus ęstimat adiuuari, frustrà cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoscat, cui successit viro: & repulsu omni spiritu elationis, Flauiani modestiã, Flauiani humilitatem, quæ illum vsq; ad confessoris gloriam prouexit, imitetur. Cuius si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, sed promerendo diuina. Hæc autem obseruantia vniuscuiusq; illi animũ spondet copulandum, & eam Apostolicæ sedis dilectionẽ, quam Constantinopolitanę ecclesię semper impendimus, nulla mobilitate violandã: quia si interdum immoderati præsules aliquas incidunt culpas, Ecclesiarum tamen Christi integra gratia perseuerat. Consensiones verò episcoporũ, sanctorum canonum apud Niceam conditorũ regulis repugnantes, vnita nobiscũ vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnib. Ecclesiasticis his legib. obsequentes, quas ad pacificationẽ omniũ sacerdotũ, per trecentos decem & octo antistites spiritus sanctus instituit, ita vt etiam si multò plures aliud, quàm illi statuêre, decernerent, in nulla reuerẽtia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorũ constitutione diuersum. Prolixitatẽ itaq; epistolæ meæ, qua necesse habui explicare, quid sentiã, rogo vt per fratrem & coepiscopum meum Lucianum, qui (quãtum in ipso est) solicitudinem susceptæ legationis est fideliter exequutus, & per filium meum Basilium diaconem, pietas vestra dignanter accipiat. Et quia moris vestri est pro pace & vnitate Ecclesiæ laborare, fratrem meum Anatoliũ Episcopum ex vestra insinuatione dilectum, salubriter in his, quæ ipsi profutura sunt, continete, vt gloria clementiæ vestræ, sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa. Data vndecimo Calen. Iunij, Herculano viro clarissimo consule.

Matt. 20. Marc. 10.

Obserua authoritatẽ Romani Pontificis.

Epistola quinquagesimasexta eiusdem ad Iulianum Episcopum Coënsem de Etio & Andrea.

In Tom. Cõcil. est liij.

Leo Episcopus Romanæ Iuliano Episcopo Coënsi.

AGnoui in dilectionis tuæ literis fraternæ charitatis affectum, quòd de multis malis, quæ multa & sæua pertulimus, pio nobiscum dolore compateris. Sed vtinam hæc, quæ perpeti nos Dominus aut permisit, aut voluit, ad correctionem proficiant multorum, & vt desinant aduersitates, finiantur offensæ. Quod vtrunque de magna erit misericordia Dei, si & flagella remoueat, & ad se suorum corda conuertat. Sicut autem fraternitatem tuam, ea quæ apud nos fuit, contristauit hostilitatis, ita me anxium facit, quòd in Constantinopolitana ecclesia (quantùm

An. Christi 453. pontificatus S. Leonis 14. scripta fuit hæc epistola, & fimiliter 11. sequentes.

tuæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuæ indicant literæ) hæreticorum insidiæ non quiescunt, & quæsitis occasionibus, hi qui catholicæ fidei defensores fuêre, vexantur. Nam dum Etius ab officio archidiaconus per speciem prouectionis amouetur, & in locum eius Andreas, qui ob hæreticorum societatem fuerat abiectus, adsumitur: dum beatæ memoriæ Flauiani accusatoribus honor redditur, & pijssimi confessoris participes aut discipuli cõteruntur: nimis apertè, quid episcopo ecclesiæ ipsius placeat, demonstratur. In quem pro causæ merito differo commoueri, & quid ipse mecum cum suis epistolis agat, quas missurum eum filius noster Etius indicauit, expecto, dans locum voluntariæ emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementissimo tamen principi, & pijssimæ Augustæ de his, quæ ad custodiam pacis Ecclesiasticæ pertinent, scripsi: quos deuotione suæ fidei prouisuros esse non dubito, ne contra gloriam operis ipsorum, damnata hæresis queat pullulare. Studio ergo dilectio tua, frater pijssime, piam & necessariam curam solicitudini Apostolicæ sedis impendere, quæ tibi, apud se nutrito, catholicam contra Nestorianos & Eutychianos hæreticos actionem, materno iure commendat, vt diuino vultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ vrbis opportunitate non desinas, vt prædictorum dogmata impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est glorioſorum principum clementia, vt confidenter eis possis, quæ sunt insinuanda, suggerere, pietate ipsorum, vt vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis, vtaris. Consulente autem dilectione tua de his, in quibus putaueris ambigendum, non deerit relationis tuis meæ responsionis instructio, vt sequestrata earum actione causarum, quæ in quibusque Ecclesijs præsulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura, vice mea functus, vtaris, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte reuiresceat: quia in Episcopo Constantinopolitano catholicis vigor non est, nec multùm aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua est æstimatione solicitus, cùm si quid illi inesset spiritualis industriæ, ita & à quibus ordinatus sit, & cui viro succesſerit, cogitare deberet, vt magis beatum Flauianum, quàm sui honoris sequeretur authores. Et ideò cùm pijssimi principes secundùm obsecrationes meas dignati fuerant Anatolium de his, quæ meritò in querelam veniunt, increpare: video charitas tua diligentia sua, vt vniuersa scandala, adhibita plenissima correctione, resecentur, & à filij nostri Etij cesset iniuria. Nam apud catholicum Episcopum, etiam si erat vtcunque decus sacerdotale, sacerdoti archidiaconus propter fidei reuerentiam debuit præmitti, potiùs quàm locum catholici nequissimus hæreticus obtineret. Cùm itaque quæ sequantur, agnouero, tunc manifestiùs quid agi oporteat æstimabo. Nam interim, dolore cohibito, malui indulgere patientiæ, vt locus esset veniæ. De Palestinis verò monachis, qui iampridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moueantur, ignoro. Neque cuiusquam sermone mihi patefactum est, quas causas videantur antè factæ præferre discordiæ, vtrúm scilicet Eutychianæ peruersitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant Episcopum suum in hanc impietatem posse traduci, quæ contra ipsorum locorum sanctorum testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis dominicæ veritate desciuerit, & quod in alijs per indulgentiam curare placuit, in illo putent non esse veniale. Vnde cupio me super his plenius edoceri, vt etiam talium correctioni congruè studeatur: quia aliud est contra fidem impiè armari, aliud in errore quempiam detineri. Chartas etiam, quas Actius presbyter antè indicauit esse directas, & Breuiarium fidei, quod te misisse significas, necdum ad me noueris peruenisse. Vnde si expeditior occasio se præbuerit per latores, libenter habeo, vt si qua est, quæ vtilis videatur, quàm primùm ad me mittatur instructio. De Aegyptijs monachis quàm quieti, aut cuius sint fidei, scire desidero, & de Alexandrinæ ecclesiæ pace quid ad vos veris nuncijs perferatur, ad cuius Episcopum vel ordinatores ipsius, seu clericos. quod *aliâ scripta direxerim, missis exemplarijs scire te volui. Ad clementissimum quoq; principem, & ad religiosissimam Augustam quis nũc meus sermo sit, missa exẽplaria docebunt. Vtrùm aũt epistola mea, quam

*aliàs

quam de incarnationis dominicæ fide, incolumi adhuc sanctæ memoriæ Flauiano, ad dilectionem tuam per Basilium diaconum miseram, fraternitati tuæ tradita sit, scire desidero: quoniam suspectum habeo, quòd de eius textu nullum vnquàm indicium reddidisti. Gestorum synodalium, quæ omnibus diebus Concilij in Chalcedonensi ciuitate confecta sunt, parùm clara, propter linguæ diuersitatem, apud nos habetur instructio. Et ideò fraternitati tuæ specialiter iniungo, vt in vnum codicem vniuersa facias congregari, in Latinum sermonem absolutissima interpretatione translata, vt in nulla parte actionum dubitare possimus, neque vllo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam, te fuerit studente perductum. Data quinto Idus Martij, Opilione viro clarissimo consule.

Epistola quinquagesimaseptima eiusdem ad Martianum Augustum, de Etio & Andrea.

In Tom. Concil. est lv.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

QVàm excellenti pietate, & quàm glorioso clementiæ vestræ studio in integrũ nuper fides Christiana reuocata sit, totus mundus agnoscit, & saluti suæ singulare præsidium per vos à Domino esse reparatum. At si quid aduersùm tanti operis consummationem de contrario spiritu sentitur oboriri, necesse est, vt ad vestræ reuocetur pietatis auxiliũ, quod ad custodiam catholicæ veritatis diuina prouidentia præparauit, vt quum potestatis vestræ sit, scandala etiam in longinquum nata resecare, multo magis ea, quæ sub vestris audẽt oculis surgere, non sinatis accrescere. Anatolij Episcopi ordinationem (sicut scientia Dei testis est) suspectam (quod fatendum est) mihi fecerant consecrationis eius authores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrar electum: sequutumq; est, vt dum à communione Apostolicæ sedis exisseret alienus, diù dandis ad eum epistolis pacis meæ absũnerem. Sed cùm illi pietatis vestræ testimonium suffragetur, quũ de fide atq; vnanimitate eius optanda quęq; & placitura promitteret, professionem eius ita credidi esse sinceram, vt tamen, qua obseruantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulò ipsi ac diligenter inculcans, vt de persequutoribus beatæ memoriæ Flauiani neminem auderet in suo habere consortio, & Eutychianæ hæreseos defensorem à se indicaret esse deiectum. Sequutumq; est, vt de his, quæ pro catholica fide in synodali Concilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia catholicum sacerdotem scribere cõgruebat. Cùm ergo ad cõmendanda ipsius primordia ista præcesserint, miror quid causæ aut occasionis emerserit, vt virum catholicæ fidei, & Nestorianis atq; Eutychianis hæreticis cõstanter etiam aduersum archidiaconum sub honoris specie degradaret, & dispensationem totius causæ & curæ ecclesiasticæ, in Andream Eutychianistam repentè transferret, adeò nimia commotione turbatur, vt consecrationem, quam pro iniuria dabat, sexta sabbati, traditionis apostolicæ aut nescius aut oblitus, inferret: quasi non ad Episcopũ magis, quàm ad presbyterum ordinationis illius vitium pertineret: qui non inueniens, quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, deiectionẽ innocentis per speciẽ prouectionis impleuit; addens sententiæ illud iniuriæ, vt eum cœmiterio deputando, condemnaret exilio. Quem tamen pietati vestræ commendare præsumo, ne vllis vlteriùs noxijs ingrauari possit insidijs, quem Dominus (vt comperi) sub vestra defensione constituit. Adijcio autẽ etiam hanc obsecrationem, vt prædictum Episcopum à professione sua dissonum, & nimiùm testimonij vestri ac fauoris oblitum, necessariè increpare dignemini. Cesset catholicos insectari, cesset eos, qui sanctæ memoriæ Flauiano placuere, conterere, & eorum societatẽ, quos improbauit, eligere. Fraternã enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm vt se inimicos catholicæ fidei approbet execrari, eiusque à se cõsortium quem meritò abiecit, abscindat, qui etiam si magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reuersus errorem, catholicis diaconibus postponi debuit, non præponi. Illud quoque clementiæ vestræ beneuolentiam peto, vt veneratorem vestrum, fratrem meum Iulianum Episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu, cuius obsequijs præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei eius syncerítate confidens, vicem ipsi meam, contra temporis nostri hæreticos, delegaui: atque propter ecclesiarum pacisque custodiam vt à comitatu vestro non abesset, exegi: cuius suggestiones, pro concordia catholicæ vnitatis, tanquam meas audire dignemini, placẽtes Deo, qui vobis, præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam. Data 6. Idus Mart. Opilione viro clarissimo consule.

In Tom. Cõcil. ẽll lvi.

Epistola quinquagesimaoctaua eiusdem ad Pulcheriam Augustam de Etio & Andrea.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

MVltis extantibus documentis, quibus in dilectionem Ecclesiæ Dei pietatis vestræ manifestatur affectio, meritò quoties aliquid nascitur scãdalorum, vestrum desideratur auxilium, vt fides, quæ annitentibus vobis, contra hæreticorum commenta defensa est, securę pacis perpetẽ obtineat firmitatem. Nam quid prodest, foris aduersarios veritatis oppressos, si eosdem habeamus intra dominica septa redituos? Quod itaque circa personam filij mei Etij gestum esse cognoui, nimiùm me anxium facit, & metuere certa ratione compellit, ne pœnitẽdum mihi sit, quod de Episcopo Constantinopolitano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, vobis adhortantibus acquieui meliora sentire, cùm tanto pietatis vestræ testimonio iuuaretur, ne illum grauaret suæ ordinationis infirmitas, vbi vestra interuentio præstaretur. Vnde gratulari cœperã, quòd beati Flauiani honoraret memoriam, & hæreticorũ conatibus obsistere diceretur. Sed doleo, illum (sicut prædicti lachrymabilis querela demonstrat) in deteriora mutatum, & eum nunc constituisse archidiaconem, quem ipse professus est à se esse reiectum, qui Eutychianæ hæresis se apud nos prodiderat defensorem. Quem quia nunc ecclesiasticis negocijs prępositit, propter hæreticam peruersitatem, eidem fauorem suum præstare conuincitur. Qui etiam si magna satisfactione potuisset indulgentiam promereri, nequaquã debuit his, qui in fide permanserant, anteferri. Vnde quia non latet clementiam vestram, quanquisiuit fauore, contemnat, societatem hæretici, quem dudum à se remouit, abscindat. Cuius innocentiæ ita adfuisse vos gaudeo, vt mœrori eius digna consolatione vestra pietas subueniret. Circa fratrem meum, venerabilem vestrum Iulianum Episcopum, quantùm debeat crescere vestra dignatio, Apostolicæ sedis existimate iudicio, cùm in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenùs delegarim, vt ab ea, quæ vobis debetur obseruãtia, non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei, & in Ecclesiasticis disciplinis per omnia solicitudinem, & opportunis suggestionibus, quod vniuersali Ecclesiæ prosit insinuans, vt in ipso, nec catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subuenire, nec vobis meum desit obsequium. Data sexto Idus Martij, Opilione viro clarissimo consule.

Epistola

In Tom. Cõcil. ẽll lvij.

Epistola quinquagesimanona eiusdem ad Martianum Augustum, vbi gratias agit, quòd per Chalcedonense Concilium pax Ecclesiæ catholicæ sit reddita.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

MVlta mihi in omnibus clementiæ vestræ literis causa gaudij est, dum ex magna prouidentiæ diuinæ misericordia præstitum humanis rebus experior, quòd Ecclesiasticã pacẽ (quæ non nisi vnitate prædicationis euangelicę custoditur) pijssimo studio iuuare dignamini, vt fidei vestræ gloria non solùm vtilitate Reipublicæ, sed etiam religionis profectib. augeatur, glorioſissime Imperator. Vnde inestabiliter Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in Imperij fastigio collocauit, in quibus ad totius mundi salutẽ, & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria. Nam cùm vestro præcipuè opere sit effectum, vt per synodale Concilium, damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret: ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunque reliquijs deleatur. Quod faciliùs clementia vestra arbitretur implendum, si per vniuersas ecclesias, definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis, Apostolicæ sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cùm ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ à me, secundùm formam apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est, & per fratrem meum Lucianum Episcopum talia & ad gloriã vestram, & ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim, quæ euidenter ostenderent, me ea quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerãt, approbare. Sed quia in eisdem literis ea, quæ per occasionem synodi malè sunt attentata, repræhenderam: maluit prędictus antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quòd probasse vos obseruãtiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religioſissimè placere cognosco, vt & fides Nicena suam teneat firmitatem, & priuilegia ecclesiarum illibata permaneant. Quanuis autem de prędclaro fidei vestræ opere nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem vnà mecum specialiter vestrum, fratrem meum Iulianum Episcopum, innotuisse significo, quã pio dignati fueritis responso, imperitorum monachorũ animos cohibere, pariter & docere, vt si illos non penitùs deseruerit diuina miseratio, sentiant se & didicisse quod credant, & agnouisse quod timeant. Quia verò omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religioſissimæque voluntati, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci sentẽtiam meam. Quæ si vt in notitiam omnium sacerdotum, ecclesiarumque perueniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, ad futuram credo & spero gratiam Dei, quæ tam sanctam tanti principis curam plenissimum desiderij sui fructum faciat obtinere, vt omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, apostolicæ vbique doctrinæ & pax regnet & veritas. Fratri autem meo Iuliano Episcopo, nouerit vestra clementia, hoc me propriè delegasse, vt quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati, quoniam certus sum, vos ad hæc omnia emendanda vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

Pax ecclesiastica vt seruetur.

Ro. Pontif. approbat Concilia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tom. Cõcil. est lviij.

Epistola sexagesima eiusdem ad Pulcheriam Augustam.

Leo Episcopus Pulcheriæ Augustæ.

QVanuis nullas nunc literas tuæ pietatis acceperim, scribente tamen gloriosissimo principe, non aliter dignatione ipsius sum gauisus, quàm si mihi etiam tuæ serenitatis redderentur alloquia. Vnde consuetudinem debitam mei officij oportuit me custodire, per quam significarem clementiæ vestræ, absolutè me gaudere, & incessabilibus à Deo precibus postulare, vt vos, & Romanæ Reipublicæ, & catholicæ Ecclesiæ in omni prosperitate conseruet. De vigore autem fidei vestræ, quo indesinenter Domino sacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo: quoniã principibus temporis nostri non solùm potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse doctrinam. Indicante enim fratre meo Iuliano Episcopo, peruenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum vestrarum saluberrimæ sanctiones, quibus insanam imperitiam monachorũ dignati estis parcendo plectere, & docendo punire, vt si eos ad pœnitentiam miseratio diuina conuerterit, multis lachrymis & à nefandis cædibus, & ab hæreticorum blasphemijs diluantur. Quòd verò pijssimus Imperator ad omnes episcopos, qui Chalcedonensi synodo interfuêre, voluit me scripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei sunt regula definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio sententiã meam haberi vellet incertam, cùm per Constantinopolitanum Episcopum, cui lætitiam meam largiter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire, quod scripseram, nisi maluisset meum gaudium tacere, quàm repulsam sui ambitus publicare. Fratri & coepiscopo meo Iuliano, cui solicitudinem meam in causa fidei delegaui, rogo vt eam fiducia præbere dignemini, qua pietati vestræ possit, quæ vniuersali Ecclesiæ sint profutura, suggerere. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

Ro. Pontif. est approbare Cõcilia.

In Tom. Cõcil. est lix.

Epistola sexagesima prima eiusdem ad Episcopos, qui in sancta synodo Chalcedonensi congregati fuerunt, directa.

Leo Episcopus sanctæ synodo apud Chalcedonem habitæ.

MNem quidem fraternitatẽ vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redijsse gauderem. Hoc autem nõ solùm ex ipso beatissimæ cõsensionis affectu, sed etiã ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ vrbis antistitem dedi, potuisse tis agnoscere, si vobis responsionem sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrùm quæ in synodo Chalcedonesi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem: hæc ad omnes fratres & coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus princeps (sicut poposci) in notitiam vestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscãt, me non solùm per fratres, qui vicẽ meam executi sunt, sed etiam per approbationẽ gestorum synodalũ, propriam vobiscum inijsse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpè dicendum est) propter quã generale Concilium, & ex præcepto Christianorum principum, & ex cõsensu Apostolicæ

stolicæ sedis placuit congregari, damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitùs residerent de vera Domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Vnde si quis vnquàm ausus fuerit, vel Nestorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à catholicorum communione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem, fratres charissimi. Decustodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quæ in synodo Nicena inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiam vestræ sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum, sicut ab illis CCCXVIII. patribus diuinitùs inspiratis sunt ordinata, permaneãt. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantum libet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorũ æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorũ patrum canonibus discreparit. Quorum regulis Apostolica sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me, auxiliante Domino nostro, & catholicæ fidei, & paternarum traditionum fiatuerat. esse custodem. Data 12. Calendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

Consensus sed. Apost. in cõuocan dis Synodis. Irritũ reddit, quod de Episc. Cõstantin. Synodus

Epistola sexagesima secunda eiusdem ad Maximum Antiochenum Episcopum.

In Tom. Cõcil. est lx.

Leo catholicæ Ecclesiæ Episcopus Maximo charissimo fratri Episcopo Antiocheno.

QVantùm dilectioni tuæ placeat communis fidei sacratissimã vnitas, & pacis Ecclesiasticæ tranquilla concordia, literarum tuarum textus ostendit, quas ad nos filij nostri Marinianus presbyter & Olympius diaconus detulêre, eo nobis gratiores, quòd per ipsas alloquia alterna miscemus, & magis magisq; innotescit gratia Dei, qua fit, vt per totum mundum de manifesto catholicæ veritatis lumine gaudeatur. Quanuis quod multùm dolemus) quidã adhuc (sicut sermo indicat nunciorum) tenebrosas suas diligant, & quum vbique diei splendor exortus sit, etiam nunc cæcitatis suæ delectentur obscuro: & perdita fide, solo & vacuo remanserint nomine Christiani, non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore discernãt, & blasphemiam Nestorij ab Eutychis impietate distinguant. Nec enim ideò excusabilis videri aliqua eorum falsitas potest, quia ipsi sunt in sua peruersitate contrarij. Nam quum Nestorium Eutychetis discipuli detestentur, & Eutychen anathematizent Nestorij sectatores, catholicorum iudicio pars vtraq; damnatur, & ambę simul hæreses à corpore Ecclesiæ resecantur: quia neutra falsitas nobiscum potest habere cõcordiam. Nec interest, quo sacrilegio ab incarnationis dominicæ veritate discordent, dum id quod prauissimè sentiunt, nec authoritas euangelij, nec ratio recipiat sacramenti. Et ideò, frater charissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, & eius memminisse doctrinæ, quam præcipuus apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totũ mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit, vt illum in suæ glorificationis domicilio præeminentem cognoscas repositum, quæ tradidit, sicut ab ipsa, quam confessus est, veritate suscepit. Neq; vllo modo sinas in Orientalibus Ecclesijs, maximeq; in his, quas Antiochenæ sedi sacratissimorum patrum Niceni canones deputauêre, ab improbis hereticis euangelio resultari, & vel Nestorij, vel Eutychetis à quoquam dogma defendi. Quoniam (sicut dixi) catholici fidei petra (cuius cognomẽ beatus Apostolus Petrus sumpsit à Domino) nullum recipit ab vtraque impietate vestigium, sed euidenter

Matt. 16. Ioann. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque perſpicuè & Neſtorium anathematizat, qui verbi carniſq; naturam in beatæ virginis coniunctione ſeiungens, vnumque CHRISTVM in duos diuidens, aliam deitatis, & aliam humanitatis voluit eſſe perſonam, quum omninò vnus idemq; ſit, qui & ſecundùm ſempiternam deitatem de patre eſt natus ſine tempore, & de matre natus in tempore. Et Eutychen ſimiliter execratur, qui in Domino Ieſu Chriſto veritatem humanæ carnis euacuans, ipſum verbum in carnem adſerit transformatum, vt naſci, nutriri, proficere, pati, mori, atque ſepeliri, & die tertio ſuſcitari, ſolius fuerit deitatis, quæ ſeruilis formæ non veritatem ſuſceperit, ſed figuram. Summa itaque vigilantia cautum te eſſe conuenit, ne quid ſibi hæretica prauitas audeat vendicare, quum te deceat his ſacerdotali authoritate reſiſtere, nosque ſæpiùs de profectu eccleſiarum tuis relationibus, quid agatur, inſtruere. Dignum eſt enim, te Apoſtolicæ ſedis in hac ſolicitudine cõſortem, & ad augendam fiduciam priuilegia tertiæ ſedis agnoſcere, vt in nullo cuiuſquam ambitione minuantur: quia tanta apud me eſt Nicenorum canonum reuerentia, vt ea, quę ſunt à ſanctis patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etſi enim diuerſa nõnunquam ſunt merita præſulum, tamen iura permanent ſedium: quibus etſi poſſunt æmuli perturbationem aliquam fortaſsis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem. Vnde quum aliquid pro Antiochenæ eccleſiæ priuilegijs dilectio tua agendum eſſe crediderit, proprijs literis ſtudeat explicare, vt & nos conſultationi tuæ abſolutè & congruè reſpondere poſsimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronũciare ſufficiat, quòd ſi quid à quoquam contra Nicenorum canonum ſtatuta in quacunque ſynodo vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur exortum, nihil præiudicij poteſt miuolabilibus inferre decretis. Et faciliùs erit quarumlibet confeſsionum pactum diſſolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subrependi enim occaſiones non prætermittit ambitio: & quoties ob incurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficile eſt, vt cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina ſynodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ prouinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicauit, & ſolicita pace multum popoſcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cuius epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noueris reperiſſe. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ eſt, vt quantumlibet numerus ſacerdotũ amplior aliquid per quorundam ſurreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo patrũm conſtitutionibus mueniatur aduerſum, id iuſtitiæ conſideratione caſſetur: quoniam vniuerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri: niſi ſua canonibus reuerentia intemerata ſeruetur. Si quid ſanè ab his fratribus, quos ad ſanctam ſynodum vice mea miſi, præter id, quod cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apoſtolica ſede ſunt directi, vt exculſis hæreſibus, catholicæ eſſent fidei defenſores. Quicquid enim præter ſpeciales cauſas ſynodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis patribus apud Niceam definitum. Nam quod ab illorum regulis conſtitutioneque diſcordat, Apoſtolicæ ſedis nunquam obtinebit cõſenſum. Quanta verò hoc diligentia cuſtodiatur à nobis, exemplaribus eius epiſtolę, quam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum, refrenãtes ipſius cupiditatem, direximus, inſtrueris: quam in omnium fratrum & ſacerdotũ noſtrorum facias notitiam peruenire, vt nouerit pacẽ Eccleſiaſticam, per concordiam Deo placitam, debere ſeruari. Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nullus ſibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, ſiue ſit ille monachus, ſiue ſit laicus, qui alicuius ſcientiæ

D. Cyrillus & Leo contẽporanei.

Concionandi munus quibus permittẽdum.

ſcientiæ nomine glorietur. Quia etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta & ſana ſunt, ſapiant: non tamen permittendum eſt, vt quiſquam, extra ſacerdotalem ordinem conſtitutus, gradum ſibi prædicatoris adſumat, quũ in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat, vt in vno Chriſti corpore & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent. Data tertio Idus Iunij, Opilione viro clariſsimo conſule.

Epiſtola ſexageſimatertia eiuſdem ad Theodoretum Epiſcopum Cyri, poſt Chalcedonenſe Concilium, de fidei perſeuerantia.

In Tom. Cõcil. eſt ixt.

Dilectiſsimo fratri Theodoreto Epiſcopo, Leo Epiſcopus.

REmeantibus ad nos fratribus & conſacerdotib. noſtris, quos ad ſanctum Concilium ſedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam, ſuperno adiutorio, nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis, quàm Eutychianæ velaniæ, extitiſſe victricem. Vnde gloriamur in Domino, cum Propheta canentes: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit: ſed quæ noſtro priùs miniſterio definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu, vt verè à ſe prodiſſe oſtenderet, quod priùs à prima omnium ſede formatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſe: vt in hoc quoq; capiti membra concordent: in quo ampliùs nobis accreſcit gaudendi materia, dum & tanto magis ſe perculit inimicus, quanto contra Chriſti miniſtros ſæuiùs inſurrexit. Nam ne aliarum ſedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia quælibet ſubrepere poſſet aduerſa ſuſpicio, inuenti priùs ſunt, qui de iudicijs noſtris ambigerent. Et dum nonnulli, * ad diſſenſiones incitati ab authore contradictionis, ad inſana bella proſiliunt, ad maius bonum, malo eius, authore totius bonitatis diſpenſante, peruentum eſt. Dulciùs ſiquidem munera gratiæ diuinæ prouenium, quoties non ſine magnis ſudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri ſolet, pax continuata per ocium, quàm reddita poſt laborem. Ipſa quoque veritas & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur, dum quæ fides priùs docuerit, hæc poſteà examinatio confirmarit. Multùm deniq; ſacerdotalis officij meritum ſplendeſcit vbi ſic ſummorũ. ſeruatur authoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis exanimis, quando ad hoc ſe accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduerſitas, ne quod per ſe probatur reprobum, ſilentij pręiudicio videatur oppreſſum. Exulta igitur chariſsime frater, & in vnico Dei filio victor exulta. Vicit per nos ille pro ſe cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos & pro nobis ille, cui vicimus. Secunda eſt poſt aduentum Domini hæc orbi feſtiuitas. Redditum ſeculo eſt, prædone proſtrato, incarnationis diuinæ myſterium, quod humani generis inimicus, quia rebus ipſis auferre nõ poterat, calumnijs obſcurabat. Quinimò ab incredulorum corde perierat immortale myſterium: quia nihil prodeſt tanta ſalus incredulis, ipſa veritate ſuis dicente diſcipulis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui autẽ non crediderit, condemnabitur. Solis iuſtitiæ iubar, denſis per Orientem Neſtorij & Eutychetis nebulis impeditum, purè ab Occidente reſplenduit, vbi culmen ſanctum in apoſtolis & doctoribus principaliter collocauit, quanuis nec illic vnquã defuiſſe credendus ſit, quo confeſſores ſibi egregios reſeruauit, ita vt dum denuò conaretur hoſtis antiquus, per ſecundi Pharaonis impœnitens cor, fidei

Psalm. 123.

** à diſſẽſio num coacti auctore ad cõtradictio num bella.*

Marc. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abrahæ ſemen & filios repromiſſionis extinguere, Deo miſerante langueſcens, niſi ſibi nocere, nihil poſſet. De quo & illud omnipotens mirabiliùs egit, quia & quos ſibi ſocios ad Iſraelitici populi cædes aſciuerat, non cum tyrannidis authore ſubmer ſerit, ſed cum ſuo populo congregauit. Et ſicut reuerà ſe dignum, & ſoli ſibi poſſibile ſons miſericordiæ nouerat, victos à nobis, nobiſcum fecit eſſe victores. Nam cùm ſolus verè ſit humani generis hoſtis ſpiritus falſitatis, omnes de illo triumphare non dubium eſt, quos ſibi veritas vendicauit. Nunc prorſus illa redemptoris noſtri dicta, quàm ſint diuinæ authoritatis, apparet, dum contra hoſtes fidei ſic aptantur, vt

Ioan.8. de ipſis dubitare dicta non liceat: Vos (inquit) ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Quando loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & pater eius. Nihil ergo mirandum eſt, quòd hi, qui in veritate Dei noſtræ naturæ mendacium crediderunt, patri ſuo & circa iſta concordant, quicquid viſum, quicquid auditum, quicquid denique (teſte Euangelio) tactum eſt atque palpatum, in vnico Dei filio, non eius, cuius probatum eſt, adſerentes, ſed coæternæ & coeſſentialis patri fuiſſe ſubſtantiæ, quaſi aut diuinitatis natura, crucis ligno tranſfixa ſit, aut inconuertibilis creſcere per ætates, & in ſapientia proficere ſapientia ſempiterna, vel ſpiritu Deus, qui ſpiritus eſt, ſubinde repleri potuerit. In hoc quoque ſe acerba veſania, ex quo authore proceſſerit, prodit, quòd quantum in ſe eſt, vniuerſis nocere molita eſt. Nam qui vos perſequendo afflixit, cæteros ad conſenſum ſceleris impellendo deprauauit. Sed nec nos, licet in ſingulis fratribus (quia membra noſtra ſunt) vulneraſſet, à ſpeciali dolore ſæcit exceptos, quibus noua & inaudita priùs atque incredibili audacia inferre contra ſuum caput eſt molitus iniuriam. Sed vtnam vel poſt tot peſſima reſipiſcens, non nos etiam de ſuo æternę damnationis interitu cõtriſtaſſet. Quam menſuram ſceleris prætermiſit, cui nec hoc ſufficere potuit, quòd nec viuis parcendo, nec mortuis, etiam in ſanguine innocentis & catholici ſacerdotis pollutas iampridem abdicata veritate, atque approbata falſitate, manus in-

1.Ioan.3. tinxit? Et cùm ſcriptum ſit, Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, ille quod odio iam feciſſe dictus eſt, impleuit operibus, quaſi nec hæc audiſſet nec illud, quod Dominus

Matt 11. ait: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meũ leue eſt: dignus diabolici prædicator erroris Aegyptius vaſtator inuentus eſt, qui tanquam ſæuiſſimus tyrannus Eccleſiæ, nefandas blaſphemias per violentam ſeditioſorum turbam, & per cruentas ma-

Ioan.8. nus militum venerandis fratribus imponebat. Et cùm voce noſtri temporis firmatum ſit, vnum eundemq; homicidij eſſe & falſitatis authorem, ille pariter vtrumq; compleuit, quaſi non cauentur, ſed vt perpetrentur, ſcripta ſint, ad perditionis ſuæ cumulũ trahens, quæ Dei filius monuit ad ſalutẽ. Illud quoq; ſurda nimis aure præ-

Ibidem. teriens, quod ab eodem Domino dictum eſt: Ego, quod vidi apud patrem meum, loquor: & vos ergo, quod vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis. Igitur dum ſanctæ memoriæ Flauiano vitã præſentis ſeculi moliretur auferre, ſed veræ vitæ luce priuauit. Dum vos ab Eccleſijs veſtris conaretur expellere, ſe à Chriſtianorum collegio ſegregauit. Dum trahit plurimos, & impellit ad erroris aſſenſum, multiplici animam ſuam vulnere ſauciauit, ſolus vltra omnes & per omnes, ac pro omnibus reus, qui cauſa reatus omnib. fuit. Sed licet his tua fraternitas, ſolido cibo firmata, indigere minimè

2.Cor.11. videatur, tamen vt quod noſtri loci eſt, impleamus circa vocẽ dicentis Apoſtoli, Præter ea, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? hoc præcipuè præſenti occaſione credidimus admonendum, frater chariſſime vt quotieſcunq; diuina gratia adminiſtrante, illos, qui foris ſunt, fonte doctrinæ aut ſubmergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quas ſpiritus ſancti diuinitas in Chalcedonenſi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter vtrunq; hoſtem nouellę perfidię ſermonẽ noſtrum cum omni cautela libremus, nõ iam (quod abſit) tanquã de dubijs

de dubijs diſceptantes, ſed authoritate ſua, quæ benè definita ſunt, adſtruentes, quũ & in Apoſtolicæ ſedis epiſtola, vniuerſali ſanctæ ſynodi aſſenſu firmata, tanta diuinæ authoritatis teſtimonia nouerimus eſſe congeſta, vt nullus queat vlteriùs dubitare, niſi qui ſibimetipſi errorum tenebras inferre maluerit, quum ſynodalia geſta, vel quibus primùm definitio fidei legitur eſſe formata, vel quibus prefatę literæ Apoſtolicæ ſedis, etiã tuæ fraternitatis ſtudio defenſæ ſunt, & maximè ad pijſsimos principes totius Concilij alloquutio, tot ſit præcedentium patrum teſtimonijs roborata, vt quanuis imprudenti ac pertinaci animo, ſi tamen nõ iam cum diabolo pro ſua impietate damnatus eſt, valeant ſuadere. Vnde hoc quoque nos cõtra hoſtes Eccleſiæ prouidere condignum eſt, vt eis nullam calumniandi occaſionem (quod ad nos attinet) penitùs relinquamus, nec vnquam contra Neſtorianos aut Eutycianos agentes alteri eorum videamur terga vertiſſe, ſed vtroſque CHRISTI hoſtes æquà lance vitemus atque damnemus, ita vt eos, quoties audientium quantalibet poſcit vtilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptiſsimè atque euidentiſsimè feriamus, ne ſi à nobis hoc aut obſcuriùs fieri videatur aut tardiùs, putetur inuitum. Quod quanuis prudentiam tuam res ipſa admonere ſufficiat, nunc tamen & experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noſter, cuius inuincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te, ſecundùm ſedis Apoſtolicæ iudicia demonſtrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, ſi talem te, qualem probauimus ac probamus, pro vniuerſalis Eccleſiæ defenſione ſeruaueris. Nam quòd Deus omnium calumnioſorum fallacias ſoluit, maximam beatiſsimi Petri curam pro nobis cunctis agnoſcimus, qui poſtquam ſuæ ſedis iudicium in fidei definitione firmauit, nec circa cuiuſquam veſtrum, qui nobiſcum pro catholica fide laboraſtis, perſonam quicquam reprobum videri permiſit: quia nec poterat, ſpiritu ſancto iudicante, quiſquam ex eis non victor exire, quorum iam vicerat fides. Quod ſupereſt, exhortamur, vt quia illic nonnullas Eutychiani ac Neſtoriani erroris reliquias cognouimus remanſiſſe, nunc etiam ſedi Apoſtolicæ collabores. Victoria enim, quam Chriſtus dominus Deus noſter ſuæ donauit Eccleſiæ, quamdiù in hoc mundo verſamur, licet fiducia maiorem tribuat, non tamen in ſolicitudinem perimit: nec vt dormiamus donata eſt, ſed vt ſuauiùs laboremus. Vnde in hoc quoque tuæ vigilantiæ ſolicitudine volumus adiuuari, vt tua relatione curręte, quid apud illos religionis doctrina dominica proficiat, Apoſtolicam ſedem feſtines inſtruere, quatenùs illius religionis ſacerdotes, in quocunque vſus exegerit, adiuuemus. De his verò, quæ in ſæpe dicto Concilio illicita contra venerabiles Nicenos canones præſumptione tentata ſunt, ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Antiochenæ ſedis præſulem ſcripſimus, adijcientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorundam, religionis veſtræ verbo mandaſtis per vicarios noſtros, & hoc ſpecialiter ſtatuentes, vt præter Domini ſacerdotes nullus audeat prædicare, ſeu monachus, ſiue ille ſit laicus, qui cuiuſlibet ſcientiæ nomine gloriatur. Quas tamen literas, pro vtilitate vniuerſalis Eccleſiæ, per prædictum fratrem & coepiſcopum noſtrum Maximum, ad omnium volumus peruenire notitiam: & ob hoc hic noluimus earum exemplar adjicere: quia quæ prædicto fratri iniunximus, non dubitamus implenda. Et alia manu: Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſsime. Data 4. Idus Iunij, Opilione viro clariſsimo conſule.

16. quæſt. 1. Adjcimus illud.

Paſchaſini Epiſcopi Lilybetani epiſtola ad Leonem Papam; qui inſſerat illi, vt reſcriberet de ſupputatione Paſchalis feſti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domino verè beatissimo ac apostolico, mihiq; post Dominum plurimùm colendo Papæ Leoni, Paschasinus Episcopus.

APostolatus vestri scripta diacono Panormitanæ ecclesiæ Silano deferente percepi, quæ nuditati meæ atq; ærumnis, quas amarissima captiuitate faciente incurri, solatium in omnibus atque remedium attulerunt, cœlesti rore animum recreantes, atque omne, quod triste fuerat, abstergentes. Domine venerabilis Papa, iubere dignata est corona vestra, vt quod paschalis supputatione veritas anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto inobediens existere non potui omnino, nec debui. Diutino itaque tractatu vel ratiocinatione id verum inuenimus, quod ab Alexandrinæ ecclesiæ antistite beatitudini vestræ rescriptum est: Nam quum Romana supputatio, quæ cyclo concluditur, cuius ipse, de quo agitur, erit sexagesimusquartus annus, qui cyclus cœpit à consulatu Antonini & Syagrij, nobis dubietatem adferret, eò quòd septimo Calendarum Aprilium die, dies dominica, & luna vigesimaprima incurreret, & iterum nono Calendarum Maiarum die (vt rei veritas habet) dominica dies, & luna decimanona obueniret, in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc est, legalem supputationem nos conuertimus, quæ quum à Romanis ignoratur, facilè errorem incurrunt. Cœpit ergo Ogdoas à consulatu virorum clarissimorum Etij iterum & Sigilmildi, quæ clauditur anno, de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est: Priores verò anni communes, tertius emboliſmalis, quartus & quintus communes, sextus emboliſmalis, septimus cõmunis, octauus emboliſmalis. Pertuidet ergo apostolatus vestri prudentia, octauum annum Ogdoadis fieri aliter non posse, nisi emboliſmum teneamus. Quòd si voluerimus illud, quod superiùs diximus, id est, quod primum incurrit, Pascha septimo Calendarum Aprilium die celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps subsequentium annorum supputatio vacillare. Et ne hoc, quod exposui, beatitudini vestræ obscuritatem aliquam adferat, suggessimus communes annos, apud Hebræos duodecim tantùm menses, hoc est, dies cccliiij. habere. Necessitate ergo emboliſmi cogimur id tenere, quod longius est, ne à vero deuiare videamur. Neque nobis aut nouum, aut erraticum videatur, quum dies passionis vndecimo Calendas Maij occurrat, à qua (sicut videtur) Pascha nomen accepit, licet Hebrææ linguæ interpretes tradant pascha transitum dici, quòd tamen idem & Ioannis Euangelistæ dicto firmatur, quo ait, quum de passione loqueretur: Cùm venisset hora, transiret Iesus de hoc mundo ad patrem. Non ergo nos dies vna longiùs posita terreat, ne quum hoc vitamus, incurramus errorem, sicut tempore beatæ recordationis domini mei, prædecessoris vestri Zozimi consulatu Honorij Augusti vndecimo, & Constantij secundo. Tunc enim, quum declinaretur, ne decimo Calendas Maij dies Paschæ teneretur, celebratum octauo die Calendas Aprilis, id est, pro emboliſmo communis est annus tentus, & error grauissimus est ortus, in tantùm, vt ministerio certo, quod dono sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendũ, quia locus ipse etiã sancto, atq; à me venerando fratri meo Libanio diacono notissimus est. Cuius mysterij miraculum tale est: Quædã vilissima possessio Meltinæ appellatur, in montibus arduis, ac syluis densissimè cõstituta, illicq; perparua, atq; vili opere cõstructa est ecclesia. In cuius baptisterio nocte sacrosanctæ paschali baptizãdi hora, quũ nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omninò vicina, fons ex se repletur, paucisq; qui fuerint, cõsecratis, cùm deductoriũ nullũ habeat, vt aqua venerat, ex sese descendit. Tũc ergo (sicut suprà diximus) cùm sanctæ memoriæ

Ioan. 13.

Miraculũ de baptismo.

memoriæ domino quondam meo, ac beatissimo Papa Zozimo, cùm apud Occidẽtales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cùm presbyter secundùm morem baptizandi horam requireret, vsq; ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Vt ergo breuiter narrem, illa nocte, quæ lucescebat in diem dominicam, decimo die Calendas Maij fons sacer hora competenti repletus est. Euidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuisse errorem. Hæc prout potui, vel epistolaris breuitas passa est, iubente apostolatu vestro rescripsi.

Epistola sexagesimaquarta eiusdem Leonis Papæ ad Martianum Augustum de Pascha.

In Tom. Concil. est lxy.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

IAm multis documentis per omnes Christi ecclesias fides vestræ pietatis innotuit, vt si quid solicitudinum pro communi religione generatur, meritò vestrum quæratur auxilium. Et quia memor dispensationis mihi creditæ, nec esse habeo curas meas etiam in eis, quę sunt futura, præmittere, non improbè cupio clementiæ vestræ studijs adiuuari, vt in ea obseruantia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri. Paschale etenim festum, quo sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quanuis in primo semper mense celebrãdum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, vt plerunq; sacratissimi diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerunq;, quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod non nisi vnum esse oportet, obseruet. Studuereq; sancti patres, occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: quoniam apud Aegyptios huius supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies prædictæ solennitatis eueniret, sedi Apostolicæ indicaretur, vt huius scripti ad longinquiores ecclesias iudicium generaliter percurreret. Sed sanctæ memoriæ Theophilus, Alexandrinæ ecclesiæ vrbis Episcopus, cùm huius obseruationis annos centum numero collegisset, septuagesimo sexto paschale festum longè aliter, quàm alij decreuerant, tenendum esse constituit, à primo Augustæ memoriæ Theodosij senioris consulatu succedentes sibi sacræ obseruantiæ ordines ponẽs, vt longioris temporis ratio eius literis teneretur abscripta, cuius complexionis septuagesimus & quartus est annus, in qua pridiè Idus Aprilis sanctum Pascha celebrauimus: sequenti verò anno pridiè Nonas Aprilis eadẽ, propitio Deo, erit habenda festiuitas, sicut regulariter centenarię annorum rationis ordo declarat. Sed in anno, qui erit septuagesimussextus, Paschę dies inuenietur adscriptus, quem à passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit authoritas. Nam diem octauum Calendarum Maiarum ab eo cognoscimus præsinitum, qui anni limitem antiquitùs constitutum excedit, cùm alij quintodecimo Calendarum Maiarum huic festiuitati deputauerint diem. Siquidem ab vndecimo Calendarum Aprilium, vsque in decimum Calendarum Maiarum, legitimum spatium sit præfinitũ. Intra quod omnium varietatum necessitas concludatur, vt Pascha dominicum, nec priùs possimus habere, nec tardiùs. Quod enim in decimum, & in nonum Calendarum Maiarum videtur nonnunquam peruenisse festiuitas, quadam ratione defenditur: quia etsi dies resurrectionis vltra terminum videtur exisse, dies tamen passionis limitem positum non inuenietur egressus. Ad octauum autem Calendarum Maiarum paschalem obseruantiam perducere, nimis insolens & aperta trãsgressio est. Quia ergo in illa, vt dixi, centenaria supputatione Theopholi, septuagesimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

gesimusſextus annus diem Paſchæ contra morem Eccleſiaſticum ſtatuiſſe monſtratur,& non leuiter delinquitur,ſi in principio ſacramenti veritas &vnitas ab vniuerſali Eccleſia non tenetur: obſecro clementiam veſtram,vt ſtudium veſtrum præſtare dignemini,quatenùs Aegytij,vel ſi qui ſunt alij, qui certam huius ſupputationis videntur habere notitiam,ſcrupulum huius ſolicitudinis abſoluant,vt eum diem generalis obſeruantia dirigat,qui nec paternarum conſtitutionũ normam relinquat, nec vltra præfixos terminos euagetur.Quicquid autem pietas veſtra de hac conſultatione cognouerit,ad meam iubeat mox notitiam peruenire,vt in diuinis myſterijs nulla diſſonantiæ culpa naſcatur. Data decimo ſexto Calendas Iulij, Opilione viro clariſsimo conſule.

In Tom. Concil. eſt lxiij.

Epiſtola ſexageſimaquinta eiuſdem ad Eudoxiam Auguſtam de Paſcha.

Leo Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, Eudoxiæ Auguſtæ ſalutem.

Hæc Eudoxia filia fuit Eudociæ vxoris Theodoſij iunioris, ad quam ſcripta eſt ſequens epiſtola 66.

SAnctæ memoriæ Theophilus ad Auguſtum Theodoſium ſeniorem ſcribens,per centum annos,à primo prædicti principis conſulatu,digeſsit ordinem diei feſti, cuius inſtructionis ſeptuageſimusquartus nunc annus euoluitur, Opilione conſule.Pridiè Idus Aprilis celebrata eſt ſacra ſolennitas:vnde ſequenti anno, pridiè Nonas Aprilis, eadem feſtiuitas rationabiliter conſequitur.Sed annus,qui erit ſeptuageſimuſſextus,memorati Epiſcopi annotationem habere cognoſcitur,quæ à totius antiquitatis exemplo,& ab omni authoritate patrum diſcordat.Siquidem in octauum Calendarum Maiarum dominicum paſcha tranſtulerit, præfinitos antiquitatis limites nimis audenter excedens, cùm die quintodecimo Calendarum Maiarum paſchalem ſolennitatem (ſicut conſtituêre alij) potuerit annotare.Vnde quia non mediocris mihi ſolicitudo generatur,ne apud Aegyptios hæc perſuaſio probaretur,ad Chriſtianiſsimum & clementiſsimum principem ſcripta direximus, quibus cauſam ſcrupuli diligenter expoſui, & ſuppliciter poſtulaui, vt operam ſuam,quemadmodùm conſueuit,religionis cultui dignanter impendat, vt eos, qui huius ſupputationis perfectam videntur habere notitiam, in vnum iubeat conuenire,& diligenter inquirere, ne fortè hæc definitio teneatur, & hic exceſſus, qui prioribus videtur repugnare temporibus, noſtræ conniuentiæ vel negligentiæ deputetur,& fiat in noſtris diebus; quod nunquam antè præſumptum eſt. Quia verò oportet ſerenitatem tuam curæ iſtius mecum eſſe participem, & ne quid tale accidat,præcauere: crebriùs religioſiſsimo principi dignare ſuggerere, vt indiſsimulanter iubeat Aegyptios admonere,ne in ſummæ feſtiuitatis die,aut diſſenſione aliqua tranſgreſsione precetur.Quicquid autem de hac re diligentiùs inueſtigare ſolicitudo tua potuerit,citò ad notitiam meam glorioſiſsimus Imperator iubeat peruenire: quia & ad ipſius, & ad omnium ſalutem pertinet, vt Dei cultus nullo errore lædatur.Data ſextodecimo Calendas Iulij, Opilione viro clariſsimo conſule.

In Tom. Concil. eſt lxiiij.

Epiſtola ſexageſimaſexta eiuſdem ad Eudociam Auguſtam,de monachis Paleſtinis.

Leo Epiſcopus Eudociæ Auguſtæ.

Quanta

QVanta mihi catholicæ cura ſit fidei, & qua ſolicitudine, inquantùm Dominus adiuuat, debeat præcaueri, ne vnquàm ab imperitis & impijs veritatis euãgelio reſiſtatur, pietatem veſtram ſcire non dubito. Et ideò cum ſalutationis officio, quo ſemper mihi eſt veſtra oranda clementia, obſecro Dominum,vt me tuam incolumitatẽ in cauſa fidei,in qua quorundam intra prouinciam Paleſtinam monachorum fuerãt corda turbata, magis magisq; faciat adiuuare, vt tantùm, quod pietatis tuæ ſtudio fieri poteſt,hæreticæ peruerſitati omnis fiducia ſubtrahatur.Quos enim nec ratio ſacramentorum, nec authoritas ſcriptorum locorum teſtimonia commouebant, quid eis niſi abruptum periculum timeretur? Proſit ergo Eccleſijs,ſicut (fauente Deo) & prodeſt,& proſit generi humano,in verbis Dei veſtram ibi eſſe voluntatem,vbi Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM vobis ſicut Deum verum,& verum quoque hominem,in vnitate perſonæ, & mirabilium indicia,& paſsionum documenta loquuntur.Si ergo prædicti nomen catholicum venerantur & diligunt,& inter Domini corpus ſe volunt membra nominari, prauos errores,quos temerè admiſerant,deteſtentur,& agant pœnitentiam impiarũ blaſphemiarum,cruentorumq; factorum. Succumbant pro ſalute animarum ſuarum ſynodalibus,quæ in ciuitate Chalcedonenſi ſunt confirmata diceretis. Et quia ad intelligendum ſacramentum ſalutis humanæ, niſi fides vera, & humilitas quieta non peruenit,credant in Euangelio,quod confitentur in ſymbolo,nec impijs dogmatibus miſceantur.Fides enim catholica ſicut damnat Neſtorium,qui in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto duas auſus eſt prædicare perſonas: ita damnat etiam Eutychen cum Diſcoro,quòd ab vnigenito Dei verbo negant in vtero virginis matris veritatem carnis humanæ ſuſceptam.Si quid autem erga prædictorum conuerſionem exhortatio veſtra profecerit,quod gloriam vobis præſtabit æternã,peto hoc mihi clementiæ veſtræ literis indicetis,vt & in vobis boni operis fructum, & in illis gaudeam miſericordiam Domini non perijſſe. Data ſeptimo Calendas Iulij, Opilione viro clariſsimo conſule.

In Tom. Concil. eſt lxv.

Epiſtola ſexageſimaſeptima eiuſdem ad Iulianum Coënſem Epiſcopum.

Leo Epiſcopus Iuliano Coënſi Epiſcopo.

FRequentiſsimè dilectionem tuam ad hanc curam & diligẽtiam meis ſum literis cohortatus, vt de his, quæ circa fidem aguntur, ſolicitudinem meam indeſinenter inſtrueres. Et cùm omnibus occaſionibus ſcribere non quieſcam, quibuſdam tamen ſcriptis meis,id eſt,per filium noſtrum Rodanũ, domeſticum filij noſtri,viri illuſtriſsimi Aſparaſij datis, nullum reſponſum tuæ fraternitatis accepi, tanquàm ratio temporis non habuerit, vt quid poſt mea ſcripta ſit geſtum, potueris indicare.Et ideò per filium meum Rodanum his literis te ſaluto, & vt opportunitatem ſcribendi non negligas,in quo quæſtus ſolicitudinis meæ releuatur, admoneo.Cùm enim in te quandam mei Conſtantinopolitani habeant portionẽ, dignum pro cõmuni amicitia eſt,& pro totius Eccleſiæ dilectione,inceſſabili te vigore proſpicere,ne quid poſsit de ſtatu fidei me latere.Quæ ergo per prędictos,vel ad glorioſiſsimũ principem, vel ad tuam dilectionẽ ſcripſi,vt celerrimè tradantur effectui, opportunis ſuggeſtionibus elabora. Et quicquid fuerit (Deo auxiliante) diſpoſitũ, ſcire me facito,vt perductis in effectũ his,quę rationabiliter ordinata ſunt,pax fidei,

cano-

Universidad de Deusto
Biblioteca

canonumq; custodia & securior vbique habeatur & sortior. Data 7. Calend. Iulij, Opilione viro clarissimo consule.

In Tom. Concil. est lxvj.

Epistola sexagesimaoctaua eiusdem ad Iulianum Episcopum.

Leo vrbis Romæ Episcopus Iuliano Episcopo.

An. Christi 454. pontificatus S. Leonis 15. est scripta haec epistola, & 4. sequentes.

CHristianissimi principis fidem sæpè euidentissimis probauimus documentis, ac Deo nostro gratias ago, qui talem dignatus est rebus humanis concedere pro sua pietate rectorem, qui fidei causas & Reipublicæ, summæ vigilantiæ studio tueretur, hæreticorum ausibus semper obsistens, & nihil eorum insaniæ aduersùm catholicam fidem licere permittes: cuius post Deum beneficijs hoc debetur, quòd Hierosolymitanus Episcopus est receptus, & monachos, quos perfidia hæreticæ talitatis inuaserat, ad sanitatem Augusta authoritas reuocauit. Mox itaque, vt accepi epistolas tuas, talia continentes, nō solùm eadem die, sed prò eadem hora responsum reddere maturaui, vt certior de omnibus, quæ scripseras, reddereris. Fratrem Proterium Alexandrinæ vrbis Episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos literas direxisse, & manifestè, quidnam teneat, indicasse: cui me dignam gratiam, pro fidei ipsius synceritate, necesse est præstare, vt honorem in nullo suæ perdat ecclesiæ, sed sedis suæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo, iuxta canonum illibata iura possideat. De præsentis anni Pascha nulla dubitatio esse nobis potuit: sed de futuro, quod Theophilus Alexādrinæ vrbis Episcopus, octauo Calendarum Maiarum die, quod nunquam ita à tempore dominicæ resurrectionis celebratum est, credidit asscribendum. Vnde solicitiùs congruit hoc requiri, vt omnis occasio tollatur erroris. Nam in nostris annalibus Calendarum Martarum die aptissimè à patribus nostris & constitutus legitur, & celebratus. Ac ne vel apud nos, vel apud Orientales, nascatur ex hac parte diuersitas, hoc instātiùs nostro nomine cum Christianissimo principe agere tua dignetur dilectio, quantùs & ipse clementissimus princeps se inquisitione solicitissima, curam hanc Aegyptijs delegasse, suis epistolis dignatus sit indicare. Epistolam sanè meam ad Chalcedonensem synodum datam, præsentibus Episcopis & clericis lectam fuisse, tuis epistolis retulisti, *sed vsq; ad illud capitulum, quo ea, quæ de fide acta sunt, meus videtur firmasse consensus. Vnde miratus sum, quòd reliqua, quæ secuta sunt, non pariter in notitiam eorum, quibus sunt lecta, prolata sint, cùm maximè omnibus innotescere debuisset, improbum à nobis ambitum notatum fuisse, vt à nouis vsurpationibus constituta inuiolata (vt semper scripsimus) seruarentur. Etium presbyterum, quem adseris fuisse discussum, gratulamur, cognitione habita, in omnibus fuisse purgatū. Epistolam quoq; ad Christianissmum principem noueris me misisse, in qua illi gratias egi, quia curam mihi suam, tam prò fidei causa, quàm pro securitate Reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoq; ad nos epistolam dedit, interueniens pro Anatolio Episcopo, vt nostri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus se satisfacturum esse, quę ad fidei obseruantiam pertinent, pollicetur. Data quinto Idus Ianuarij, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

Hic Proterius vir sanctissimus Dioscoro substitutus, crudelissimè ab Alexādrinis quibusdam suasu Timothei Aeluri tru cidatus est. Vide Nicephorū lib. 15. cap. 16.

*dunt axat

In Tom. Concil. est lxvij.

Epistola sexagesimanona eiusdem ad Martianum Augustum.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

Puritatem fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiam his literis, quas frater & coepiscopus meus * Nestorianus detulit, demonstrastis, iustissimum fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antistiti impendentes fauorem, quò mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probādus, etiam si taceret. Sed accedit ad gratiā, quòd proprio quoque sermone cognoscitur, & quàm syncerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius professione claresci. Vnde plenissimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quòd amoto eo, qui Euangelio Christi voluit contraire, & à sanctorum patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita. Nam quum amplecti se epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum contra Eutychen impium misi, toto corde profitetur, quid aliud, quàm Apostolorum se discipulum ostendit? quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet, & non potest esse diuersum, quod vnum est atque diuinum. Rescripsi itaque prædicto fratri, quod debui, atque in sancto studio, vt perseueraret, admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adiuuetur. Nec in aliquo eum terreat quorundam imperita dissensio, quos paucorum hæreticorum instigationibus ignorantia fecit obnoxios. Quod sua ergò negligentia assequi nequeunt, opportunè eorum insinuetur auditui. Et ne memoratis noua inferre, & propria videatur adstruere, venerabilium patrum, qui eidem ecclesiæ præfuerunt, scripta relegantur, & quid B. Athanasius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam Orientales magistri de incarnatione Domini senserint, recognoscant. Nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim Euangelici sermonis sunt virtute prostrati: quoniam omnes ferè hæreses, quæ diuersis temporibus extiterunt, dum sacramentum corporeæ natiuitatis, & passionis, ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab Euangelio deuiarunt. Et possemus minus laborare in hereticis repellendis, si rudes animos ipsa non turbarent mendacia quę peremit antiquitas. Sed nūc (vt dixi) hic docendi optimus modus est, vt pater olim Euangelici sermonis sunt virtute prostrati: quoniam omnes ferè hæreses, quæ diuersis temporibus extiterunt, dum sacramentum corporeæ natiuitatis, & passionis, ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab Euangelio deuiarunt. Et possemus minus laborare in hereticis repellendis, si rudes animos ipsa non turbarent mendacia quę peremit antiquitas. Sed nūc (vt dixi) hic docendi optimus modus est, vt pater norum sensuum linea Alexandrinæ plebis & cleri auribus innotescat ac si qui sunt, qui nostra scripta despiciant, illis saltem, qui nobiscum apostolicis sensibus congruunt acquiescant. In quo opere multùm confacerdotis nostri deuotione gaudebo, & semper ipsius vnanimitate lætabor, quia fraterna pax non nisi vna fidei confessione seruatur. Quia verò quorūdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandā aliorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum dedi falsasse, perhibetur, vt comutatis quibusdam verbis vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris adserat: obsecro venerabilem clementiam vestram, vt eandem epistolam per fratrem meum Iulianum Episcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem iubeatis integrè, diligenterq; translatam per idoneum latorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam clero & plebi ipsius ciuitatis, cum prædictorum Episcoporum prædicationibus, * qui & meo scripto consentiunt, faciant recitari, vt agnoscant se fallacium hominū fraudè vltertus decipi non debere, & probentur Apostolicæ sedi synceri esse discipuli, apud quam nec Eutyches, nec Nestorius vllum obtinēt locum: quia sicut alios hæreticos, ita & istos Ecclesia damnauit. Data sexto Idus Martij, Aetio & Sudio viris clarissimis consululibus.

*Nestorius

Optimus docēdi mō dus contrà hæreticos.

* *quibus mea scripta.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tom. Concil. est lxviij.

Epistola septuagesima eiusdem ad Martianum Augustum, in qua scribit de exilio Eutychetis, vt ad secretiora loca eum transferret, quia vbi positus erat, adhuc praua docebat.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

QVod sæpissimè multa iam experimenta docuerunt, sanctum pietatis vestræ studium circa religionem Christianam gloriosis perseuerat & crescit augmentis, & hæc fides vestrę clementiæ non solùm me, sed & omnes Domini sacerdotes cõsolatur & roborat, dum in Christianissimo principe sacerdotalem experimur affectũ. Quem si Orientalium sacerdotes studeant imitari, nihil scandalorum, neque pax, neq; fides Christiana patietur. Vnde cùm Constantinopolitanus Episcopus ad omnem pietatis profectum præsenti clementiæ vestrę doceatur exemplo, si fideliter vestris acquiescat hortatibus, habebit in me synceræ gratiæ animum: tantùm vt quod verbis sponder, corde perficiat. Si verò, quæ Deo & pietati vestræ displicent, pertinaci intentione delegerit, salua mansuetudinis vestræ reuerentia, vtar cum omnibus, & pro omnibus, vobis quoque annitentibus, aduersùm superbientem liberiore constantia, *quem (quod sæpè dicendum est) mallem pro sanctis actibus fraterna charitate complecti, glorioſissime Imperator. Quia verò suggestiones meas pro tranquillitate catholicæ fidei libenter accepistis, significatum mihi fratris & coepiscopi mei Iuliani (quem excepistis pijssimè) sermone cognoscite, Eutychen impium pro suis quidẽ meritis exulare, sed in ipso suæ damnationis loco, multa aduersùs integritatem catholicam blasphemiarum desperatiùs venena profundere, & quod in illo totus mundus horruit atque damnauit, impudentia maiore, vt innocentes decipere possit, euomere. Plenum itaque rationis æstimo, vt vestra clementia ad longinquiora eum iubeat & secretiora transferri. Monasterio verò eius Constantinopoli constituto, in quo habitatores ipsius monachi euangelica apostolicaque doctrina crebriùs sunt & pleniùs roborandi, salubriter (vt arbitror) fiet, si is, qui ipsi monasterio præpositus esse dicitur, à societate veneratoris vestri Iuliani Episcopi, quem in speculis propter fidem illic esse constitui, non recedat, cuius assidua visitatione profectus seruorum Dei illic habitantium possit augeri. Petitionem autem de festiuitate Paschali gaudeo ita à vestra pietate susceptam, vt cõfestim Nectarium agentem in rebus, Alexandriam mitteret de errore remouendo, quem sanctæ memoriæ Theophili constitutio videtur inferre. De qua re (sicut scribere dignamini) quicquid ad pietatis vestræ notitiam perlatum fuerit, iubete me nosse, vt de obseruantia, quam non licet esse diuersam, quid potissimùm sit tenendum, Ecclesia vniuersalis agnoscat. Precor autem, quod vestræ noui clementiæ conuenire, vt eos maximè tueamini contra omnes insidias, quos mihi vestræ mansuetudini propter amorem fidei placere cognoscitis, vt eos Constantinopolitanus Episcopus lædendi non habeat facultatem. Data decimoseptimo Calendas Maij, Aetio & Studio viris clarissis consulibus.

*quia (quod sæpe dicendum est) mala pullulãtia fraterna charitate oportet resecari, glo.

In Tom. Concil. est lxix.

Epistola septuagesimaprima eiusdem ad Anatolium Episcopum per Nectarium agentem in rebus directa.

Leo Episcopus Anatolio Episcopo.

SI firmo incommutabiliq; proposito, dilectio tua curam gratię communis habuisset, nihil profectò, quod vllam anxietatem tibi ingereret, extitisset. Non enim sinebat ratio, vt eius charitatem spernerem, quem amore pacis, & studio reparandæ catholicæ fidei inter ipsa Episcopatus rudimenta iuuissem, optans in Ecclesiasticis curis talem habere consortem, vt mihi de sanctis prædecessoribus tuis, nec Ioannis spiritualem copiamq; doctrinam, nec authoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem Flauiani deesse sentirem, & ita studijs tuis vterer, vt nullus auderet, vel fidei catholicæ resultare, vel Nicenis venerabilium patrum regulis contraire. Sed quum in iniuriam canonum (vt agnoscis) illa tentata sint, quæ omnibus ecclesijs scandalum maximum generarent, quid aptiùs ac modestiùs facerem, quàm vt te primùm, vt ab hac intentione discederes, fraterno animo, missis literis, admonerem? Ad quas quum non rescriberes, ipse te à colloquij mei consortio separasti. Deniq; inde iam tacui, sed clementissimo principi, custodi fidei, frequenti literarum petitione suggessi, vt pro pace ecclesiarũ, quam tibi maximè prodesse cognoscis, hæc quæ nunc à tua dilectione facta sunt, implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quòd secũdùm eruditionem spiritus sancti, cuius est virtute plenissimus, sacerdotali dignatur studere concordiæ, sciens sibi orationes supplicantium copiosiùs profuturas, si famuli vnius Domini in nullo sint à veræ pacis vnitate diuisi. Quòd ergo in Constantinopolitana Ecclesia quædam in officijs clericorum correcta significas, vt & Etium presbyterum in gratiam tuam, affectionemq; reuocaueris, & Andream archidiaconi actione submoneris, nobis placuisse rescribo, quia existimationem tuam (vt optabam) plurimùm erigit atq; commendat. Et meritò post correctionem in obliuionem deducitur, quod repræhensioni obnoxium videbatur, quum hæreticorum prouectione, & sanctæ memoriæ Flauiani iniuria grauaris, quæ nunc simul ab omni offensione, cum tui (vt volui) laude cessarunt, quia in ordinem suũ, quæ fuerant turbata, redierunt. Andream sanè, qui rationabiliter archidiaconi est priuatus officio, & Euphratam, qui sanctæ memoriæ Flauiani (vt comperi) improbus extitit accusator, si professionibus plenissimè scriptis, non minùs Eutichyanam hæresim, quàm Nestorianum execrabile dogma condemnant, quoniam venia est præstanda correctis, presbyteros consecrabis, vt sibi remedium catholicæ fidei sentiant profuisse, electo primitùs & probato, qui archidiaconi officium possit implere, id est, quem nulla vnquam prædictarum impietatum fama resperserit. Cæteri verò, quos par reatus inuoluerat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt, suis ordinibus reformentur, his tantùm ad officiorum primarũ admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit. Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena (vt asseris) adhortatione contraxeras, efficaciùs atq; syncerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater charissime est, quòd dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum, professio dilectionis tuę, & attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abijciatur penitùs inconcessi iuris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum patrum prouidentissima decreta posuerunt. Vt quieta sit suis meritis, & antiquis priuilegijs dignitas omnium sacerdotum, renouetur & maneat in te dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpiùs cohortatus sum cum fratre & coepiscopo nostro Iuliano, qui communem gratiam semper optauit, cuius industria & solicitudines tuæ releuabuntur, & fides catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate hortor & moneo, vt ea, quæ ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officij, Nicenorum canonum, vniuersalis Ecclesiæ pacem seruantia, decreta custo-

præscribit nopolitano episcopo.

Faciendã

Seruanda

Patrũ decreta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

custodias. Sic enim inter Domini sacerdotes inuiolata charitas permanebit, si paribus studijs, quæ sunt à sanctis patribus constituta, seruentur. Data quarto Calendas Iunij, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est lxx.

Epistola septuagesima secunda beati Leonis Papæ ad Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopum.

Leo Episcopus Iuuenali Episcopo Hierosolymitano.

ACceptis dilectionis tuæ literis, quas ad me filij nostri Andreas presbyter & Petrus diaconus detulerunt, gauisus quidem sum, quòd tibi ad Episcopatus tui sedem redire licuisset: sed confluentibus in recordationem omnibus, quæ te per quosdam excessus laborare fecerũt, dolui aduersitatũ tuarum temetipsum tibi fuisse materiã, & resistendi hæreticis constantiã perdidisse, qui æstimant non esse tibi liberũ, vt eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatæ enim memoriæ Flauiani condemnatio, & impijssimi Eutychetis receptio, quid nisi Domini nostri Iesu Christi secũdum carnem negatio fuit? quam ipse grãdi misericordia sua fecit resolui, cùm detestandũ illud Ephesynę synodi iudiciũ ita sancta Chalcedonesis Concilij authoritate destruxit, vt nullũ deprauatorũ à remedio correctionis arceret. Vnde quia in tempore indulgentiæ resipiscentiã magis, quàm pertinaciã delegisti, ita gaudeo te cælestem expetisse medicinã, vt fidei, ab hæreticis impugnatę, tãdem posis esse defensor. Quanuis enim nulli sacerdotũ liceat nescire, quod prædicat, quoniã qui ignorat, ignorabitur, inexcusabilior tamẽ est omnibus imperitis quilibet Hierosolymis habitãs Christianus, qui ad cognoscendam virtutẽ Euangelij non solum paginarum eloquijs, sed ipsorum locorum testimonijs eruditur. Et quod alibi non licet non credi, ibi non potest non videri. Quid laborat intellectus, vbi est magister aspectus? Et cur lecta vel audita sunt dubia, vbi se & visui, & tactui tot humanæ salutis ingerunt sacramenta? Quasi ad singulos quosq; cunctantes Dominus adhuc voce corporea vtatur, & dicat: Quid turbati estis & quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ipse ego sum Palpate & videte quia spiritus ossa & carnẽ nõ habet, sicut me videtis habere. Vtere ergo frater charissime, inuictissimis catholicæ fidei documẽtis, & euangelistarũ prædicationẽ sanctorũ locorũ, in quibus degis, testificatione defende. Apud te est Bethleem, in qua salutifer Dauidicæ virginis partus illuxit, quem obuolutum pannis inter angustias diuersorij, præsepe susceptit. Apud te est declarata ab angelis, adorata à Magis, & per multorũ infantium mortes ab Herode quęsita saluatoris infantia. Apud te est, vbi pueritia eius adoleuit, vbi adolescẽtia maturuit, & per omnia incrementa corporea, in virum perfectũ veri hominis natura profecit, non sine cibo eluritionis, nõ sine somno quietis, non sine fletu miserationis, nec sine pauore formidinis. Vnus enim atq; idem est qui & in Dei forma operatus est miracula magna virtutis, & in forma serui subijt sæuitiã passionis. Hoc tibi ipsa crux indesinenter loquitur, hoc lapis clamat sepulchri, in quo Dominus humana conditione iacuit, & de quo diuina potentia resurrexit. Et cùm ad montem Oliueti, locũ ascensionis veneraturus, accedis, nónne illa vox angelica in tuo resultat auditu, qua eleuationem Domini stupentibus dicitur: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cælum. Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat, quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui in nostra carne crucifigitur: quæ, nullo interueniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis. Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo, vacuauit: vt sicut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante iustitia, vbi est humana susceptа natura. Nulla enim ratione extra nostri est corporis veritatem, de quo Euangelista prædicationem inchoans, dicit: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Et qui Sanctæ mariтanæ mulieri protestatur, quoniam salus ex Iudæis est, beati Pauli apostoli consonante doctrina, cùm dicit: Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Itemq; ad Timotheum: Memento, inquit, Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundùm carnem. Hæc autem veritas quantis & noui & veteris testamenti authoritatibus declaretur, pro antiquitate sacerdotij tui euidenter agnoscis, cùm fides patrum & scripta mea ad sanctæ memoriæ Flauianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adiecta vniuersalis synodi confirmatione, sufficiant. Vnde prospicere oportet dilectionem tuam, ne contra redemptionis, ac spei nostræ ineffabile sacramentum, vllus obmurmuret. Sed si qui sunt, quia adhuc aut ignorantia caligant, aut peruersitate discordant, eorum, quorum in Ecclesia Dei apostolica fuit & clara doctrina, authoritatibus instruantur, & de incarnatione verbi Dei hoc nos credere, quod illi crediderе, cognoscant, neque se extra corpus Christi, in quo commortui, & conresuscitati sumus, sua obduratione constituant: quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, vt aut in sua essentia passibilis fuerit deitas, aut in nostrę naturę susceptione mentita sit veritas. Particulam dominicæ crucis cum eulogijs dilectionis vestræ veneranter accepi. Data pridie Nonas Septemb. Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

1. Cor. 14.

Luc. 24.

Luc, 2.

Matth. 2.

Luc, 2. 3.

Matth. 4.

Marc. 4.

Ioan. 11.

Matth. 26.

Ioan. 19.

Matth. 28.

Actor. 1.

Rom. 5.

Coloss.

Matth. 1.

Ioan. 4.

Rom. 9.

2. Tim. 2.

In Tom. Concil. est lxxj.

Epistola septuagesima tertia eiusdem ad Leonem Augustum.

Leo Romæ Episcopus, Leoni semper Augusto.



An. Christi 457 pontificatus S. Leonis 18.

OFficijs, quæ ad gratulationem Imperij vestri pertinent, persolutis, etiam hanc paginam necessariæ supplicationis adiici, qua catholicæ fidei diuinitùs præparatum fauoris vestri posco præsidium. Nam talia in Alexandrina ecclesia perpetrata, fratris & coepiscopi mei Anatolij relatione cognoui, vt omnis Christiana religio sentiat se impeti atq; violari, nisi vniuersali fidei vestra deuotione prospiciatur, & memoratæ ecclesię, quę anteà catholicis fuit clara doctoribus, reddatur Christiana libertas, vt cessantibus hæreticorum impugnationibus, Euangelica doctrina, quæ illic ante Dioscorum viguit, vnita cum totius Ecclesiæ pace reparetur. Quod opus virtutibus vestris gloriæq; conueniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, si apud sanctam Chalcedonensem synodum de Domini Christi incarnatione firmata, nulla permiseritis retractatione pulsari: quia in illo Concilio, per spiritum sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, vt nihil ei regulæ, quæ ex diuina inspiratione prolata est, aut addi possit, aut minui. Hoc autem etiam apud clementiæ vestræ scientiam non ambigimus esse perspicuum, siquidem (vt multorum antè relatione comperimus) molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ synodi authoritatem conabantur adsurgere, nihil ex hoc permiseritis audere. Vnde quod negandum illis spontè vidistis, gloriosum vobis est vniuersali Ecclesiæ, me supplicante, concedere, & incommutabiliter perpetueq;

Leon. 18. scripta est hæc epistola & tres sequentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tueq; præstare, vt quæ secundùm Euangelium Christi, & prædicationis Euangelicæ veritatem omnibus retrò seculis, vna fide vnaq; intelligentia roborata sunt, nulla vlteriùs possint actione conuelli. Prout ergo misericordia Dei, consilio spiritus sui, mentem vestræ pietatis instruxerit, sanctæ primitùs Alexandrinæ ecclesiæ pacis reparationi consulite, & per catholicos sacerdotes talem prouideri iubete pontificem; in quo & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil possit reprehensibile reperiri, vt omnibus ritè compositis, cadè vbiq; seruetur prædicatio veritatis. Data 5. Idus Iunij. Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est lxxij.

Epistola septuagesimaquarta eiusdem ad Leonem Augustum.

Leo Episcopus Romæ, Leoni semper Augusto.

LIcet proximè ad clemẽtiam vestram gemina scripta direxerim, quorum vnum debitum salutationis impleret, aliud pro statu Ecclesiæ supplicaret, tamen occasione, quæ Deo prouidente se præbuit, iterari vtrunque conuenit. Secundùm ergo fidutiã, illam quam ex Dei inspiratione vniuersali Ecclesiæ præstitistis, ante cuiusquam preces constituendo, quod maximè ab omnibus fuerat expetendum, non desinimus gratias agere, & prouidentiam Dei in fidei vestræ feruore benedicere, qui sancto & catholico spiritu, sicut fratris & coepiscopi mei Anatolij sermone cognoui, ita hæreticorum impudentiæ restitistis, vt profiteremini, ad totius mundi pacem, Chalcedonensis synodi vos esse custodem. Quod cùm ex vestræ fidei sententia saluberrimè diffinitum sit, quantò studiosiùs vniuersali Ecclesiæ est conferendum, vt tranquillitas fidei Christianæ etiam vestro prosit Imperio, nec improbitas hæretica in aliquo suo molimine glorietur? Cuius pertinax insidiola contentio ilicò conquiesceret, si Imperiali potestate frenetur. Data Calendis Septembris, Cõstantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

In Tom. Concil. est lxxiij.

Epistola septuagesimaquinta eiusdem, ad eundem Leonem Augustum.

Leo Episcopus Leoni Augusto.

LIteras clementiæ tuæ, plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi: quibus cuperem etiam in eo, quòd præsentiam meam pietas vestra necessariam existimat, obedire, vt maiorem fructum conspectu vestri splendoris assequerer: sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligẽdum ratio demonstrauit. Nam quum sancto & spirituali studio vniuersam pacem Ecclesiæ muniatis, nihilq; sit conuenientius fidei defendendæ, quàm his, quę per omnia, instruente spiritu sancto, irreprehensibiliter definita sunt, inhærere, ipsi videbimur bene statuta conuellere, & authoritates, quas Ecclesia vniuersalis amplexa est, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum colligendis ecclesijs modum ponere, sed data licentia rebellandi, dilatare magis, quàm sopire certamina? Vnde, quia post illas Ephesinæ synodi impietates, quibus Dioscori scelere fides catholica refutata, peruersitas Eutychiana suscepta est, nihil ad confirmationem fidei Christia-

De 2. prophana Ephesina Synodo dicit.

Christianæ vtilius potuit ordinari, quàm vt prædicti facinus sancta synodus Chalcedonẽsis aboleret: & tanta illic haberetur cælestis cura doctrinæ, vt nihil in cuiusquã opinione resideret, quod à prædicatorib. vel propheticis, vel apostolicis dissonaret, ea scilicet moderatione seruata, vt rebellibus tantùm ac pertinacibus ab Ecclesiæ vnitate reiectis, nulli correcto venia negaretur. Quid probabilius, quid religiosius poterit pietas vestra decernere, quàm vt quæ non tam humanis, quàm diuinis sunt statuta decretis, nullus vltrà sinatur impetere, ne verè digni sint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipsius ausi fuerint dubitare? Cùm ergo vniuersalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationẽ facta sit petra, & primus apostolorũ beatissimus Petrus voce Domini dicentis audierit: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam: quis est, nisi aut Antichristus, aut diabolus qui pulsare audeat inexpugnabilẽ veritatẽ, qui in malitia sua inconuertibilis perseuerans, per vasa iræ, & suæ apta fallaciæ, falso diligentiæ nomine, dum veritatẽ se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare? Atq; cõtemnenda & vitanda meritò sibi incõtinens furor, & impietas cæca præscripsit, vt dum diabolico instinctu in sanctam Alexandrinã sæuit Ecclesiam quales essent qui Chalcedonẽsem synodũ retractari cupiunt, disceretur in qua nullo modo accidere potuit, vt à nobis contra sanctam Nicenã synodum sentiretur, quod hæretici mentiuntur, qui se fidem Niceni Concilij tenere confingunt, in quo sancti & venerabiles patres nostri contra Arium congregati, non carnẽ Domini, sed deitatem filij homousion patri esse firmauerent: in Chalcedonensi autẽm Concilio aduersùm Eutychianam impietatem definitum est, de substantia virginis matris Dominum Iesum Christum sumpsisse nostri corporis veritatem. Apud Christianissimũ igitur principẽ, & inter Christi prędicatores digno honore numerandũ, vtor catholicæ fidei libertate, & ad consortium te apostolorum ac prophetarum securus exhortor, vt constanter despicias ac repellas eos: qui se Christiano nomine priuauere: nec patiaris parricidas sacrilega simulatione fide agere, quos cõstat fidẽ velle vacuare. Cùm enim clementiã tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas, depellendo scilicet peruasores iuris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ ecclesiæ reformando, vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regiæ ciuitati non retribuat, quæ antea admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui, venerabilis Imperator, omnes, qui per totum orbem sunt, Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare: in qua re specialiùs ambiunt, qui apostolicæ fidei sectatores Alexandrinæ ecclesiæ præsidere, agentes apud pietatem tuam, ne hæreticos homines, & meritò pro sua peruersitate damnatos, vti sua persuasione patiamini: cùm siue impietatem errorum aspicias, siue opus perpetrati furoris attendas, non solùm ad sacerdotij honorem admitti nequeant, sed ab ipso Christiano nomine mereantur abscindi. Nam (quod exorata pietatis vestræ venia dixerim) quodam contagio splendorem vestræ serenitatis obfuscãt, cùm sacrilegi parricidæ id audeãt petere, quod nec innocentes liceat obtinere. Oblatæ sunt gloriosissimæ pietati vestræ preces, quarum exempla vestris literis subdidistis: sed in his, quæ catholicorum sunt deplorantium, subscriptio continetur, & quia causa probabilis est, fiducialiter nomina singulorum, vel dignitas sui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo principi hæretica porrigere non formidauit obreptio, sub incerto confusæ vniuersitatis vocabulo, ideò certum nomen retrahitur, ne non solùm paucitas personarum, sed etiã meritũ detegatur. Latère enim sibi vtile æstimat eorũ quantitas, quorũ est & qualitas iudicata: nec incõgruè cuius loci homines sunt, profiteri metuũt, qui meruère damnari. In vna ergo, catholicorũ supplicatio cõtinetur: in alia, hæreticorum commẽta panduntur. Hic sacerdotũ Domini, & totius Christiani populi, ac monasteriorũ defletur vniuersio: ibi immanium scelerũ

Matt. 16.

Hæretici, veritatis studiũ mentiuntur.

Hæretici de fide agere non debẽt.

continua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

continuatio demonstratur, vt quod non licuit audiri, liceat dilatari. Nónne perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere, & quibus debeat obuiare, ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronũ? Manifestum quippe est, per crudelissimam immanissimamq; sæuitiam, omne illic cælestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidalib. manibus impiorum omnia se subtraxere mynisteria. Nec vllo modo ambigi potest, quid de his decernendum sit, quid post nefanda sacrilegia, post sanguinẽ probatissimi sacerdotis effusum, & cõcremati corporis cinerẽ, in contumeliam aëris cælicq; dispersum, audent sibi ius peruasæ dignitatis expetere, & apostolicæ doctrinę inuiolabilem fidem ad Concilia prouocare. Nagnũ ergo vobis est, vt diademati vestro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hostib. Ecclesiæ triũphetis. quia si laudabile vobis est aduersum gentium arma conterere, quãta erit gloria, ab insanissimo tyranno Alexandrinam ecclesiam, in cuius cõtritione omnium Christianorũ est iniuria, liberare? Vt autem literæ meæ pietati tuæ colloquiũ quasi præsentis exhibeant, quicquid de communi fide fueram suggesturus, scriptis prosequentib. insinuandum esse perspexi. Ac ne huius epistolę pagina in nimiã longitudinem tenderetur, alijs literis, quæ assertioni catholicæ fidei congruunt, cõprehendi, vt licet ea, quæ à sede Apostolica sunt prædicata, sufficerent, insidias tamẽ hæreticorum etiam hęc, quę sunt adiecta, referarent. Sacetdotalem namq;, & apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere, cum quod Constantinopolitanæ ecclesiæ puritatem *pestilẽter obscurat, in qua inuentur clerici quidam, hæreticorũ sensui consonantes, & intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis hæreticorum partem adiuuantes. In quibus deturbandis si frater meus Anatolius, cùm nimis benignè parcit, segnior inuenitur, dignamini pro fide vestra, atiam istam Ecclesiam præstare medicinam, vt tales non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur, ne vlteriùs sanctus Dei populus peruersorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ Iulianum Episcopum, & Etium ptesbyterum mea petitione commendo, vt suggestiones eorum pro catholicę defensione fidei placidè digneris audire, quia verè sunt eiusmodi, vt fidei vestræ possint per omnia vtiles inueniri. Data Calen. Decemb. Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

Matt. 21. Marc. 11. Luce 19. 1. quæst. 1. Manifestũ est p crud. Vide de hu Euagrium lib. 2. c. 8. et Nicephorũ lib. 15. c. 16.

*pestilẽter obscurant.

In Tom. Cõcil. est lxxiiij.

Epistola septuagesima sexta eiusdem, ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum.

Leo Episcopus Anatolio Episcopo.

DIligentiam necessariæ solicitudinis, quã fraternitas tua in dirigendis ad nos literis exequitur, approbamus, & ecceptis per filium nostrũ Olympium paginis tuis, sacerdotalem in te curam vigere sentimus, cui nos quoq; (quantùm Dominus dat posse) non desumus, exorãtes dilectionem tuam, vt quia tempus laboris incidimus, in sancta vigilantia perseueres, donec dextera Domini faciat virtutem, & sub pedibus Ecclesię suæ conterat tẽtatorem. Consolatur etenim nos per omnia præparata diuinitùs clementissimi principis fides, quem meo rursus, sicut oportuit, sum cohortatus alloquio, vt impijssimorũ latronũ ausibus, districtiore constantia faciat obuiari: quos nefas est tantum de suo fauore præsumere, vt etiam apud Cõstantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideò diuinæ prouidentiæ ratione permittitur, vt magis ac magis quo spiritu agitẽtur, appareat: ne dubitari possit, in quantã essent audaciam prorupturi, si post damnationẽ impijssimæ hæresis, disceptandi cõtra fidem acciperent potestatẽ, vt quantum in ipsis est, latiùs hoc furore sæuirẽt, quem fratres & coepi-

Psalm. 117. Rom. 16.

& coepiscopi nostri, qui ad vos nuper ex Aegypti partibus confugêre, se pertulisse deplorant: quibus & à Christianissimo principe, & à tuæ fraternitatis Deo placita charitate, solacia pietatis impendi non ambigerem, etiam si ipse non scriberes. Opportunum autem credidi, vt ad ipsos quoque scripta dirigerem, quæ illos possint in cõmunis fidei propositio roborare, & vt quid pro patientia sua superna remuneratione mereantur, agnoscerent, sicut B. Apostolus docet, dicens: Excipite itaq; illos cum omni gaudio, in Domino, & huiusmodi cum honore habete, quoniã propter fidem Christi vsq; ad mortẽ accesserunt. Illud sanè plurimùm mihi displicere significasti eo, quòd inter dilectionis tuę clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorũ conniueant prauitati, & vasa iræ vasis misericordiæ misceantur. Quibus inuestigandis, & seueritate congrua coërcendis debet diligentia tua vigilanter insistere, ita vt his, quibus prodesse non potuerit correctio, non pareat abscisio. Oportet etenim nos Euãgelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate percipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius sit, his in Ecclesijs carere membris, quàm cum ipsis in æterna ira supplicia. Nam superfluò extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his, qui intus sunt, in eis, quos decipiunt, vulneramur. Abijcienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Quantùm itaque opportunitas inuitat officij, religiosissimum principem dilectio tua studeat frequentare, & non solùm regiam, sed & sacerdotalem ipsius mentẽ, precibus meis obsecrare persiste, vt memor cõmunis fidei, quam spiritu sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat: neq; quicquam illis in Ecclesijs Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint diuina mysteria, quibus in domo Dei, pro scelerum suorum magnitudine, nec habitandi ius residet, nec orandi. Data quinto Idus Octobris, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

Philip. 2.

24. q. 3. Illud sanè.

Matt. 18. Marc. 9.

1. Reg. 2.

In Tom. Cõcil. est lxxv.

Epistola septuagesima septima eiusdem ad Anatolium Episcopum per Patritium diaconum missa.

Leo Episcopus Anatolio Episcopo:

LEctis dilectionis tuæ literis, quas per filium nostrum Patritium diaconum direxisti, intellexi tibi studium meæ solicitudinis displicere, qua secundùm dominicã charitatem, quam tibi à nobis impendi, experimentis plurimis approbasti, de cauendis his, qui communi fidei aduersari dicerẽtur, admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, si quisquam in Ecclesia catholica ea prædicare præsumeret, quæ hæreticorum sensibus cõuenirent. Quod vtrùm veraciter fama iactaret, dilectionis tuæ inquirendum iudicio delegaui. Neq; in aliquo honorem tuum læsi, cui discutienda ea, quæ ad me erant perlata, commisi: vt scilicet Atticus presbyter, quem talia audere cognoueram, nisi perfecta se satisfactione purgasset, & non solùm voce hæreticos, sed etiã propriæ manus subscriptione damnasset, à cõmunionis gratia esset alienus. Qui scripta mittendo dubiæ fidei & professionis incertæ, confirmauit magis, quàm diluit, quicquid ad nos de eo fama pertulerat, cùm si conscientiã suam voluisset probare synceram, non Eutychen sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, debuerat confiteri: quia aliud sunt humanæ, etiam inter catholicos, simultates: aliud diabolici, quos fides catholica damnat, errores. Et ideò, frater charissime, in nullo debes de nostra dilectione dubitare, si pro-

An. Christi 458. pontificatus S. Leonis 19. scripta est hæc epistola, & duæ sequentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si prophetæ exemplum sequaris,& dicas: Nónne, qui te oderant Domine, oderam illos,& super inimicos tuos tabescebam? Per omnia enim volo te esse certissimum, quòd sicut meam existimationem illæsam cupio permanere,ita opto te quoq; in omnibus irreprehensibilem reperiri. Prædictus autem Atticus, vt ab omni suspicione contraria liber appareat,quid in Eutychete anathematizet ac damnet, euidenter ostendat,& in damnationem erroris expressi, remota omni dubitatione, subscribat, ita vt Chalcedonẽsis synodi definitionem de fide,cui etiam dilectio tua subscribendo cõsensit,& quam Apostolicæ sedis firmauit authoritas, profiteatur se per omnia seruaturum,adiecta subscriptione propria manus,quæ in Ecclesia Christiano populo præsente recitetur,vt pro Catholica fide,neque nos negligẽtes,neq; ipse vltrà suspectus habeatur. Qui si in eadem prauitate perdurans, præceptis salubribus parere noluerit,sententiam synodi Chalcedonensis, cuius definitionib.resultat, excipiat. Data decimoquinto Calendas Aprilis,Leone & Maioriano Augustis consulib.

In Tom. Concil. est lxxvi.

Epistola septuagesimaoctaua eiusdem,ad Leonem Augustum per Philonem in rebus agentem directa.

Leo Episcopus Leoni Episcopo.

MVlto gaudio mẽs mea exultat in Domino, & magnà mihi est ratio gloriandi, cùm clementiæ vestræ excellentissimam fidem augeri per omnia donis gratiæ cælestis agnosco, & per incrementa diligentiæ, deuotionem in vobis animi sacerdotalis experior. Nam in vestrę pietatis alloquijs non dubie patet, quid per vos in totius Ecclesiæ salutem spiritus sanctus operetur,& quantùm vniuersorum fidelium precibus sit oportandum, vt in omnem gloriam vestrum extendatur imperium,qui supra curam rerum temporalium,religiosæ prouidentiæ famulatum diuinis & æternis dispositionibus perseueranter impenditis, vt scilicet catholica fides, quæ humanum genus sola viuificat,sola sanctificat, in vna confessione permaneat: & dissensiones, quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur, à solliditate illius petræ,supra quam ciuitas Dei ædificatur,abigantur. Hæc autem Dei munera ita diuinitùs demum nobis conferentur, si de his, quæ præstita sunt, non inueniamur ingrati,& tanquam nulla sint,quæ adepti sumus,contraria potiùs expetamus. Nam quæ patefacta sunt, quærere, quæ perfecta sunt,retractare,& quæ sunt diffinita,conuellere,quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum,improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extẽdere? Vnde,quia ad pacem vniuersalis Ecclesiæ, & ad custodiam catholicæ fidei, cura dignamini solicitiore respicere: euidenter agnoscitis,quòd magnis hæreticorũ audetur insidijs, vt inter Eutychis Dioscoriq; discipulos, & eum,quem Apostolica sedes direxerit, diligentior, tanquam nihil fuerit antè diffinitum, tractatus habeatur,& quod totius mundi catholici sacerdotes *in sancta Chalcedonensi synodo probant gaudentque firmatum,in iniuriam etiam sacratissimi Cõcilij Niceni efficiatur infirmum. Quod enim nostris temporibus apud Chalcedonam de Domini nostri Iesu Christi incarnatione firmatum est, hoc etiam apud Niceam mysticus ille patrum numerus definiuit, ne catholicorum confessio, aut vnigenitum Dei filium in aliquo crederet patri imparem,aut eundem,cùm factus est filius hominis,non veram carnis nostræ atq; animæ habuisse naturã. Detestandum ergo nobis est,perseueranterq; vitandum, quod fraus heretica nititur obtinere: nec in aliquã disceptationẽ, piè & plenè definita,reuocanda sunt,ne ad arbitrium damnatorum,ipsi de his videamur ambigere,quę manifestum est,per omnia propheticis,& euangelicis,& apostolicis authoritatib.consonare

Ita hæretici faciunt.

** à sancta*

Quo aut quoto capitulo nondũ certum est.

sonare. Vnde,si qui sunt,qui ab his,quæ cælitùs sunt constituta, dissentiunt,suis opinionibus relinquentur,& ab vnitate Ecclesiæ, cum ea, quam elegêre, peruersitate discedant. Nam nullo modo fieri potest, vt qui diuinis audent contradicere sacramentis,aliqua nobis communione socientur. Iactent se in sui eloquij vanitate,& de argumentationũ suarum versutia,quæ inimica est fidei,gloriẽtur: nobis placet Apostolicis obedire præceptis,dicentibus: Videte: ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem hominum. Nam secundum eundem Apostolum, si quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo,quas non solùm authoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui. Quia sicut sanctè, veraciterque dixistis, perfectio incrementum,& adiectionem plenitudo non recipit. Vnde cùm sciam te,venerabilis princeps,synceriſsimo veritatis lumine imbutum,in nulla fidei parte nutare, sed sancto perfectoque iudicio à prauis recta discernere,& à refutandis amplectenda diuidere: obsecro, ne humilitatem meam de diffidentia putes esse culpandam, quum hæc mea cautio non solùm vniuersali Ecclesiæ consulat,sed etiam tuæ glorię famuletur, ne sub Imperij tui tempore,& hæreticorum aucta videatur improbitas, & catholicorum perturbata securitas. Quanuis ergo multùm per omnia de pietatis vestræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis spiritum Dei, satis vos instructos esse perspiciam, ne fidei vestræ vllus possit error illudere, præceptioni tamen vestræ in eo adnitar obedire, vt aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos presentiæ meæ instar exhibeant,& quæ sit apostolicæ fidei regula, licet (vt dixi) vobis benè sit nota, demonstrant, patefacientes in omnibus & probantes, non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitiones venerabilis synodi Nicenæ, vel sancti Chalcedonensis Concilij regulas non sequuntur, cùm vtrorumque sancta decreta ex Euangelico & apostolico sit manifestum fonte prodire,& quicquid non est de irrigatione Christi, poculi esse viperei. Prænoscat igitur pietas vestra, venerabilis Imperator hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos, à sede Apostolica profecturos, quia de rebus & apud Niceam & apud Chalcedonam (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per spiritum sanctum fixit authoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerij nostri præsidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ita à rebellibus hæreticis abstinemus, memores præcepti dominici, dicentis: Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Nimis quippe indignum, nimisque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat spiritus sanctus per Prophetam, dicens: Filij alieni mentiti sunt mihi. Qui etiam si Euangelio non resisterent, de illis tamẽ se esse monstrarent, de quibus scriptum est: Deum se profitentur scire, factis autem negãt: clamante adhuc iusti Abel sanguine aduersùm impium Cain, qui increpatus à Domino, non requieuit ad pœnitudinem, sed exarsit ad cædem. Cuius vindictam sic Domini iudicio volumus reseruari, vt improbus prædo & parricida crudelis in seipsum recidat,& nostra non teneat. Neque sanctæ ecclesiæ Alexandrinę lamentabilem captiuitatem patiamini vlteriùs prolongari, cui oportet fidei vestræ iustitiæque præsidio,suam restitui libertatem, vt per omnes Aegypti vrbes dignitas patrum & ius sacerdotale reparetur. Data vndecimo Calendas Aprilis, Leone & Maioriano Augusto consulibus.

Coloss.2.

Galat.2.

Obserua q. caueris sanctum Pontifex, ne semel definita in dubium vocaueritur.

Matt.7.

Psalm.17.

Tit.1

Gen.4.

Epistola

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tom. Cõcil. est lxxvij.

Epistola septuagesimanona eiusdem ad Nicetam Episcopum Aquileiensem.

Tituli capitulorum epistolæ sequentis.

Quòd debeant fœminæ, quæ captis viris, nupserant alijs, regressis de captiuitate viris prioribus copulari, vt quod suum est, vnusquisque recipiat. I.

Quòd non probetur esse culpabilis, qui vxorem captiui in matrimonium vi detur esse sortitus. II.

Vt si viri de captiuitate regressi, intemperantia vxoris offensi non fuerint, & voluerint eas in coniugium recipere, liberam habeant facultatem. III.

Vt si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ Ecclesiæ communione priuandæ sint. IIII.

Captiuis, aut terrore, aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulsis, pœnitentia concedenda est. V.

Quòd hi, qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel terrore coacti, animos inclinarunt, sint subleuandi remedio, ita vt senilis ætatis, periculorũ quoque et ægritudinũ, cæterarumq; necessitatum habeant solicita consideratione respectum. VI.

Vt hi, qui ab hæreticis baptizati sunt, sola sancti spiritus inuocatione firmentur. VII.

Leo Episcopus Nicetæ Aquileiensi Episcopo. salutem.

REgressus ad nos filius meus Adeodatus, diaconus sedis nostræ, dilectionem tuam popoſciſſe memorauit, vt de his à nobis authoritate Apostolicę sedis acciperes, quę quidem magnam difficultatem diiudicationis videntur adferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, vt vulnera, quę hostilitatis aduersitate illata sunt, religionis maximè ratione sanentur.

Caput I.

34.q.1.& 2 Cum per bellicam. Et in Dec. Iuo. lib.6.

CVm ergo per bellicam cladem, & per grauissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis diuersa esse coniugia, vt abductis in captiuitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putarint, aut nunquam à dominatione crediderint liberandos, & ad aliorum coniugium, solitudine cogente, transierint: cumque nunc statu rerum, auxiliante Domino, in meliora conuerso, nonnulli eorum, qui putabantur perijsse, remeauerint: meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ alijs iunctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia nouimus scriptum, quòd à Deo iungitur mulier viro, *Prouer. 19.* & iterum præceptum agnouimus, vt quod Deus iunxit, homo non separet: necesse *Matt. 19.* est, vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hostilitas intulit, vnicuique hoc, quod legitimè habuit, reformetur: omniq; studio procurandum est, vt recipiat vnusquisq; quod proprium est.

Caput

Caput II.

NEc tamen culpabilis iudicetur, & tãquam alieni iuris peruasor, qui personam eius mariti, qui iam non esse æstimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos, qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebãt, in ius alienum trnsire potuerunt: & tamen plenum iustitiæ est, vt ijsdem reuersis propria reformentur. Quod si in mancipijs, vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus ritè seruatur, quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum est, vt quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur?

Caput III.

ET ideò, si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarum coniugum perseuerant, vt eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit, & restituendum, quod fides posit.

Caput IIII.

SI autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorũ amore sunt captæ, vt malint his cohærere, quàm in legitimum redire consortium: meritò sunt notandæ, ita vt etiam Ecclesiastica communione priuentur: quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod iusta remissio potuit expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia, neque vllo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres, quæ reuerti ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt: ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, meritò sunt laudabiles iudicandæ.

Caput V.

DE his autem Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiuati, immolatitijs cibis asserũtur esse polluti, cõsultationi charitatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus, vt pœnitentiæ satisfactione purgẽtur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda est. Et siue hoc terror extorserit, siue fames suaserit, non dubitetur abolendum, cùm huiusmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

Caput VI.

HIs verò de quibus dilectio tua similiter nos credidit cõsulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram, non nisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant vnitatem, tempora pœnitudinis habita moderatione, tuo cõstituente iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habens senilis ætatis initium, & periculorum quorumque aut ægritudinum respiciens necessitates: in quibus si quis ita grauiter vrgeatur, vt dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem solicitudinẽ communionis gratia subueniri.

26.quæst.7 Tempora pœnitudinis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VII.

1.q.1. Hiq. baptisma.

1.q.1. Hanc regulam.

Ephes.4.

NAm hi, qui baptismum ab hęreticis acceperunt, cùm baptizati antè non fuissent, sola inuocatione spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpsere. Et hanc regulam (vt scitis) seruandam in omnibus ecclesijs predicamus, vt lauacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicēte Apostolo: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio sancti spiritus inuocanda est, vt quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres & comprouinciales tuos Episcopos facies peruenire, vt omnium obseruantiæ data prosit authoritas. Data duodecimo Calend. April. Maioriano Augusto primùm consule.

In Tom. Cōcil. est lxxvij.

Epistola octuagesima eiusdem ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos.

Tituli capitulorum sequentis epistolæ.

Vt non omni tempore baptismi regeneratio detur, sed tantùm in Paschа & Pentecoste, nisi periculosa infirmitas obrepserit. I.

De pœnitentia fidelium, & confessio eorum non publicetur. II.

Leo vniuersis Episcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutis.

Caput I.

An. Christi 459. pontificatus S. Leonis 20. scripta est hac epistol.

MAgna indignatione commoueor, & multo dolore contristor, quòd quosdam ex vobis ita comperi esse Apostolicę traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, vt præter Paschæ festum, cui sola Pentecostes solennitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogēte, sed sola indisciplinati arbitrij libertate, ius baptismatis vendicare, & in natalibus martyrum, quorum finis alteris celebrare mysteria, ac sine vllis spiritualium eruditionibus præparationum, ita honorandus est, quàm dies dominicæ passionis regenerationis celebrandus est. Quod nos ita rudibus & imperitis tradere sacramentum, vt circa renouandos nihil doctrina Ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieiunia, quibus vetus homo destruitur, operentur: neque in *tanto mysterio salutis humanæ vlla eius diei habeatur exceptio, quo ipsum donum est conditum *renascentibus. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hæc faciunt, protestamur, vt ab hac præsumptione cessetur, & summam hanc potentissimamque Dei gratiam, non nisi in Paschali & Pentecostes die desiderantibus & credentibus conferatis, manente quolibet tempore grauium necessitatum ac periculorum cōsideratione, secundùm quam oporteat subuenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas, necessariā liberatione fraudetur, cùm seruata (sicut prælocuti sumus) duarum tantummodò festiuitatum reuerentia, propter multa pericula sit cauendum, ne cuiquā aut in desperata ægritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore naufragij, per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis verò post hoc interdictum, in eadem fuerit

**tot mysterijs.*

** renascendi.*

fuerit vsurpatione detectus, dignam pertinaciæ suæ incidet vltionem: quoniam ostendit se turpe potiùs lucrum, quàm religionis cultum esse sectatum.

Caput II.

ILlam etiam, contra Apostolicam regulam, præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorū genere, libellis scripta professio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotib. indicari cōfessio secreta. Quanuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt eā, qui pœnitentiam poscūt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta referare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accidit. Tunc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur cōscientia confidentis. Datū pridie Nonas tij Recimero consule.

Cōfessio sacramēto alijs.

De pœnitētia dist. 1. Quanuis plenitudo.

De pœnitētia dist. 1. Sufficit pœnitenti.

Epistola octuagesimaprima eiusdem ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum.

In Tom. Cōcil. est lxxix.

Tituli capitulorum epistolæ sequentis.

De ordinatione presbyteri aut diaconi, vt sabbato sancto celebretur, id est, die dominico. I.

De festiuitatibus, vt si vna Agenda, id est, Missæ celebratio, populis non sufficerit, nulla sit dubitatio iterari sacrificium. II.

Leo Episcopus Dioscoro Episcopo Alexandrino salutem.

QVantum dilectioni tuæ dominicæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quòd tua firmiùs desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, quum tibi *specialis gratiæ merita (vt probauimus) suffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te aliter suscipi, quàd modùm à nobis eam intelligis proficisci. Vnū enim nos sentire oportet & agere, vt (sicut legimus) in nobis quoq; vnum esse cor & anima comprobetur. Quum enim beatissimus Petrus apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quòd sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernauit, alijs regulis traditionum suarum decreta formauerit, quum sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore susceperit. Non ergo patimur, vt quum vnius nos esse corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia doctoris, alia discipuli instituta videantur.

** spiritualis.*

Actor. 4. 24. q. 1. Cū beatissimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput I.

QVod ergo à patribus noſtris propenſiore cura nouimus eſſe ſeruatum, à vobis quoque volumus cuſtodiri, vt non paſsim diebus omnib. ſacerdotalis vel Leuitica ordinatio celebretur, ſed poſt diē ſabbati eius noctis, quæ in prima ſabbati luceſcit, exordia deligantur, hoc eſt ſub lege diuini officij ſubſtituātur, in quibus his qui conſecrandi ſunt, ieiunis, & à ieiunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod eiuſdē obſeruātię erit, ſi manè ipſo dominico die, cōtinuato ſabbati ieiunio, celebretur à quo tempore præcedentis noctis initia non recedūt, quam ad diem reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt. *In decret. Iren. lib. 3* Nam præter authoritatem conſuetudinis, quam ex apoſtolica nouimus venire doctrina, etiā ſacra ſcriptura manifeſtat, quod cum Apoſtoli Paulum & Barnabam ex *Actor. 13.* præcepto ſpiritus ſancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus: vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantę benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè & laudabiliter apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hāc ordinandorum ſacerdotum formam per eccleſias, quibus Dominus prę eſſe te voluit, etiā ipſe ſeruaueris, vt his, qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictiones niſi in die reſurrectionis dominicę tribuantur, cui à veſpera ſabbati initiū connes ſtat adſcribi, & tantis diuinarum diſpoſitionum miſterijs eſt cōſecrata, vt quicquid *Dominicæ diei insignia* eſt à Domino inſignius conſtitutū, in huius diei dignitate ſit geſtū. In hac mundus ſumpſit exordium: in hac per reſurrectionem Chriſti, & mors interitū, & vita accepit initium. In hac apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam ſumunt, & inſerendum vniuerſo mūdo ſacramentū regenerationis accipiūt. In hac *Ioan. 20* (ſicut beatus Ioannes Euangeliſta teſtatur) congregatis in vnum diſcipulis, ianuis clauſis, quum ad eos Dominus introiſſet inſufflauit, & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorū detinueritis, detenta *Ioan. 14. & 16.* erunt. In hac denique promiſſus à Domino apoſtolis ſpiritus ſanctus aduenit, vt cæleſti quadam regula inſinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria ſacerdotalium benedictionum, in qua collata ſunt omnia dona gratiarum.

Caput II.

VT autem in omnibus obſeruantia noſtra concordet, illud quòque volumus cuſtodiri, vt quum ſolennior feſtiuitas conuentum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quā recipere baſilica ſimul vna nō poſsit, ſecrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admiſsis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur hi, qui poſtmodùm confluxerint, non recepti: quum plenum pietatis atque rationis ſit, vt quoties baſilicam, in qua agitur, præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem, vt quædam pars populi ſua deuotione priuetur, ſi vnius tantùm Miſſę more ſeruato ſacrificiū offerre nō poſsint, niſi qui prima diei parte conuenerint. Studioſè ergo dilectionē tuā & familiariter admonemus, vt quod noſtræ conſuetudini ex forma paternę traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio noſtro Poſsidonio presbytero, hanc ad fraternitatem tuam epiſtolam dedimus perferendam, qui noſtris proceſsionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties admiſſus, quid in omnibus Apoſtolicæ authoritatis teneremus, agnouit.

Data Calend. Iunijs.

Epiſtola

Epiſtola octuageſima ſecunda eiuſdem ad Iulianum Coënſem Epiſcopum.

In Tom. Cōcil. eſt lxxx.

Leo Epiſcopus Iuliano Coënſi Epiſcopo.

LIteras dilectionis tuæ, quas per filium meū virum illuſtrem Iſichium direxiſti, eo tempore accepi, quo recētioribus epiſtolis tuis iterata iam occaſione reſponderam. Vnde quia etiam in his alloquijs tuis eadem de impijſsimis hæreticis iuſto dolore cōqueſtus es, congruum fuit, quod ad ſcribendi opportunitas extitit, non tacere. In cauſa itaque fidei, quicquid pro noſtro officio oportuit, ac poteſt iuuāte Dommo, & ſolicitè, & libenter exequimur, vt Euangelio Chriſti irreprēhenſi oſiliter ſeruiamus, ne pēr deſidiam noſtram vlla pars Eccleſiæ catholicę neglecta videatur. Propter quod ſicut omnibus notum eſt, non deſiti laborare, vt manifeſtata atq; defenſa incarnationis dominicę veritate, omnis fraternitas, quid vbique, ſecundùm doctrinam apoſtolicam, & tenendum & docendum eſſet, agnoſceret, accedente glorioſiſsimorum principum ſtudio diuinitùs inſpirato, vt in ciuitate Chalcedonenſi ſynodo cōgregata, hæretica damnaretur impietas, ne vel quiſquam ſectator Neſtorij, vel vllus diſcipulus Eutychis liberum poſsit cum catholicis habere conſortium, cùm (quod ad ſancti Concilij authoritatem pertinet) nulla vſquam remāſerit diſcordia. Si qui autem ſua obduratione cæcati, ita in reprobi ſenſus amentiam tranſierunt, vt mallēt furere, quàm ſanari: ad Imperialem pertinet poteſtatem, vt perturbatores Eccleſiæ pacis, & Reipubl. quæ Chriſtianis principib. meritò gloriatur, inimici ſolicitùs comprimantur. Vt autem Imperialis eſt (vt diximus) poteſtatis, tumultus publicos ac ſeditiones ſacrilegas ſeuerius coērcere, ita authoritatis eſt ſacerdotalis, monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non prębere, & omni virtute reſiſtere, ne ea, quę ad ſacerdotes pertinent, ſibi audeant vendicare. Vnde miramur, fratrem Thalaſiū epiſcopum, quòd Georgio neſcio cui, qui præſumendo illicita, & propoſitum monachi, & nomen amiſit, ſcribendi vel prædicandi aliquam permiſerit facultatem. Ad quem epiſcopum (ſi dilectioni tuæ viſum fuerit) ex hac parte competentia ſcripta mittamus. Agat itaq; fraternitas tua opportunis ſuggeſtionibus, vt clementiſsimus princeps, quæ Domino ſint placitura, præcipiat, & incentores cruentarum ſeditionum iubeat competentiùs coerceri, vt nec illi impuniti ſint, quorū manus ſcelera perpetrārūt, nec illi qui talium vtuntur inſania. Si aūt inquiſitio iudiciaria, & confeſsio reorum ad eas perſonas peruenit, quarum vel conſilio vel impulſu mala tāta commiſſa ſunt, nullius fauoris eis præſtanda ſunt ſolatia. Quantùm enim meliora de ipſis ſunt credita, tantùm ſunt ampliùs deteſtāndi, quorum nunc impietas, quæ per hypocriſim fuerat velata, detegitur. Et ideò agat Chriſtianiſsimus, & pijſsimus Imperator, quod paci Eccleſiaſticæ intelligit profuturum. Quem ſuperna inſpiratione ita inſtruendum eſſe confido, vt & diſciplina inquietos reuocare, & à ſanguine eorum iubeat abſtineri, quanuis nil vltionum non mereantur ſubire, qui auſi ſunt & diuinis & humanis conſtitutionibus repugnare.

Epiſtola octuageſimatertia eiuſdem ad Paleſtinos manachos.

In Tom. Cōcil. eſt lxxxj.

Leo Epiſcopus Paleſtinis monachis.

SOlicitudini meæ, quam vniuerſali Eccleſiæ, omnibuſque eius filijs debeo, multorum relatione pateſactū eſt, dilectionis veſtræ animis quiddam offenſionis illatū, dum aut imperiti (vt apparet) interpretantes, aut maligni quędam vos aliter intelligere, quàm à me ſunt prędicata, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium aptè & propriè

Cum hac epiſtola cōueniunt pleraq; in epiſt. 97.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latina transferre, cùm in rebus subtilibus, & difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisq; sufficiat. Quod tamé apud me eò proficit, vt dum ea, quæ catholica fides respuit, improbatis, intelligamus vos veris amiciores esse, quàm falsis, & id meritò refutare, quod ex antiquę institutione doctrinę etiã ipse detestor. Quanuis enim epistola mea, ad sanctæ memoriæ Flauianum episcopũ data, satis sibi ad manifestationẽ sui ipsa sufficiat, neq; in aliquo aut purgationis, aut expositionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quib. similiter prædicationis meæ sensus in aperto est. Necessitatem enim habens contra hæreticos, qui multos Christi populos conturbauerant, disserendi, & elementissimis principib. & sancto Concilio synodali, & Constantinopolitanæ ecclesiæ, quid de incarnatione verbi, secundùm euangelicam apostolicamq; doctrinam deberemus sapere ac sentire, patefeci, & in nullo à sanctorum patrum cõsessione discessi: quia vna est, vera, singularis, perfecta, inuiolabilis catholica fides, cui nihil addi, nihil minui potest. Quã Nestorius priùs, & nunc Eutyches, diuersa quidem assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt, & Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet contrarias inferre tentarunt, vt vterq; à discipulis veritatis meritò damnaretur: quia insanum nimis & sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo sensere. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginem Mariam hominis tantùm modò credidit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnũ Christum in verbo Dei & in carne sentiret, sed seperatim atq; seiunctim, alium filium Dei, alium hominis prædicaret, quum tamen manente illa incõmutabilis verbi essentia, quæ ei cum patre & spiritu sancto intemporalis atq; coëterna est, itaintra virginea viscera verbum caro sit factũ, vti vno conceptu, vnoq; partu eadem virgo, secundùm vnionem vtriusq; substantię Luce 1. & ancilla Domini esset & mater. Quòd etiam Elizabeth (sicut Lucas Euãgelista declarat) intellexit & dixit: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Eutyches quoq; eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorũ voces lutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, vt negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominũ nostrum Iesum Christum vnius asserat esse naturæ, tanquã verbi deitas ipsa se in carnem animamq; conuerterit, & concipi & nasci, nutriri ac crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascẽdere in cælum, & in patris dextera, vnde ad iudicãdos viuos & mortuos veniet, cõsidere, eius tantùm essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis veritate recipit: quoniam natura vnigeniti, natura est patris, natuta est spiritus sancti, simulq; impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternæ Trinitatis indiuisa vnitas, & cõsubstantialis æqualitas. Vnde si ab Apollinaris peruersitate hæreticus iste desciscit, ne cõuincatur deitatẽ passibilẽ sentire atq; mortalem, & tamen verbi incarnati, id est, verbi & carnis vnã audet pronunciare naturam, non dubiè in Manichæi & Marcionis transit insaniam: & mediatorem Dei & hominũ, hominem Iesum Christum simulatorie omnia credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentiũ. Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, & talium sacrilegia concordib. per totum mũdum beatorum patrum sunt damnata sententijs: quicunq; illi sunt ita obcęcati, & à lumine veritatis alieni, vt verbo Dei à tempore incarnationis, humanam, id est, nostram negent inesse naturam, ostendant, in quo sibi Christianũ nomen vsurpent, & cum euãgelio veritatis qua ratione concordent, si beatæ virginis partu, aut caro sine deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut Ioann. 1. enim negari non potest, quòd verbum caro factũ est, & habitauit in nobis: ita negari 2. Cor. 1. non potest, quòd Deus erat in Christo, mũdum reconcilians sibi. Quæ aũt reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omniũ causam mediator Dei hominumque susciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est patri, in forma serui particeps esset & nostri: vt per vnum nouum hominem fieret renouatio vetustatis, & mortis vinculum vnius praeuaricatione contractum, vnius morte, qui solus mori nihil debuit, solueretur?

Effusio

Effusio enim pro iniustis, sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam (sicut Apostolus ait) vbi abundauit peccatũ, Rom. 5. superabundauit & gratia. Et quum sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaq; sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicat, quo sacrificio reEphes. 5. conciliati, dicant quo sanguine sint redempti. Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis? Aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quanuis enim multorum sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. AccePsal. 115. père iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuêre, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, quum inter filios hominum vnus solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati, de quibus ipse dicebat: Quũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Fides etenim vera iustificans impios, & creans iustos, ad huIoan. 12. manitatis suę tracta participẽ, in illo acquirit salutẽ, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostræ humilitate cõgressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Quanuis ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, verbi & carnis vna persona sit, & vtraque essentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operũ qualitates, & syncerę fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid sit, quod caro sine verbo non agit, & Luc. 1. quid sit, quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia, nec concepLuc. 2. ret virgo nec pareret: & sine veritate carnis, obuoluta pannis infantia non iaceret. Matth. 2. Sine verbi potentia, non adorarent Magi puerum nouo sydere declaratum: & sine Matth. 3. veritate carnis, non iuberetur transferri in Aegyptum puer, & ab Herodis persecuMarc. 1. tione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris, missa de cęlo: Hic est filius Ioan. 1. meus dilectus, in quo mihi cõplacui: & sine veritate carnis non protestaretur Ioan-Matt. 4. nes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Sine verbi potẽtia nõ fieret redIoan. 11. integratio debilium, & viuificatio mortuorũ: & sine veritate carnis, nec cibus ieMatt. 4. no, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò, sine verbi potentia non se DoMarc. 4. minus patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis non idem diceret patrẽ se Ioan. 10. 16. esse maiorẽ, cum catholica fides vtrumq; suscipiat, vtrunq; defendat, quæ secũdùm Ioan. 14. proprietatem diuinæ humanæq; substantiæ, vnum Dei filium, & hominem credit, & verbum. Quanuis ergo ab illo initio, quo in vtero virginis verbum caro factum est, nihil vnquàm inter diuinam humanamque substantiam diuisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea, vnius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid cuius formæ sit, ex operum qualitate sentimus. Nec diuina enim humanis præiudicat, nec humana diuinis, quum ita in idipsum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, Ioan. 19. quæ substantia saluatoris adfixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro: & reuoluto Ibidem. monumenti lapide, quæ tertia die caro surrexerit, vel quale corpus Iesus discipuloMatth. 28. rum visui, clausis ad eos ostijs ingressus, intulerit, quum ad abigendam cernentium Luc. 23. diffidentiã, inspici oculis, digitisq; tractari patentes adhuc fixuras clauorũ, & recens Ioan. 20. compuncti lateris vulnus exigeret. At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæ- Ibidem. tica obduratio non relinquit, ostendant, vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actor.4. potest peruenire. Nō enim est aliud nomen datū hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri: nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in sanguine eius, qui dedit semetipsum redemptionē pro omnibus. Qui (sicut prædicat beatus Apo-
1.Tim.2. stolus) cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed
Philip.2. semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiū, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quanuis ergo vnus sit Dominus Iesus Christus, & veræ deitatis, veræq; humanitatis in ipso vna prorsus eademq; persona sit, neque huius vnitionis soliditas vlla possit diuisione seiungi: exaltationem tamen, qua illum exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei, æqualis erat filius patri, & inter genitorem atque vnigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in maiestate diuersitas, nec per incarnationis mysterium, aliquid decesserat verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem serui, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas est, & in gloriam diuinæ potestatis euecta est, in tantam vnitatem ab ipso conceptu virginis deitate & humanitate connexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus maiestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus. Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, cùm inseparabiliter manente vnitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum patre deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Christus, secundùm hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam secundùm potentiam verbi, indifferenter omnia, quæ habet pater, etiam filius habet: & quæ in forma serui à patre accepit,
2.Cor.8. eadem in forma patris etiā ipse donauit, & idem ipse & diues & pauper. Diues, quia
Ioan.1. in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū: Hoc erat
Ibidem. in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Pauper verò, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quę autem est eius exinanitio, quæue paupertas, nisi formæ seruilis acceptio, per quam, verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est? Nam quia captiuitatis nostræ resolui originalia vincula non poterant, & ab hostis imperio relaxari, nisi existeret homo nostri generis, nostræq; naturæ, quem veteris debiti præiudicia non tenerēt, & qui immaculato sanguine suo chirographum lœtale diluueret: sicut ab initio erat diuinitùs præordinatum, & prophetarum oraculis prænūciatum, ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis significata promissio, in diù expectatum veniret effectum: nec posset esse ambiguum, quod continuis significationibus semper fuerat nunciatum. Destructis itaq; tot hæresibus, quæ per sanctam deuotionem præsidentium patrum, à corpore sunt catholicæ vnitatis abscisę, quæq; ideò extorres à Christo esse meruerunt, quia verbi incarnationem, quæ singularis est rectè credentium salus, fecerunt sibi lapidem offensionis & petram scandali, miror dilectionem vestram in discernendo veritatis lumine laborare. Et cùm multis manifestationibus declaratum sit, quàm rectè & Nestoriū & Eutychen cum Dioscoro fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius, vel horū impietati præbet assensum: doleo vos euangelicæ & apostolicæ doctrinæ (vt audio) resultare, exagitando seditionibus ciuitates, conturbando ecclesias, nec solùm iniurias, sed etiam cædes presbyteris atq; episcopis inferēdo, vt præ furore & sæuitia, proposíti vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? Vbi longanimitas patientiæ? vbi tranquillitas pacis? vbi firmamentum dilectionis, & tolerantiæ fortitudo? Quæ vos ab euangelio Christi aut persuasio abduxit, aut

aut persequutio separauit? Vel quæ tanta extitit decipientis astutia, vt obliti prophetarum & apostolorum, obliti symboli salutaris & confessionis, quam pronuncian-
tes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant vngulæ, quid sæua tormenta, si ad expugnandam fidei vestræ integritatem tantūm vana hæreticorum commenta valuere? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, & contra Ecclesiam dimicatis. Hoccine à prophetis, hoc ab euangelistis, hoc ab apostolis didicistis, vt negantes veram Christi carnem, & ipsam verbi essentiam passioni mortiq;, subdentes, alienam faciatis nostram à suo reparatore naturam, totumq; quod crux intulit, quod lancea vulnerauit, quod sepulchri lapis suscepit & reddidit, solum fuisse opus diuinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quā Apo-
stolus dicit: Non enim erubesco euangelium: quoniam nouerat, quale Christianis *Rom.1.*
obijceretur opprobrium ab inimicis. Et ideò etiam Dominus protestabatur, dicens: *Marc.8.*
Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre *Luc.12.*
meo. Hi enim non erunt digni confessione filij & patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit: probabuntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod proferendum frontibus acceperunt, promere labijs erubescunt. Declinate filij ab his diabolicis persuasionibus, declinate. Veritatem Dei nulla res violat: sed veritas nos, nisi in nostra carne, non saluat. Veritas quippe (sicut Propheta ait) de ter- *Psalm.48.*
ra orta est: & sic verbum Maria virgo concepit, vt vniendam ipsi carnem de sua substantia ministraret, nec cum adiectione personæ, nec cum euacuatione naturę. quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam serui, vt vnus atque idem in forma vtraque sit Christus, inclinante se Deo vsque ad infima hominis, & proficiente homine vsque ad summa deitatis, dicente Apostolo: Quorum patres, ex quibus Chri- *Rom.9.*
stus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

Epistola octuagesimaquarta eiusdem ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum.

In Tom. Concil. est lxxxij.

Tituli capitulorum epistolæ sequentis.

Quòd semper Thessalonicenses antistites vicem Apostolicæ sedis impleuerint. I.
Vt metropolitanis sua iura seruentur. II.
Vt à metropolitanis, non laici, non digami, non viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur episcopi. III.
Quòd subdiaconis carnale coniugiū denegetur. IIII.
Vt nullus inuitis ordinetur episcopus. V.
Vt metropolitanus episcopus de electo, quem est ordinaturus episcopum, ad Thessalonicēsem pontificē referat, & de metropolitano electo similiter prouinciales episcopi faciāt. VI.
Vt bina per annum prouincialia episcoporum Concilia celebrentur. Et si res difficilis emerserit, nec fuerit Thessalonicensis episcopi iudicio terminata, ad Romanū referatur antistitem. VII.
Vt si quis episcopus suam deserens ciuitatem, maiorem sedem ambitus causa petierit, nec illam obtinere poterit, & sua carere debebit. VIII.
Vt nullus alienum clericum solicitare vel tenere præsumat, suo episcopo non præbente consensum. IX.
Vt in euocandis prouincialibus episcopis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pis, à Thessalonicensi pontifice moderatio conseruetur, ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumelijs addicatur. Nec amplius quàm bini de prouincijs episcopi, quos metropolitani probauerint. dirigantur. Et non amplius à statuto Concilij tempore, quàm dies quindecim remorentur episcopi. X.

Vt si inter eos de negocio fuerit oborta contentio, cuncta Romano pōtifici sub gestorum insinuatione pandātur, vt ab eo, quod Deo placuerit, ordinetur. XI.

Leo Episcopus vrbis Romæ, Anastasio Episcopo Thessalonicensi.

QVanta fraternitati tuæ à beatissimi Petri apostoli sede commissa, & qualia etiam nostro tibi fauore sint credita, si vera ratione perspiceres, & iusto examine ponderares, multùm possemus de iniunctæ tibi solicitudinis deuotione gaudere.

Caput I.

Ro. Pontifex totius Ecclesiæ curā gerit.

QVoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apostolica sede prouincijs præsentiam quodammodò nostræ visitationis impenderes: * quia de continenti opportunoq; prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam quum maiora negocia & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset, sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id, quod mensuram tuam excederet, deuiandi. Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, vt commendatas tibi Christi ecclesias, per exhortationem charitatis, ad saluberitatem obedientiæ prouocares. Quia etsi plerunq; existant inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore authoritate curari: sic tamē est adhibenda correptio, vt semper sit salua dilectio. Vnde & beatus apostolus Paulus, ad ecclesiasticū regimē Timotheum imbuens, dicit: Seniorem ne increpaueris, sed obsecrā vt patrē, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores, in omni castitate. Quæ moderatio si quibuscunq; inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? vt licet nōnunquam accidant, quæ in sacerdotalibus sint reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus charitas, quàm potestas. Sed ab his, qui quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege discēditur, & dum dominari magis quàm consulere subditis, quærūt, placet honor, inflat superbia: & quod prouisum est ad concordiā, tendit ad noxā. Quod vt necesse habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Meipsum enim quodammodò in culpā trahi sentio, quū te à traditis tibi regulis immodicè deuiasse cognosco. Qui si tuæ existimationis parūm diligens eras, meæ saltem famæ parcere debuisti, ne quæ tuo tantùm facta sunt animo, nostro viderentur gesta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaq; ad tuos missa maiores Apostolicæ sedis præsulū scripta percurrat: & vel à me, vel à prēcessoribus meis inueniet ordinatum, quod à te cognoui esse præsumptum. Venit namq; ad nos cum

1. Tim. 5.

Philip. 2.

** siquidem*

cum Episcopis prouinciæ suæ frater noster Atticus, veteris Epiri *Nicopolitanus antistes, & de indignissima astrictione, quam pertulit, lachrymabili actione cōque-stus est coram adstantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contrà referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant. Legebatur quoq; in literis tuis, quas ijdem diaconi detulere, quòd frater Atticus Thessalonicam venisset, quodq; consensum suum etiam scripturæ professione signasset, vt de illo non aliud à nobis posset intelligi, quàm proprij arbitrij & spontaneæ deuotionis fuisse, quòd venerat, quodq; chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniuriæ. Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso tam voluntarij aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus supradictis hæc verba epistolæ tuæ testimoniū præbuere, & per hoc quod non est tacitum, nudatum est illud, quod silentio fuerat adopertum, aditam scilicet Illyrici præfecturam, & sublimissimam inter mundanos apices potestatem, in exhibitionem insontis antistitis incitatam, vt missa exequutione terribili, quæ omnia sibi officia publica ad effectum præceptionis adiungeret, à sacris ecclesiæ adytis nullo vel falso insimulatus crimine, extraheretur sacerdos, cui non ob molestiam ægritudinis, non ob sæuitiam hyemis darentur inducię, sed iter asperum & periculis plenum per inuias niues agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantiq; discriminis fuit, vt ex his, qui episcopum comitati sunt, quidam defecisse dicantur. Multùm stupeo, frater charissime, sed & plurimùm doleo, quòd in eum, de quo nihil amplius indicaueras, quàm quòd euocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, & tam vehementer potueris cōmoueri, præsertim cùm etsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit, quid ad tua consulta referiberem. Sed vt video, bene de moribus meis existimasti, & quàm ciuilia pro conseruanda sacerdotali concordia responsurus essem, verissimè præuidisti: & ideò motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne cùm moderationis nostræ aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id, quod factum est, licentiam non haberes. An fortè aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & * metropolitanum episcopum noui apud te criminis pondus vrgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse, etiam tu nihil ei obijciendo confirmas. Sed etiam si quid graue intolerandumq; gessisset, nostra erat expectanda censura, vt nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoscēres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde sicut multùm nos ea, quæ à te piè sunt curata, lætificant: ita nimiùm ea, quæ perperàm sunt gesta, contristant. Et necesse est, post multarum experimenta causarum solicitiùs prospici, & diligentiùs precaueri, quatenùs per spiritum charitatis & pacis omnis materia scandalorum de Ecclesijs Domini, quas tibi commendauimus, auferatur, præeminente quidem in illis prouincijs Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu.

** Nicopolitanum tantum*

3. quæst. 6. Multum.

Caput II.

IGitur secundùm sanctorum patrum canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singulārum prouinciarm episcopos, qui ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præstituti, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.

25. quæst. 2. Igitur

Caput III.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lege caput sequens. Dist. 32. Omniũ facet dotsum.

IN ciuitatibus, quarum rectores obierint, de substituendis episcopis hæc forma seruetur, vt is, qui ordinandus est, etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundę coniugis sit maritus, aut qui vnam quidem habeat, vel habuerit, sed quam sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellẽs est electio, vt hæc, quæ in alijs Ecclesiæ membris nõ vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Caput IIII.

1. Cor. 7.

NAm quum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidẽ carnale connubium conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primo, aut secundo, vel tertioq; seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honori, aut episcopali excellentiæ quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frenasse detegitur?

Caput V.

In decret. Iuon. lib. 3. Distim. 63. Si forte

VM ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisq; consensus concorditer postularit: ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur & meritis: tantùm vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne ciuitas episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit.

Caput VI.

Dinst 65. De persona autem.

Distim. 63. Metropolitano. Et dist. 77. in prin. dist.

DE persona autem consecrandi episcopi, & de cleri plebisq; consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia benè placuit, scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet authoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diù desit cura pastorum. Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit subrogandus, prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cùm quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus, te ignorante, præsumi.

Caput VII.

Distin. 18. De Concilijs. Et in decret. Iuonis lib. 4.

DE Concilijs autem episcopalibus nõ aliud indicimus, quàm sancti patres salubriter ordinarunt, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ ordines nasci adsolent, iudicetur. At si fortè inter ipsos, qui præsunt, de maioribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate metropolitanus curabit instruere,

struere, & si coràm positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur.

Caput VIII.

7. quæ. 1. Si quis episco pus.

SI quis Episcopus, ciuitatis suę mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem se plebem quacunque occasione transtulerit, non solùm à cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit & propria, vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis quisq; contentus sit, nec supra mensurã iuris sui affectet augeri.

Caput IX.

19. quæst. 2. Alienũ clericum.

ALienum clericum, inuito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemq; conueniat. Nã grauis iniuriæ reus est, qui de fratris ecclesia id, quod vtilius aut præciosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra prouinciam res agatur, transfugam clericum ad suam ecclesiam metropolitanus redire compeller: Si autem longiùs processit, tui præcepti authoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

Caput X.

Philip. 2. Rom. 15. Rom. 12. 1. Cor. 12.

NEreuocandis autem ad te episcopis moderatissimum te esse volumus, ne per maioris diligentiæ speciem fraternis videaris gloriari iniurijs. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam rationabile ac necessarium sit, fraternum aduocare conuentum, binos de singulis prouincijs episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuã venire sufficiat, ita vt à præstituto tempore non vltra quindecim dies, qui conuenerint, retardentur.

Caput XI.

SI autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumúe credideris, diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem, omnem affectum nostrum curamq; dirigimus, vt quod ad vnitatem concordiæ, & quod ad custodiã pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater charissime, & eos fratres nostros, qui de tuis offenduntur excessibus, quum tamen non similis sit omnibus materia querelarum, hortor & moneo, vt quæ piè sunt ordinata, salubriterq; disposita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait: Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem. Nec enim poterit vnitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit: quia sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum. Quibus cùm sit dignitas communis, non est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam discretio potestatis: & quum omnium par esset electio, vni tamen datū est, vt cæteris præemineret. De qua forma, episcoporum quoque est orta distinctio: & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo quibusdam scit se esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat: sicut non vult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alij importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri, dicentis: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quod quomodò experiemur, nisi & illud in obseruantiam veniat, quod idem Dominus ait: Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur?

2. quæst. 6. Qui scit se.
Matth. 23.
Matth. 11.
Matth. 20. Marc. 10. Luc. 22.

In Tom. Concil. est lxxxiij.

Epistola octuagesimaquinta eiusdem ad Septimium Altinum Episcopum.

Leo Episcopus Septimio Episcopo.

LEctis tuæ fraternitatis literis, vigorem fidei tuæ, quem olim noueramus, agnouimus, congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum Christi, pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sæuitia simplices quosque dilacerent, & non solùm ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana corrumpant. Quod ne qua vipera possit obtinere fallacia, ad metropolitanum episcopum prouinciæ Venetiæ scripta direximus, quibus ad statum sui periculum cognoscere pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum consortio veniens, in cōmunione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum est enim, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum, vt siue presbyteri, siue diaconi, siue alij cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris authores damnari à se sine ambiguitate fateantur, vt sensibus prauis & dudum peremptis, nulla sperandi supersit occasio, ne vllum membrū Ecclesiæ talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his ecclesijs, ad quas propriè pertinent, sinantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire: cùm quod rectè non permittitur inculpatis, multo minùs debeat licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & cum supradicto metropolitano det operam, vt circùnspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem, & laudabiliter sunt suggesta, & salubriter ordinata.

Matth. 7.

1. q. 7. Saluberrimum enim. Et 1. q. 1. Omnis cuiuslibet. Et: Si quis hæretica Et in decr. Iuo. lib. 3. cum literæ uariatione

In Tom. Concil. est lxxxiij.

Epistola octuagesimasexta eiusdem ad Nicetam Aquileiensem Episcopum.

Leo Episcopus Romæ Nicetæ Aquileiensi episcopo.

Relatione

RElatione sancti fratris & coepiscopi nostri Septimij, quæ in subditis habetur, agnouimus quosdam presbyteros, diaconos, ac diuersi ordinis clericos, quos Pelagiana vel Cælestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestra prouincia ad cōmunionem catholicam peruenisse, vt nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, & pastoralibus excubijs nimiùm dormitantibus, lupos, ouium pellibus tectos, in ouile dominicum, non depositis bestialibus animis, introisse: & quod per authoritatem canonum decretorumq; nostrorum ne insontibus quidem conceditur, vsurpasse, vt relictis ecclesijs, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diuersa circunferantur, amantes semper errare, & nunquam in fundamenta apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, vt sub velamento communionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quod vtique efficere nō possent, si ecclesiarum præsules necessariam diligentiam in talium receptione seruarent, nec cuiquam eorum euagari in diuersa licuisset. Ne ergo hoc vlteriùs audiatur, neue per quorundam negligentiam introducta pernicies, ad euersionem multarum tendat animarum, hoc nostri authoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus, vt congregata apud vos synodo prouincialium sacerdotum, omnes siue presbyteri, siue diaconi, siue cuiuscunque ordinis clerici, qui de Pelagianorum, Celæstianorumq; consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, vt non priùs ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris authores, & quicquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaq; decreta synodolia, quæ ad excisionem huius hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu scriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum: quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, vt in quacunq; particula dogmatis execrandi, quam à damnandorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum. Quumq; omnes diffinitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur excipiunt, vt gratia Dei secundùm merita dari accipiētium sentiatur. Quæ vtique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioq; meritorum, dicente beato Apostolo: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum operum donatio, diuina præparatio est: quia non priùs quisquam iustificatur virtute quàm gratia, quæ vnicuique principiū iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideò per naturalem industriam dicitur præueniri, vt quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideò etiam paruulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternā, sine vlla cunctatione venire, cùm Apostolus dicat: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, propter quod & ipsi paruuli baptizātur. Quanuis in illo vno possint intelligi plura peccata, si vnū ipsum in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic, quia in sua homo potiùs esse, quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo nō credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortē: & fornicatio spiritualis, quia integritas mētis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtū, quia prohibitus vsurpatus est cibus: & auaria,

Ephes. 2.
Rom. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetiuit, & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione poterit inueniri. Parentũ quoq; peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorũ, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, Reddam peccata patrum in filios, tenet eos vtique, antequàm per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlteriùs futuram in Israel parabolam illam, Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideò enim quisque renascitur, vt soluatur in eo, quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quæ malè agendo posteà committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, vsque adeò vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit. Neque hic dixit, In iniquitate, vel in peccato, quum hoc rectè dici posset: sed iniquitates & peccata dicere maluit: quia & in illo vno, quod in omnes homines pertransiuit, quodque tam magnum est, vt eo mutaretur & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut suprà disserui) reperiuntur plura peccata alia parentum, quæ licet non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia, & misericordia diuina subueniat. A paruulo enim recèns nato, vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli originali, maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addidére ad illud, quod nascendo traxére. Cauendũ ergo dilectioni tuæ est, magnaq; diligentia prouidendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scãdala suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in pronicia tua eiusdem mali germen oriatur, quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspitione se purgent, & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, siue ille clericus, siue sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti inimici sidietur alienæ. Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis patribus, & à nobis sæpè decretum est, vt nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab ecclesia ad ecclesiam cuiquam transire sit liberum, vt in integrum reuoces, admonemus. Et vnusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depraua tus, ibi, vbi ordinatus est, perseueret: ita vt si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem & ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs cõmouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestulentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Exod. 20. *Ezech. 18.* *Hierem. 31.* *Psal. 50.* *Rom. 5.* *De confe. dist. 4. A paruulo.* *In Concil. Hispal. 2. cap. 3.* *Di. 86. Inferiorum culpa.*

In Tom. Concil. est lxxxv.

Epistola octuagesimaseptima eiusdem ad episcopos Aphricanos, per Mauritaniam Cæsareensem constitutos.

Tituli capitulorum epistolæ sequentis.

Ne illicitæ personæ ad episcopatũ prouehantur. I.
De statutis canonũ conseruandis. II.
De Donato Nouatianorum Episcopo, & de Maximo ex Donatistis. III.
De Aggaro & Tiberiano, qui ex laicis fuerunt ordinati. IIII.
De virginibus sacris, quæ vim Barbaricam pertulerunt. V.

Leo Episcopus vniuersis episcopis per Cæsaream Mauritaniam constitutis in Domino salutem.

Caput I.

CVm inordinationibus sacerdotum quædam apud vos illicitè vsurpata crebrior ad nos commeãtium sermo perferret, ratio pietatis exegit, vt pro solicitudine, quam vniuersæ Ecclesiæ ex diuina institutione debemus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ, proficiscenti à nobis fratri & consacerdoti nostro Potentio, delegantes, qui secundùm scripta, quæ per ipsum ad vos direximus, de episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisq; omnia fideliter indicaret. Vnde quia idem plenissimè notitiæ nostræ cuncta reseruauit, & sub quibus qualibusq; rectoribus quædam Christi plebes in partibus prouinciæ Cæsareensis habeantur, syncera nobis relatione patefecit: necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro dominicorum gregum periculis æstuamus, datis nunc ad vos literis promeremus, mirantes tantum apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultũ valuisse popularem, vt indignis quibusq;, & longè extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium & gubernatio ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum: & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiam si moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen initij sui est pernicio- sus exemplo. Fit difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter scienterq; curandum est, vt in Dei domo nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum: quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa beati Pauli apostoli per spiritũ Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, & proinde vnicuique nostrum dicitur: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis? Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere nõ probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum seruat in eligendo sacerdote iudicium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur: nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus. Dicente enim Apostolo, vt inter alias electionis regulas, is episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligendi, eadem intelligere-

Dist. 61. Miramur tantum *1. q. 1. Principatus, quem.* *1. Tim. 5.* *Dist. 78. Quid est manus.* *1. Tim. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur seruanda conditio, ne fortè illa, priusquàm in matrimonium eius veniret, qui ali-
Leuit.21. am nõ habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugiũ. Quis ergo dissimulare
Ezech.44. audeat, quod in tanti sacramẽti perpetratur injuria, cùm huic magno venerandoq; my-
Ephes.5. sterio, ne legis quidem statuta desuerint, quibus euidenter est definitũ, vt virgi-
1.Cor.11. nem sacerdos accipiat vxorem, & alterius torum nesciat coniugis, quæ vxor est futura pontificis? Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesię spiri-
Leuit.21. tuale coniugium, vt quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa Verbi non alium
Ezech.44. virũ nosse quàm Christũ, qui eam vnam elegit, vnã diligit, & aliam præter ipsam suo consortio non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento hæc sacerdotalium coniugiorum forma seruata est, quanto magis sub reuelata iam gratia constituti, Apostolicis debemus seruire præceptis, vt quamuis quis bonis moribus prędituς, & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad diaconij gradũ, vel ad presbyterij honorẽ, vel ad episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non vnius viri fuisse constiterit. Monente verò Apostolo,
1.Tim.3. atq; dicente: Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent: quid aliud intelligendum in hoc putamus, nisi vt in his prouectionibus non solùm matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut à baptismo rudibus, aut à
Distin. 61. seculari actu repentè cõuersis, officium pastorale credamus, cùm omnis gradus mi-
Miramur litiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari, an possint cuiquã ma-
tantùm. iora committi? Meritò beatorũ patrum venerabiles sanctiones, cùm de sacerdotum electione loquerentur, eos demũ idoneos sacris administrationibus censuere, quorum omnis ætas, à puerilibus exordijs vsq; ad prouectiores annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, vt vnicuiq; testimoniũ prior vita præberet: nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmiũ deberetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus sofragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cælestium dignitatum, ne in aliquo apostolica & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium, cùm valdè iniquũ sit & absurdũ, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis? In do-
2.Tim.2. mo quidem magna necesse est (sicut Apostolus differit) vasa diuersa sint, quædam aurea & argentea, quædam verò lignea & fictilia: sed horum ministerium pro materiæ qualitate discernitur: nec qui est precioforũ, idem vsus est & viliũ. Nam inordinata erũt omnia, si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut aũt in ligneis & fictilibus eorũ hominũ species figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent: ita in aureis & argenteis hi sine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurũ probatum & argentum purum esse meruere. Quibus si merces pro deuotione nõ redditur, omnis Ecclesiastica disciplina resoluitur, omnis ordo turbatur, dum in Ecclesia, qui nullum subire ministerij, peruerso eligentiũ iudicio indebitũ obtinent principatũ. Cùm ergo inter vos tan-
1.q.7. Exigũt causa. tùm valuerint aut studia populariũ, aut ambitus superborũ, vt non solùm laicos, sed etiam secundarũ vxorum viros, aut viduarũ maritos ad officiũ cognoscamus pasto-
Psal.24. rale prouectos: nonne apertissimæ exigunt causæ, vt ecclesiæ, in quibus ista cõmissa sunt, iudicio seueriore purgẽtur, & nõ solùm in tales præsules, sed etiã in ordinatores eorum vltio competens proferatur. Sed circunstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura iustitiæ. Et quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, cogimur secundùm sedis Apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam, vt trutinato pondere delictorum, quæ constat non vnius esse mensuræ,
1.q.7. Exigũt causa. quædam definiamus vtcunque toleranda, quædam verò penitùs amputanda. Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, in

in sacerdotio manere non patimur: & multo magis illum, si fuerit vestro iudicio con futatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est maritus vxorum, vel illum, qui à prima vxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, priuandum honore decerni mus. Cæteros verò, quorum prouectio hoc tantùm repræhensionis incurrit, quòd ex laicis ad officium episcopale delecti sunt, neq; ex hoc quòd vxores habeant, pos-
1.q.7. Exigunt causa sunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non præiudicantes Apostolicæ sedis statutis, nec præcessorum nostrorum, nostrisque decretis, quibus salubriter constitutum est, ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum, quibuslibet suffragijs fultus, ascendat, priusquàm ad hoc meritum per legitima augmenta perueniat. Quod enim nunc vtcunque pati-
1.q.7. Exigunt causa mur esse veniale, inultum postmodùm esse non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus, vsurpare præsumpserit: quia remissio peccati, non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit ampliùs impunè committi.

Caput II.

Vm itaque de omnibus ferè, quæ fratris nostri Porentij relatio continebat, plenissimè dilectionem vestram, per Dauid fratrem & coepiscopum nostrum, qui & sacerdotij merito nobis est probatus & moribus, videatis instructam: superest fratres, vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps
1.q.7. Dũ custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate cõcessimus, iusta post hæc
natum aũt vltione plectamus, in eos specialiùs & propensiùs commouendi, qui in episcopis or-
1.q.1. & 25 dinandis sanctorum patrum statuta neglexerint, & quos refutare debuerant, con-
q.2. Si qui secrarint. Vnde si qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem non lice-
episcopi ta- at, etiam si aliquo modo damnum proprij honoris euaserint, ordinationes tamen
lem. ius alteriùs non habebunt, nec ei sacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio immeritò præstitere. Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem,
Distin.80. inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt non in quibuslibet locis, ne-
Illud sanè, que quibuslibet castellis, & vbi antè non fuerunt, episcopi consecrentur, cùm vbi
quod ad minores sunt plebes, minoresque conuentus, presbyterorum cura sufficiat. Epi-
Ca. 6. Sardicẽ. Con- scopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequentioribus ciui-
cilij. tatibus oporteat præsidere, ne quod sanctorum patrum diuinitùs inspirata decreta vetuere, viculis & possessionibus, vel obscuris & solitarijs municipijs tribuatur sacerdotale fastigium, & honor, cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus episcopus factum esse causatus est, & rationabiliter postulauit, vt si episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione decesserint, loca ipsa ad ius eius antistitis redigantur, cuius fuerant antè priora. Et inutile est, vt sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur. De his autem
Sententiæ quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulère violentiam,
liter ponitur iste ca- & integritatem pudoris non animo, sed corpore perdidere, ea nobis seruanda videtur moderatio, vt neque in viduarum deijciantur gradum, nec in sacrarum &
non.32.q.5 perseuerantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus
Ille aũt fa- obseruationibus perseuerant, & castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacra-
mulæ Dei. mentorum non est neganda communio: quia iniustum est eas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit. Causam quoq; Lupicini episcopi illic iubemus audiri. Cui multũ & sæpiùs postulanti communionẽ hac ratione

Universidad de Deusto
Biblioteca

reddidimus, quoniam cùm ad nostrum iudicium prouocasset, immeritò eum, pendente negocio, à communione videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est, quòd huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, an tequàm Lupicinus in presenti positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustę posset subiacere sententiæ, vt vacantem locum, quemadmodùm disciplina Ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.

Caput III.

1.q.7. Donatum aũt

DOnatum autem Salicinensem ex Nouatiano cum sua (vt comperimus) plebe conuersum, ita dominico volumus gregi præsidere, vt libellum fidei suæ ad nos meminerit derigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen sit Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ pra-

1.q.7. Maximũ quo-

uitatis alienus est, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ita vt ipse libello ad nos edito, catholicum se esse manifestet.

Caput IIII.

DE Aggaro verò & Tyberiano, quorum à cæteris, qui ex laicis ordinati sunt, in hoc causa diuersa est, quòd eorum ordinationi atroces tumultus, & sæuæ seditiones memorantur esse famulatæ, vestro iudicio cuncta commisimus, vt relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus.

Caput V.

32.q.5. Illæ autem famulæ Dei.

ILlæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia sua, si se incõtaminatis non audeant comparere virginibus. Quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui: minùs tamen hoc eis oberit, si quod potuerunt animo non amittere, doleãt se vel corpore perdidisse. Si verò aliæ emerserint causæ, quæ ad statum ecclesiarum, & ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur, & deponendis atque compositis omnibus ad nos relato plena mittatur, vt ea, quæ iuxta Ecclesiasticum morem iustè & rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. Data quarto Idus Augusti.

In Tom. Cõcil. est lxxxvi.

Epistola eiusdem octuagesimaoctaua de priuilegio Chorepiscoporum siue presbyterorum, ad vniuersos Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos.

Leo Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Episcopus, vniuersis Germaniæ atque Galliæ ecclesiarum Episcopis salutem.

Cum

Cap.13. Damasi papæ in epist. ad Numidæ episcopos.

CVm in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum, siue cæterorum consacerdotum, Christique fidelium coadunatam habuissemus, & de ordinationibus illicitis, sicut per quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo peruenerat, atq; de alijs necessarijs Ecclesiasticis negocijs tractantes, sacrosque canones relegentes, solerter egissemus: à multis lachrymabili vultu relatũ est nobis, quòd quidam Germaniarum ac Galliarum vrbium episcopi frequenter Chorepiscopos (qui iuxta canones Neocæsarienses, siue secũdum aliorum decreta patrum ijdem sunt, qui & presbyteri) vel presbyteros destinarent, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse viros Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, quod est canonicæ regulæ contrarium, & statim à seculari militia in sacerdotale ministerium delegatos atque promotos. Ergo ne vltrà talis à vobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut Chorepiscopo vel presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis, præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, qui vtiq; summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: Moses & Aaron in sacerdotibus eius. Ideoque id, quod tantùm facere principibus sacerdotum iussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, omninò decretum est, vt Chorepiscopi vel presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quanuis cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam nouellis & ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut presbyterorum & diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec ecclesias vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis ex hæresi paracletum spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui eandem gestant figuram: quoniam quanquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis pontificibus authoritate canonum præcipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coràm posito populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem vtique exhortari.

Ex fine huius epistolæ argumentum sumitur, quòd non sit plena sed fragmentum duntaxat.

In Tom. Cõcil est lxxxvij.

Epistola octuagesimanona eiusdem ad episcopos per Viennensem prouinciam constitutos.

Dilectissimis fratribus vniuersis episcopis per Viennensem prouinciam constitutis, Leo Romæ Episcopus.

Diuinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Di.19. Ita dominus noster Iesus. Psalm.18.

DIuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnesque nationes, Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas, quę anteà legis & prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutē vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortē se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Deo (vt diximus) ędificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo, cùm nulli se subditum legi, nullis institutionis dominicæ credit regulis contineri, à vestro nostroque per nouæ vsurpationis ambitū more descisćens, præsumendo illicita, & quæ custodire debuit, negligendo. Verùm hæc nos, Deo (vt credimus) adspirante, seruata circa vos nostræ charitatis gratia, quam sanctitati vestræ Apostolica semper sedes (vt meministis) impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, vt vestrarum ecclesiarum statum, communicato vobiscum labore, componere, non noua instituentes, sed vetera renouantes, vt in status consuetudine, quæ nobis à nostris patribus est tradita, perduremus, & Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiàm prouinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esset consultam, & pro diuersarum (quemadmodùm vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia, adeò vt seruata vnitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam solicitudo nostra, non sua quærēs, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitùs datam, nec ecclesijs, nec ecclesiarum sacerdotib. abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter maiores nostros, & bene tentum, & salubriter constitutum, Hilarius ecclesiarum statum & cōcordiam sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excesit, ita suæ vos cupiēs subdere potestati, vt se beato apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Gallias ecclesiarum vendicans, & debitā metropolitanis sacerdotibus in suum ius transferens dignitatem, ipsius quoque beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cùm præ cæteris soluendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ouium cura specialiùs mandata est. Cui quisquis principatum ęstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. Quæ igitur apud nos in causa Celidonij episcopi gesta cōfecta sint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præsente supradicto episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Vbi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum Concilio sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se occulta cordis ipsius transtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Doluimus (fateor) fratres, & hunc eius mentis tumorem medelis patientiæ nostræ curare tentauimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat, & quem susceperamus vt fratrem, delinire magis ipsum (qua nuis ipse se

Matt.16.

Apostolica sedes consulenda.

Matt.16. Ioann.21. Primatus Romana Ecclesiæ.

suis responsionibus iritaret) quàm contristare interlocutionibus nitebamur. Absolutus est Celidonius episcopus, quoniam se iniustè sacerdotio fuisse deiectum, manifesta testium responsione, ipso etiam presente, monstrauerat, ita vt, quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet. Remotū est ergo iudicium, quod prolatum in hac sententia legebatur, quòd tanquam viduę maritus sacerdotium tenere non posset. Quod nos quidem, seruantes legalia constituta, solicitus voluimus custodiri, non solùm circa sacerdotes, sed circa clericos quoq; minoris officij, ue ad sacram militiam hi permittantur accedere, quibus sit tale coniugium vt contra Apostolicam disciplinam non vniùs tantúm vxoris viri fuisse monstrentur. Sed sicut eos, quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si fuerint, decerni mus remouendos: ita quibus hoc falsum obijcitur, ab ea necesse est, examinatione purgemus, & suum officium perdere non sinamus. Mansisset nanq; in illum prolata sententia, si obiectorū veritas extitisset. Redditus itaq; est ecclesiæ suę, & huic, quam amittere non debuit, dignitati coepiscopus noster Celidonius, sicut gestorū series, & post decursam cognitionē sententia, quæ à nobis est prolata, testatur. Huic negocio sic finito, fratris & coepiscopi nostri Proiecti querela successit: cuius ad nos literæ lachrymabiles & dolendę, de superordinato sibi episcopo sunt directę. Epistola quoque ingesta est ciuium ipsius, & numerosa subscriptione singulorum firmata, inuidiosissimis contra Hilarium plena querimonijs, quòd Proiecto episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, eiusq; sacerdotium in alium præter suam notitiam esset translatum, & tāquam in vacuam possessionem, ab Hilario peruersore hæredem viuentis inductum. Quid hic fraternitas vestra sentiat, cuperemus audire, quāquam de vestris animis nostra non debeat sententia dubitare, cùm fratrem in lectulo constitutum, non tam infirmitate corporis aggrauari, quàm alio videatis dolore torqueri. Quæ spes illi de vita relinquitur, cui de sacerdotio suo, dum illi alter substituitur, irrogatur desperatio? Apparet ergo, quàm mitis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suę, fraternę mortis credidit tarditatem. Quātum enim in se fuit, illi subtraxit lucem. abstulit vitam, qui hunc dolorem, in locum eius alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, iniecit. Esto, vt breuis fratri euenerit humanæ conditionis consueta migratio: quid sibi Hilarius quærit in aliena prouincia, & id quod nullius decessorum ipsius, aut Patroclus habuerit, cur vsurpat, cum & ipsum, quod Patroclo à sede Apostolica temporaliter videatur esse cōcessum, postmodùm sit sententia meliore sublatum? Expectarentur certà vota ciuium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patrum regulas custodiri, vt Apostolicę auctoritatis norma in omnibus seruaretur, qua præcipitur, vt sacerdos ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio munia tur, neque vllius scandali relinquatur occasio, quum per pacem & Deo placitā concordiam consonis omniū studijs, qui doctor pacis futurus est, ordinatur. Sed inspera multa conficiens, & per longinquas prouincias tanta immaturitate discurrens, vt videatur gloriam de scurrili velocitate potiùs, quàm de sacerdotali moderatione capтasse. Hæc enim directuram ad nos ciuium verba sunt literarum: Antè abscessit, quàm eum venisse nossemus. Non est hoc redire, sed fugere: nec salubritatē impendere diligentiæ pastoralis, sed vim inferre latronis & furis, dicēte Domino: Qui non intrat per ianuam in cortem ouium, sed ascendit aliunde, hic fur & latro, est. Non ergo Hilarius tam studuit episcopum consecrare, quàm eum potiùs, qui ægrotabat, occidere, & ipsum quem superposuit malè ordinando decipere. Nos tamen quod vobis credimus Deo iudice placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, & malè ordinatū submoueri episcopum, & Proiectum in suo sacerdotio permanere debere decreuimus: id statuentes, vt si quisquam fratrum nostrorum in quacunque prouincia decesserit, is sibi ordinationem vendicet sacerdotis, quem illius

Ad sacros ordines nō admittēdi.

1.Tim.3.

Ioann.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouinciæ metropolitanum esse constiterit: quia (vt videmus) causæ transactæ sunt, in quibus etiam multa sunt, quę prȩter rationem Ecclesiasticam videantur esse commissa, & iusti iudicij debeant expectare censuram. Sed nos diutiùs hic non possumus immorari, quum ad alia, quæ nobis cum vestra sanctitate conferenda sunt, prouocemur. Militaris manus (vt didicimus) per prouincias sequitur sacerdotẽ, & armatis præsumptione suffulto, ad inuadendas per tumultum famulatur ecclesias, quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his quibus præficiendi sunt, ciuitatibus ignoti. Vt enim notus, qui fuerit probatus, per pacẽ petitur: ita per vim, necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur. Obtestor & obsecro, & sub Dei vos inuocatione cõuenio, prohibete fratres talia, & omnem dissensionis materiam de vestris prouincijs remouete. Certè nos ante Deum absoluimus, qui vos ne permittatis vltrà hæc fieri, conuenimus. Per pacem & quietem sacerdotes, qui præfuturi sunt, postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem sibi (vt antè iam diximus) singuli metropolitani suarum prouinciarum cum his, qui cæteros sacerdotij antiquitate præueniũt, restituto sibi per nos iure defendant. Alienum ius alter sibi non audeat vendicare. Suis limitibus, suis terminis sit vnusquisque cõtentus. Et priuilegium sibi debitum, in alium transferre se posse, nouerit non licere. Quòd si quis negligens Apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, priuilegium suum in alium trãsferre posse se credens: non is, cui cesserit, sed is, qui intra prouinciam antiquitate episcopali cæteros præuenit, sacerdotes ordinandi sibi vendicare potestatem, non quæ passim, sed die legitimo celebretur. Nec sibi constare status sui nouerit firmitatem, qui non die sabbati vespere, quod lucescit in primam sabbati, vel ipso dominico die fuerit ordinatus. Solum enim maiores nostri resurrectionis dominicæ diem honore dignum iudicauere, vt sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimùm tribuantur. Suis vnaquæq; prouincia sit contenta concilijs, nec vltrà Hilarius audeat cõuentus indicere synodales, & sacerdotum Domini iudicia, se interserẽdo, turbare, qui non tantùm nouerit se ab alieno iure depulsum, sed etiam Viennensis prouinciæ (quam malè vsurpauerat) potestate priuatum. Dignum est enim fratres, antiquitatis statuta reparari, cùm is, qui sibi ordinationem prouinciæ indebitæ vendicabat, talis in præsenti etiam probatus fuerit, vt cùm ipse frequentiùs temerarijs & insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret, suæ tantùm ciuitatis illi sacerdotium, pro sedis Apostolicæ pietate, præceptio nostra seruauerit. Non ergo sit illi ordinatio, qui meriti sui conscius, quum quæreretur ad accusandum, turpi fuga se credidit subtrahendum, exors Apostolicæ communionis, cuius particeps esse non meruit, Deo (vt credimus) hoc agente, qui illum, inopinãtibus nobis, & ad iudicia nostra pertraxit, & inter examinationes habitas, ne communionis nostræ consors fieret, vt abscederet latenter, effecit. Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus vltionẽ, inuitus & dolens quodammodò, debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim, pro commissis, & leuibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sęui supplicij sauciatam, & inermem quodammodò, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam. Certè si quando causa talis emerserit, vt pro commissi criminis qualitate aliquem iustè faciat cõmunione priuari: is tantùm pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit, nec particeps debes esse supplicij, qui consors non docetur cõmisisse. Sed quid mirum eum in laicos talem existere, qui soleat sacerdotũ damnatione gaudere? Vnde quia nostra longè alia videtur intentio (nam omnium ecclesiarum statum, & concordiam custodiri cupimus sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo charitatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus, vt ea, quæ à nobis Deo inspirante, & beatissimo Petro apostolo, discussis probatisq; nunc omnibus causis

Episcopi vt constituẽdi

Sententia excommunicationis nõ temerè ferenda.

causis, decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis, certi, non tam nostro honori proficere, quòd talia statuisse cognoscimur. Non enim nobis ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus, quod potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more menturi: sed vobis per vestram solicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec præsumptori locus vltrà iam pateat priuilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solùm crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata seruetur, & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & coepiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem, hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari, vt præter eius consensum alterius prouinciæ non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodùm vetustas eius & probitas exigit, honoretur metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. Aequum est enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, si his, qui sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis prouincijs à sacerdotibus cæteris deferatur. Deus vos incolumes custodiat, fratres mei.

Epistola nonagesima eiusdem ad Rauennium Arelatensem Archiepiscopum.

In Tom. Cõcil. est lxxxvij.

Domino fratri Rauennio, Leo.

Rouectionem dilectionis tuæ, quæ summi sacerdotij adepta est dignitatem, ita nobis placere cognosce, vt nõ solùm tibi de honoris augmento, sed etiã Arelatẽsi ecclesiæ, cui te Dominus præposuit, gaudeamus. Ad omnium enim fidelium decus atque vtilitatem redundat, cùm talis habetur antistes, cuius plurimi & adiuuentur præsidio, & incitentur exemplo. Vnde quia non ignoras, quid de synceritate animi tui secũdùm præsentem notitiam senserimus, iustissimè nos agnoscitis exigere, vt quod præsumimus, hoc probemus, frater chartissime. Modestiæ igitur tuæ non authoritas constantiam, sed mansuetudo commendet, iustitiam lenitas temperet, patientia cõtineat libertatem, & declinata superbia, cui proximum est vt decidat, ametur humilitas, cui semper debetur vt crescat. Ecclesiasticarũ legum non ignara est dilectio tua, vt intra earum regulas atque mensuras omnis potestatis tuæ iura contineas. Iusto tamen dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis, cùm verus recti amor in semetipso habeat & Apostolicas authoritates, & canonicas sanctiones. Quarum deuotus sectator, & diligens executor, in eorum proculdubiò consortio gloriaberis, qui de creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Vt autem fiduciam dilectionis erga te nostræ habere non dubites, sæpiùs nos de processu actuum tuorum facias certiores, quoniam iudicij nostri memores cupimus semper de tuis profectibus in Domino gloriari. Deus te incolumem custodiat, frater charissime.

1. Tim. 1.

Matt. 25.

Luc. 19.

Epistola nonagesima prima eiusdem ad Theodorum Foroiulienſem Episcopum, vt his, qui in exitu sunt, pœnitentia & communio non negentur.

In Tom. Cõcil. est lxxxix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dilectissimo fratri Theodoro Episcopo, Leo Episcopus.

SOlicitudinis quidem tuę is ordo esse debuerat, vt cum metropolitano tuo primitùs de eo, quod quærẽdum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter poscerետis: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine primatibus nihil oportet inquiri. Sed vt quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, nõ tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: & qui regenerationis donum violassent proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent: sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confidentib. actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad cõmunionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtiq; operi ipse saluator interuenit, nec vnquàm ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi: vt si quid per seruitutem nostram bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunq; interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit & priusquàm ad cõstituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, consequi, exutus carne, non poterit. Nec necesse est nobis, eorũ, qui sic obierint, merita actusque discutere, cùm Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt compræhendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauerit: ita potestatem suam timeri volens, vt hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicẽda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere: nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cùm cõuersus ingemueris, tunc saluus eris. Et alibi: Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris. Et iterùm: Quia apud Dominũ misericordia est, & copiosa apud eũ redemptio. In dispensandis itaq; Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantiũ se lachrymas gemitusq; negligere, cùm ipsam* pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicẽte Apostolo: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatẽ. Vnde oportet vnumquenq; Christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat: ne cùm satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituit, quia periculosè hac se conditione fragilitas & ignorãtia humana concludit, ad paucarum horarum se reseruet incertum: & cùm possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius tẽporis angustias eligat, quo vix inueniat spatium aut confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Verùm (vt dixi) etiam tantum necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam, etiã amisso vocis officio, per* indicium integri sensus quærere cõprobentur. Quòd si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo antè poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen regula canonum paternorum circa eorum

De pœnit. distinct. 1. Multiplex.

Matt. 28.

De pœnit. distinct 1. Multiplex.

De pœnit. distinct. 1. Multiplex. Et 25. q. 6. His qui tẽpore.

Ezec. 33. Esai. 43. Psal. 129.

* pœnitẽdi affectionẽ.

2. Tim. 2.

De pœ. D. 1. Multiplex.

* indicia. *26. q. 6. His qui tempore nec.*

eorum personas, qui in Deum, à fide discedendo, peccarunt. Hæc autem, frater charissime, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideò respondi, ne aliquid contrarium sub ignorãtiæ excusatione gereretur, in metropolitani tui notitiam facies peruenire, vt si qui fortè sunt fratrum, qui de his anteà putauerint ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt, instruantur. Data 4. Idus Iunij, Herculano viro clarissimo consule. (Is fuit annus 13. Pontificatus S. Leonis.)

Epistola nonagesimasecunda eiusdem ad Rusticum Narbonensem episcopum.

In Tom. Cõcil. est xc.

Capitulorum epistolæ sequentis tituli.

Quòd non habeantur episcopi, quos nec clerus elegit, nec populus exquisiuit, nec prouinciales episcopi consecrarunt. Si qui tamen clerici ab his pseudoëpiscopis ordinantur, rata potest ordinatio talis existere. I.

Quòd presbyteri, aut diaconi, si in aliquo crimine detecti fuerint, non possint per manus impositionẽ pœnitentiæ remedium consequi. II.

Quòd diaconi, sicut episcopus & presbyter, cessare debeant ab opere cõiugali, non tamen repudiare coniugium. III.

Quòd aliud sit vxor, aliud concubina: nec erret, quisquis filiam suam in matrimonium tradiderit ei, qui habuit concubinam. IIII.

Quòd non sit coniugij duplicacio, quando ancilla relicta, vxor assumitur. V.

De his, qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cùm reualuerint, agere eam nolunt. VI.

De his, qui communione priuantur, & ita moriuntur. VII.

De his qui pœnitentiam agere differunt. VIII.

Quòd oporteat eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam à licitis abstinere. IX.

Quòd pœnitenti nulla negociationis lucra exercere conueniat. X.

Quòd ad militiam secularem post pœnitentiam redire non debeant. XI.

Quòd adolescens, si vrgente quocunque periculo, pœnitentiam gessit, & nõ se continet, vxoris potest remedio sustineri. XII.

Quòd si quis propositum monachi deseruerit, publicæ sit pœnitentiæ satisfactione purgandus. XIII.

Quòd puellæ, quæ non coactæ, sed voluntate propria, virginitatis propositum susceperunt, peccant, si nupserint, licèt nondum fuerint consecratæ. XIIII.

De his, quæ iam consecratæ sunt, si nupserint. XV.

De his, de quibus dubium est, vtrum baptisma perceperint, necesse est vt renoscantur. XVI.

Quòd ij, qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua fidei professione nesciũt, per manus impositionem suscipiantur. XVII.

De his, qui conuiuio gentilium & escis immolaticijs vsi sunt. XVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leo Episcopus Rustico Narbonensi Episcopo.

EPistolas fraternitatis tuæ, quas Hermes archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diuersarum quidem causarum connexione multiplices, sed non ita patientiæ legẽtis onerosas, vt aliquid earum inter cõcurrentes vndiq; solicitudines fuerit prætermissum. Vnde totius sermonis tui allegatione* cõperta, & gestis, quæ in episcoporum, honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, Sauiniano & Leoni presbyteris actionis suę intelleximus fiduciam defuisse: nec eis iustam

* concepta

superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subduxerint. Circa quos quam formam, quamue mensuram debeat tenere iustitiæ, tuo relinquo moderamini: suadens tamen charitatis hortatu, vt sanandis ægris spiritualem adhibere debeas medicinam, & dicente scriptura, Noli esse nimium iustus, mitiùs agas cum eis, qui pudicitię zelo videntur modum excessisse vindictę, ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterij exultet vltoribus. Miror autem dilectionẽ tuam in tantùm scandalorum, quacunque occasione nascẽtium, aduersitate turbari, vt vacationem ab episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque ocio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente verò Domino, Beatus qui perseuerauerit vsque in finem, vnde beata erit perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secnndùm Apostolicam prædicationem, omnes qui voluerint piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Quæ non in eo tantùm computanda est, quòd cõtra Christianam pietatẽ aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscunque supplicijs: cùm persequutionum sæuitiam suppleat & dissimilitudines mortum, & contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum, quibus cõflictationibus, cùm omnia semper Ecclesiæ membra pulsentur, & nulla piorum portio hic à tentatione sit libera, ita vt periculis nec ocia careant, nec labores: qui inter fluctus maris nauem diriget, si gubernator abscedat? quis ab insidijs luporum oues custodiet, si pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus obsistet & furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intentione solicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo in opere est credito, & in labore suscepto. Cõstanter tenenda est iustitia, & benignè præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccatis seuerius castigari necesse est, non sęuientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, nõ ita expauescamus, quasi illi aduersitati proprijs sit viribus resistendum, cùm & cõsilium nostrum, & fortitudo nostra sit Christus, vt sine quo nihil possimus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans prædicatores euangelij, & sacramentorum ministros: Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et iterum: Hæc, inquit, loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem tribulationem habebitis. Sed hono animo estote, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes quia sine dubitatione manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quàm vera promissa. De consultationibus autem dilectionis tuæ, quas separatim cõscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit, inter præsentes opportuniùs quæreretur, si nobis tui conspectus copia prouenisset. Nam cùm quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquijs aptiores esse, quàm scriptis. Quia sicut quædam sunt, quæ nulla possint ratione conuelli: ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione seruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum.

Ecclesiast. 7.

Matt. 10 & 24. 2. Tim. 3.

Ioann. 20.

Distinct. 86. Odio habeantur peccata.

Ioan. 15. Matt. 28. Ioann. 16.

Distinct. 14. Sicut quædam.

Incipiunt

Incipiunt ad inquisitiones eiusdem episcopi subiecta responsa.

Caput I.

NVlla ratio finit, vt inter episcopos habeantur, qui nec à cleri cis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Vnde cùm sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesijs ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis ecclesijs perseuerent. Aliter autẽ vana est habenda ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec authoritate munita.

Dist. 62. Nulla ratio.

1. q. 1. Si qui à pseudoepiscopis.

Caput II.

ALienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in presbyterali honore, aut in diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo? Vnde huiusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Dist. 50. Alienum est à consuet. 1. Reg. 2.

Caput III.

EX continentiæ eadem est ministris altaris, quæ episcopis atque presbyteris. Qui cùm essent laici siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salua sit charitas *coniugiorum, & celsent opera nuptiarum.

Distin. 31. Lex continentiæ.

** connubiorum.*

Caput IIII.

NOn omnis mulier iũcta viro, vxor est viri: quia nec omnis filius, hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo priùs hoc ipsum Domino constituẽte, quàm initium Romani iuris existeret. Itaq; aliud est vxor, aliud cõcubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionẽ, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Eijce ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Vnde quum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum: dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse ministerium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiẽdum est, quasi coniugato eam dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptijs honesta videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt: quia aliud est nupta aliud concubina.

32. q. 2. Nõ omnis mulier. Genes. 2. 21. Galat. 4. Genes. 21. 27. q. 2. Cũ societas. Ephes. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput V.

32. q. 2. An cuiam à toro.

ANeillam à toro abijcere, & vxorem certę ingenuitatis accipere, non dupli catio coniugij, sed profectus est honestatis.

Caput VI.

De pœ. dist. 7. Nemo desp.

VIpanda est sanè talium negligentia, sed non penitùs desperanda, vt crebris cohortationibus incitati, quod necessariè expetierunt, fi deliter & exequantur. Nemo enim desperãdus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, concilio maturiore proficitur.

Caput VII.

24. q. 2. de cõmunione

HOrum causa Dei iudicio reseruãda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

Caput VIII.

De pœ. dist. 1. Pœnitentia quæ.

DIsimulatio hæc potest non de contemptu esse remedij, sed de metu grauiùs delinquendi. Vnde pœnitentia, quæ dilata est, cùm studiosiùs petita fuerit, non negetur, vt quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

Caput IX.

De pœ. dist. 1. aliud quidem & 12. q. 1. Aliud. 1. Cor. 6.

ALiud quidem est, debita iusta reposcere: aliud, propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem, oportet multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Vnde si pœnitens habeat causam, quam negligere fortè non debeat, meliùs expetit Ecclesiasticum, quàm forense iudicium.

Caput X.

De pœ. dist. 5. Qualitas lucri.

QValitas lucri negociantem aut excusat, aut arguit: quia est & honestus quæstus & turpis. Veruntamen pœnitenti vtilius est etiam dispendia pati, quàm periculis negociationis obstringi: quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium non interuenire peccatum.

Caput XI.

De pœ. dist. 1. Contrarium. 2. Tim. 2.

COntrarium est omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cùm Apostolus dicat: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus. Vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.

Caput XII.

INadolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gesit, & postea, timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret: rem videtur feciſſe venialem, si præter coniugem nullam omnino cognouerit. In quo tamen nõ regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius, æstimamus. Nam secundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gesit, quàm castitas perseuerans & mentis & corporis.

Caput XIII.

20. quæst. 3. Propositũ Deut. 23. Psal. 49. & 115. Eccl. 5. Ionæ 2.

PRopositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia & honestum potest esse coniugium, electionem tamẽ meliorum deseruisse, transgressio est.

Caput XIIII.

20. q. 1. Puellæ.

PVellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio, virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamsi consecratio non accesisit, cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

Caput XV.

Ibidem.

AMbigi verò non potest crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid de * eis manebit, qui corruperint fœdera diuini sacramenti? * *eos*

Caput XVI.

De con. dist. 4. Si nulla exist.

SI nulla existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est, vt renascantur, ne manifestè pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non finit, vt videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse, quòd ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.

Caput XVII.

De con. dist. 4. Iis de quibus.

HIi autem, de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauere, se nescire profitentur, quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt: sed per manus impositionem, inuocata virtute spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

Caput XVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVi conuiuio solo gentilium, & escis immolatitijs vsi sunt, possunt ieiunijs & manus impositione purgari, vt deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adorauere, aut homicidijs vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionẽ eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

In Tom. Concil. est xcj.

Epistola nonagesimatertia eiusdem ad Turibium Asturiensem episcopum.

Capitulorum epistolæ sequentis tituli.

Contra Priscillianistas, qui sanctam Trinitatem, non personis, sed tantùm nominibus distinguunt. I.
Aduersus id, quòd Dei filium posteriorem credunt, quàm patrem. II.
Aduersus id, quòd dicunt, ideò vnigenitum dici Christum, quia solus de virgine natus. III.
De natali Domini, quòd in eo Priscillianistæ ieiunia celebrent. IIII.
Aduersus id, quòd aiunt animam hominis ex diuina esse substantia. V.
Contra id, quòd aiunt diabolum ex se, vel ex chao esse, & propriam habere naturam. VI.
Contra illud, quòd nuptias & procreationes filiorum, adstruant esse peccatum. VII.
Contra id, quòd corpora humana, diaboli dicunt esse figmẽta, & à dæmonibus in vterò formari. VIII.
Contra id, quòd filios repromissionis ex spiritu sancto dicunt esse conceptos. IX.
Cõtra id, quòd animas in cœlestibus peccare dicunt, & secundùm qualitatẽ peccati in hoc mundo accipere sortem vel bonam, vel malam. X.
Contra id, quòd fatalibus stellis dicunt animas hominum obligatas. XI.
Contra id, quòd sub alijs potestatibus partes animæ, sub alijs corporis mẽbra describunt. XII.
Contra id, quòd duodecim signa, quæ mathematici obseruant, per corpus omne distinguunt. XIII. & XIIII.
De apocryphis eorundem Priscillianorum. XV.
*De libro * Dicticinij.* XVI.

* *Dicticinij*

Leo Episcopus Turibio Episcopo salutem.

QVàm laudabiliter pro catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm solicitè dominico gregi deuotionem officij pastoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquæ pestilentiæ reliquijs errorum morbus exarserit. Nam & epistolæ sermo, & commonitorij series, & libelli tui textus * demonstrat Priscillianistarũ fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorunque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto, multiplicem sibi * fæcem commiscuerunt, vt soli totum biberent, quicquid alij ex parte gustassent. Denique vniuersæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, diligentiùs retractentur, nullus penè inuenietur error, de quo non traxerit impietas ista contagium:

* *eloquitur*

* *faculentiam*

tagium: quæ non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi sub Christi nomine deuiarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, vt per magicarũ artium prophana secreta, & mathematicorum vana mendacia religionis fidem, morumq; rationem in potestate dæmonum & effectu syderum collocaret. Quod si & credi liceat & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitijs pœna debebitur, omniaq; non solùm humanarum legum, sed etiam diuinarum constitutionum decreta soluentur: quia neq; de bonis, neq; de malis actibus vllum poterit esse iudicium, si in vtranq; partem fatalis necessitas motum mẽtis impellit: & quicquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cæli signa distinctio, vt diuersis partibus diuersæ præsideãt potestates: & creatura, quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione syderum, in quanta est connexione membrorũ. Meritò patres nostri, sub quorũ temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur, quando etiam principes mũdi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt authorem eius ac plerosq; discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbãt enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solui, simulq; diuinũ ius humanumq; subuerti, si huiusmodi hominibus vsquàm viuere cum tali professionẽ licuisset. Et profuit diù ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum principum cõstitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autẽ multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates * interdixere bellorũ, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus, inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ verò illic aut quanta pars plebium pestis huius aliena est, vbi (sicut charitas tua indicat) letali morbo etiam quorundam sacerdotum corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani, Euangelium subditur Christi, vt ad prophanos sensus pietate sanctorum voluminum deprauata, sub nominibus prophetarũ & apostolorũ non hoc prædicetur, quod spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit? Quia ergo dilectio tua fideli, quantùm potuit, diligentia damnatas olim opiniones sedecim capitulis cõpræhendit: nos quoq; strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarũ aut tolerabile videatur, aut dubium:

* *Supplicia hæreticos constituta.*

* *interclusere*

Caput I.

PRimo itaq; capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate diuina, qui & patris & filij & spiritus sancti, vnam atq; eãdem asserunt esse personam, tanquam idem Deus nunc pater, nunc filius, nunc spiritus sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroq; processit: sed singularis vnitas in tribus quidem vocabulis, & nõ in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellij opinione sumpserunt, cuius discipuli etiam Patripassiani meritò nuncupantur: quia si ipse est filius, qui & pater, crux filij patris est passio: & quicquid in forma serui filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse susceperit. Quod catholicæ fidei sine ambiguitate cõtrarium est, quæ Trinitatem vnitatis sic homousion confitetur, vt patrem & filium & spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales: quia vnitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

Error de Trinitate.

Caput II.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN secundo capitulo ostenditur ineptum vanumq; commentum, de processionibus quarundam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentia sua ipse præcesserit: in quo Arianorum quoq; suffragatur errori, dicentium quòd pater filio prior sit, quia fuerit aliquando sine filio, & tunc pater esse cœperit, quando filium genuerit. Sed sicut illos catholica Ecclesia detestatur, ita & istos, qui putant vnquam Deo id quod eiusdem est essentiæ, defuisse. Quem sicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas est. Quàm enim mutatur, quod minuitur: tam mutatur etiam, quod augetur.

Caput III.

TErtij verò capituli sermo designat, quòd ijdem impij adserant, ideò vnigenitum dici filium Dei, quia solus sit natus ex virgine. Quod vtique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni & Photini virus hausissent, qui dixere, Dominum nostrum Iesum Christum, antequàm nasceretur ex virgine Maria, non fuisse. Si autem isti aliud de suo sensu intelligi volunt, neq; principium de matre dant Christo, asserant necesse est, non vnum esse filium Dei, sed alios quoq; ex summo patre progenitos, quorũ hic vnus sit natus ex fœmina, & ob hoc appelletur vnigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius filiorum Dei nemo susceperit. Quaquauersùm igitur se contulerint, in magnæ tendunt impietatis abruptum, si Christum Dominum, vel ex matre volunt habere principium, vel patris Dei vnigenitum diffitentur, cùm & de matre is natus sit, qui erat Deus verbum, & de patre nemo sit genitus præter verbum.

Caput IIII.

QVarto autem capitulo continetur, quòd natalem Christi, quem secundùm susceptionem veri hominis catholica Ecclesia veneratur, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, non verè isti honorent, sed honorare se simulent, ieiunantes eodem die sicut & die dominico, qui est dies resurrectionis Christi. Quod vtique ideò faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia * concordantes. Qui sicut in nostro examine detecti atque cõuicti sunt, dominicum diem, quem nobis saluatoris nostri resurrectio consecrauit, exigunt in mœrore ieiunij, solis (vt proditum est) reuerentiæ hanc continentiam deuouentes, vt per omnia sint à nostræ fidei vnitate discordes, & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Vnde dignum est, vt inimici crucis Christi & resurrectionis, talem excipiant sententiam, qualem elegere doctrinam.

Ioan. 1.

*cõsonantes

Caput V.

QVinto capitulo refertur, quòd animam hominis diuinæ asserant esse substantiæ, nec à natura creatoris sui, conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex philosophorũ quorundam & Manichæorum opinione manentẽ, catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamq; præcipuam esse facturã, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, * id est quod ipse. Nec id aliud est, quàm filius, & spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ Trinitatis vnam consubstantialem & sempiternã atq; incommutabilem deitatem, nihil omniũ creaturarum est,

* hoc

est, quod non in exordio sui ex nihilo creatũ sit. Non aũt, quicquid inter creaturas eminet, Deus est: nec si quid magnum est atq; mirabile, hoc est quod ille, qui facit mirabilia magna solus. Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis & sapientiæ atque iustitiæ. Solus autem Deus nullius participationis est indigens. De quo quicquid dignè vtcunq; sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia esse illi quod est, semper æternum, semper est proprium. Vnde in se manẽs, innouat omnia: & nihil accipit, quod ipse non dederit. Nimiùm igitur superbi, nimiumq; sunt cæci, qui cùm dicant humanam animam diuinæ esse substantiæ, non intelligunt, nihil sẽ aliud dicere, quàm Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti, quicquid potest naturæ eius inferri.

Psal. 91. & 135.

Caput VI.

SExta annotatio indicat eos dicere, quòd diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao & tenebris emersisse: quia scilicet nullum sui habeat authorem, sed omnis mali ipse sit principium atq; substantia, cùm fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum siue spiritualium, siue corporalium bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturã: quia Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellẽtia malè vsus est, & in veritate non stetit: non in contrariam transijt substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, desciuit: sicut ipsi, qui talia asserunt, à veris in falsa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo spontè delinquunt, ac pro sua voluntaria peruersitate damnãtur. Quod vtique in ipsis malum erit, & ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.

Ioan. 8.

Caput VII.

SEptimo loco sequitur, quòd nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt: in quo (sicut penè in omnibus) cùm Manichæorum prophanitate concordant, ideò (sicut ipsorum mores probant) coniugalẽ copulam detestantes, quia nõ est illic libertas turpitudinis, vbi & pudor matrimonij seruatur, & spes sobolis.

Caput VIII.

OCtauum ipsorum est, plasmationem humanorum corporum diaboli dicere esse figmentum, & semina conceptionum, opera dæmonum in mulierum vteris figurari: Propterea resurrectionem carnis nõ esse credendam, quia concretio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum, figmenta sunt dæmonum, qui non in fœminarũ ventribus formant homines, sed in hęreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimum virus, de Manichęę impietatis specialiter fonte procedens, olim fides catholica deprehendit atque damnauit.

Caput IX.

NOna autem annotatio manifestat, quòd filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex spiritu sancto dicant esse conceptos, ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionẽ pertinere videatur. Quod catholicæ fidei repugnans atque contrarium est, quæ omnem hominem

Universidad de Deusto
Biblioteca

* substãtia minem in corporis animæq; * substantiam à conditore vniuersitatis formari, atque animari intra materna viscera confitetur, manente quidem illo peccati mortalitatisq; contagio, quod in prolem à primo parente transcurrit: sed regenerationis sacramento subueniente, quo per spiritum sanctum promissionis filij renascuntur, non in vtero carnis, sed in virtute baptismatis. Vnde & Dauid, qui vtique erat promissionis filius, dicit ad Deum: Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Et ad Hieremiam Dominus ait: Priusquàm te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris tuæ sanctificaui te.

Psal.118.
Iob 10.
Hierem. 1.

Caput X.

DEcimo autem capitulo referuntur asserere, animas, quæ humanis corporibus inferuntur, fuisse sine corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob hoc à sublimibus ad inferiora delapsas, in diuersæ qualitatis principes incidisse, & per aereas ac sydereas potestates alias duriores, alias mitiores, corporibus esse inclusas sorte diuersa & conditione dissimili, vt quicquid in hac vita variè & inæqualiter prouenit, ex præcedẽtibus causis videatur accidere. Quã impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt, sed omnes eos catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, constanter prædicans atque veraciter, quòd animæ hominum, priusquàm suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator & corporum. Et quia per primi hominis præuaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse à cõditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo: Quicunque enim in Christo baptizati
Galat. 3. estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina: omnes enim vnum estis in Christo Iesu. Quid ergo hic agunt cursus syderum, quid figmenta fatorum, quid mundanarum rerum mobilis status & inquieta diuersitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui
Rom. 8. inter quoslibet vitæ huius labores, si fideles permanent, miseri esse nõ possunt, Apostolicum illud in omni tentatione dicentes: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, quia propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum, qui nos dilexit. Et ideò Ecclesia, quæ corpus est Christi, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis corporalibus concupiscit. Nec timet inani strepitu fatorum grauari, quæ patientia tribulationum nouit augeri.

Caput XI.

* obstringi * omnibus VNdecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animis hominum, & corpora opinantur * astringi: per quam amentiam, necesse est, vt * homines paganorum erroribus implicati, & sauentia sibi (vt putant) sydera colere, & aduersantia studeãt mitigare. Verùm ista sectantibus nullus in Ecclesia catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus abscescit.

Caput XII.

DVodecimum inter hæc illud est, quòd sub alijs potestatibus partes animæ, sub alijs corporis membra describunt: & qualitates interiorum præsulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus è diuerso signa sydera, quorum virtuti corpora subijciantur, opponunt. Et in his omnibus inextri-

inextricabili se errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum: Videte, ne
Coloss. 2. quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput
Ibidem. omnis principatus & potestatis. Et iterum: Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratũ & constructum, crescit in augmentum Dei. Quid ergo opus est in cor admittere, quòd lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod Euangelij veritas non prædicauit, quòd apostolica doctrina non tradidit? Sed hæc * operta sunt eorum men-
* aptã *1.Tim.4.* tibus, de quibus Apostolus dicit: Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus· & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Nihil itaq; nobiscum commune habeant, qui talia audent vel docere vel credere, & quibuslibet modis nituntur adstruere, quòd substantia carnis ab spe resurrectionis aliena sit, atque ita omne sacramentum incarnationis Christi resoluunt: quia indignũ fuit integrum hominem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

Caput XIII.

TErtiodecimo loco positum est eosdẽ dicere, quòd omne corpus scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendũ sit, quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, vt in eam substãtiam, de qua prodijt, reformetur. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet Christiana sapientia, quæ nouit veræ deitatis inuiolabilem & inconuertibilem esse naturã: animam autem, siue in corpore viuentẽ, siue à corpore saparatam; multis passionibus subiacere. Quæ vtique si * diuinæ esset essentiæ, nihil aduersi posset incidere. Et
* de diuinã esset essentia. ideò ineffabiliter aliud creator est, aliud creatura. Ille enim semper idem est, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis est etiam non mutata: quia vt non mutetur, donatum poterit habere, non proprium.

Caput XIIII.

SVb quartodecimo verò capitulo, de statu corporis sentire dicuntur, quòd sub potestate syderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur: & ideò multa in sanctis libris, quæ ad exteriorẽ hominem pertineant, reperiri, vt in ipsis scripturis inter diuinam, terrenamque naturam quædã sibi repugnet aduersitas: & aliud sit, quod sibi vendicent animæ præsules: aliud, quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideò disseruntur, vt & anima diuinæ affirmetur esse substantiæ, & caro credatur malæ esse naturæ: quoniam & ipsum mundum cum elementis suis nõ opus Dei boni, sed conditionem mali profitentur authoris: atque vt hæc mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia penè diuina eloquia sensuũ nefandorum
* immissione * immixtione violarunt.

Caput XV.

DE qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam meritò detestatur: quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titularentur, inuenimus. Quomodò enim decipere simplices possent, nisi
Hæretici corrũpunt scripturas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vsquequaque sentirentur insuauia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt fallati codices, & à syncera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quę sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed etiam penitùs auferendæ sunt, atq; ignibus concremandæ. Quanuis enim sint in illis quędam, quę videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis: & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunq; erroris inuoluãt. Vnde si quis episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorũ nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticũ se nouerit iudicandum: quoniã qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.

Caput XVI.

**Dictinij* **Dicticinij* **Dictiniũ* **scriptis*

POstremo autem capitulo hoc prodidit iusta querimonia, quòd **Dicticinij tractatus, quos secundùm Priscilliani dogma conscripsit, à multis cum veneratione legerentur: cùm si aliquid memoriæ **Dicticinij tribuendũ putant, reparationem eius magis debeant amare, quàm lapsum. Non ergo **Dicticinium, sed Priscillianum legunt: & illud probant, quod errans docuit, non quòd correctus elegit. Sed nemo hoc impunè præsumat, nec inter catholicos censeatur, quisquis vtitur **scripturis, non solùm ab Ecclesia catholica, sed etiam à suo authore damnatis. Non sit peruersis liberum simulare, quod fingũt, nec sub velamine nominis Christiani, decretorum Imperialium statuta declinent. Ideò enim ad Ecclesiam catholicam cum tanta cordis diuersitate conueniunt, vt & quos possunt, suos faciant: & legum seueritatem, dum se nostros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priscillianistæ, faciũt Manichæi, quorum cum istis tam fœderata sunt corda, vt solis nominibus discreti, sacrilegijs autem suis inueniantur vniti: quia etsi vetus testamentum, quod isti se suscipere simulant, Manichæi refutant, ad vnum tamen finem vtrorumque tendit intentio, cùm quod isti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant. In execrabilibus autem mysterijs eorum, quę quanto immundiora sunt, tanto diligentiùs occultantur, vnũ prorsus nefas, vna est obscœnitas, & similis turpitudo. Quam etsi eloqui erubescimus, solicitissimis tamen inquisitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehensi sunt, confessionibus detectam, ad publicam fecimus peruenire notitiam, ne vllo modo possit dubium videri, quod in iudicio nostro, cui non solùm frequentissima præsentia sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, & pars quædam senatus ac plebis interfuit, ipsorum qui omne facinus perpetrarant, ore referatum est, sicut ea, quæ ad dilectionem tuam nunc direximus, gesta demonstrant. Quod autem de Manichæorum fœdissimo scelere, hoc etiam de Priscillianistarum incestissima consuetudine olim compertum, multumq; vulgatum est. Qui enim per omnia sunt impietate sensuum pares, non possunt in sacris suis esse dissimiles. Decursis itaque omnibus, quæ libelli series comprehendit, & à quibus commonitorij forma non discrepat, sufficienter (vt opinor) ostendimus, quid de his, quæ ad nos fraternitas tua retulit, censeamus: & quàm non sit ferendum, si tam prophanis erroribus etiam quorundam sacerdotum corda consentiunt, vel (vt mitiùs dixerim) non resistunt. Qua conscientia honorem sibi sacerdotij præstitum vendicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? Bestiæ irruunt, & ouium septa non claudunt. Fures insidiantur, & excubias non prætendunt. Morbi crebrescunt, & remedia nulla prospiciunt. Cùm autem etiam illud addunt, vt his, qui solicitiùs agunt, consentire detrectent, & impietates, olim toto orbe damnatas, subscriptionibus suis se anathematizare dissimulẽt, quid de se intelligi volũt, nisi quod non de numero fratrum, sed de parte sint hostium?

Caput

Caput XVII.

INeo verò, quod in extrema familiaris epistolæ tuæ parte posuisti, miror cuiusquam catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro eius requierit in sepulchro, quæ sicut verè & mortua est & sepulta, ita verè est die tertia suscitata. Hoc enim & ipse Dominus denunciauerat, dicens ad Iudæos: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Vbi *Ioan. 2.* Euangelista subiungit: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cuius rei veritatem etiam Dauid propheta prædixerat, loquens sub persona Domini saluatoris, & *Psal. 15.* dicens: Insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quibus vtiq; verbis manifestũ est, quòd caro Domini & verè sepulta requieuit, & corruptionem non subijt, quia celeriter viuificata redito animæ resurrexit. Quod non credere, satis impium est, & ad Manichæi Priscillianiq; doctrinam pertinere non dubium est, qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, vt & incarnationis & mortis & resurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniant sacerdotes, vt secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter episcopos, qui huius hæreseos cõtagio polluantur, à communione sine dubio separãdi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, vt qui prædicãdæ fidei suscepit officium, is cõtra euangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra vniuersalis Ecclesiæ symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, vbi tales docebunt magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, vbi contra humanam societatem pudoris sanctitas tollitur, coniugiorum fœdera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem Dei veri cultum Trinitas deitatis, negata personarum proprietate, confunditur, anima hominis diuina essentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur: Dei filius per id, quòd ex virgine ortus, non per id, quòd ex patre natus est, vnigenitus prædicatur: idemq; nec vera Dei proles, nec verus virginis partus asseritur, vt per falsam passionem, mortemq; non veram mendax etiam resurrectio resumptæ de sepulcho carnis habeatur? Frustrà autem vtuntur catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Dedimus itaque literas ad fratres & coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque **Gallicos*, eisq; Concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis authoritas, ad prædictarum prouinciarũ episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quò minùs possit celebrari generale Concilium, Galliciæ saltem in vnum conueniant sacerdotes, quibus cõgregatis fratres nostri Hydatius & Ceponius imminebunt, coniuncta cum eis instantia tua, quò citiùs vel prouinciali conuentu remedium tantis vulneribus adferatur. Data 12. Calend. Augusti **Callepio* & Ardabure viris clarissimis consulibus. Is fuit annus 8. pontificatus S. Leonis.

**Gallicianos*

**Alypio*

Epistola nonagesimaquarta eiusdem ad Rusticum, Rauennium, Venerium, & cæteros episcopos Galliarum.

In Tom. Concil. est xcij.

Leo Episcopus Romæ, Rustico, Rauennio, Venerio, cæterisq; Galliarum episcopis.

IMpletis per misericordiam Dei communibus votis, dignum est fraternitatem vestram sanctorum gaudiorum habere cõsortium. Nã fratres mei, qui vice mea Orientali synodo præsederunt, quæ vota retulere, significo, confirmata catholica fide, & glorificata apostolicę prædicationis triumpho, quòd etiam hi, qui ad deuiandum vel seducti fuerant, vel impulsi, recepta veritatis luce, lætantur. Siquidem omnes Domini sacerdotes in vna sententia, sancto spiritu docente, consensere. Et de sacramento dominicæ incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatæ sunt, vt in vno Domino nostro, vero Dei & hominis filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de deitatis essentia. In impios autem nefandi erroris authores, qui indignos se Dei gratia iudicantes, correctionis vti remedijs noluere, qualis sit lata sententia, exemplaria quæ misimus, edocebunt: vt agnoscat vestra dilectio fratres charissimi, in sancto examine diuinum non defuisse iudicium, quo & vindicta retributa est obduratis, & pax impensa correctis. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

In Tom. Concil. est xciij.

Epistola nonagesimaquinta eiusdem ad episcopos Galliarum & Hispaniarum, de Pascha.

Dilectissimis fratribus, vniuersis episcopis catholicis per Galliam & Hispaniam constitutis, Leo Romæ Episcopus.

CVm in omnibus diuinorum præceptorum regulis exequẽdis sacerdotalem obseruantiam oporteat esse concordem, maximè nobis principaliter prouidendum est, ne in paschalis festi die vel ignorantia, vel præsumptio peccatum diuersitatis incurrat. Vnde quia tempus sacratissimæ solennitatis ita dispositos habet limites suos, vt salutare sacramentũ nunc citiùs, nunc tardiùs oporteat celebrari, non desinit Apostolicæ sedis solicitudo prospicere, ne deuotio Ecclesiastica aliquo turbetur incerto. Quum igitur in quibusdam adscriptionibus patrum, futurum proximè Pascha Domini ab alijs in diem quintumdecimum Calend. Maij, ab alijs in diem octauum Calendarum earundem inueniretur adscriptum, tantùm me diuersitas ista permouit, vt clementissimo principi Martiano curam de hac re animi mei panderem, vt præcipiente ipso ab his, qui habent huius supputationis peritiam, diligentiùs illic discussa ratione quæreretur, quo die posset veneranda solennitas rectiùs celebrari. Quo rescribente, octauo Calend. Maij definitus est dies. Quia ergo studio vnitatis & pacis malui Orientalium definitioni acquiescere, quàm in tantæ festiuitatis obseruantia dissidere, nouerit fraternitas vestra, die octauo Calendarum Maiarum, ab omnibus resurrectionem dominicam celebrandam, & hoc ipsum per vos alijs esse fratribus intimandum, vt diuinæ pacis consortio, sicut vna fide iungimur, ita vna solennitate feriemur.

In Tom. Concil. est xciiij.

Epistola nonagesimasexta eiusdem ad episcopos & presbyteros, intra Thraciam prouinciam constitutos.

Dominis fratribus meritò beatissimis, in Christo venerabilibus, Samartioni, Carathoni, Desiderio episcopis & presbyteris omnium ecclesiarum, quæ sunt intra prouinciam Thraciam constitutæ, Leo, Victorius, Eustathius episcopi.

TAnta seculi potestates circa sacerdotalem ordinem reuerẽtia prævaluere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris diuina potentia præesse præcepit, vt ius distringendorum negociorum episcopis sanctis iuxta diualia constituta permiserint. Quod quum & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore à plerisq; inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, passim ad examen seculare transiere. Quocirca nobis visum est, vt hanc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlciscereturplena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, vt quicunq; prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptionem venerit secularium, sacris liminibus expulsus, à cælesti arceatur altario: neque vllus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, quicquam sibi vltra præscriptum vendicare nitatur & ita fiet, vt hi, qui antè errauere, congrua emendatione se corrigant, & qui sub obseruatione clericali cælesti probatur seruire officio, ex clero abijciendum, * si prætermisso sacerdotum iudicio, secularem adierit potestatem. Quod ideò singulos vniuersosq; volumus agnoscere, vt quod pleno iustitiæ & iuris ordine constitutum est, effectũ totius firmitatis in omnibus clericorum negocijs sortiatur. Sanè si clericus laicum pulset, priùs se audiri ab episcopis poscat: tum si petitioni suæ laicum viderit obuiare, ex permissu episcopi sui, in seculi moderatores disceptatione confligat. Leo episcopus scribit, Victorius episcopus scribit, Eustathius episcopus scribit.

* *deest, se norit, aut quippiam eiusmodi.*

Epistola nonagesima septima eiusdem ad Leonem Augustum.

In Tom. Concil. est xcv.

Capitulorum sequentis epistolæ tituli.

De blasphemijs Nestorij & Eutychetis, eorumq; digno anathemate. I.
Quòd in vna Domini Iesu persona, gemina sit deitatis & humanitatis asserenda natura. II.
De capitulis fidei, ex sanctorũ patrum libris collectis. III.

Leo Episcopus Leoni Augusto.

PRomisisse me memini, venerabilis Imperator, in causa fidei, de qua clementiam tuam noui piè esse solicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermonem: quem nunc (auxiliante Domino) fideli occasione persoluo, vt sancto pietatis tuæ studio, vtilis (quantùm arbitror) deesse nõ possit instructio. Quanuis enim sciam clementiam tuam humanis institutionibus non egere, & syncerissimam de abundãtia spiritus sancti hausisse doctrinam, officij tamen mei est, & patefacere quod intelligis, & prædicare quod credis, vt ignis ille, quem Dominus *Luc. 12.* veniens misit in terram, motu crebræ meditationis agitatus, sic concalescat, vt feruear: & sic inflammetur, vt luceat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput I.

MAgnas enim caligines Eutychiana hæresis Orientis partibus inferre molita est, & ab illa luce, quæ (sicut Euangelium loquitur) lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, imperitorum oculos tentauit auertere. Cumq; ipsa in suam recideret cæcitatem, nunc in discipulis recrudescit, quod in authore defecit. Non longo nanque temporis interuallo catholica fides, quæ est singularis & vera, cuiq; nihil addi, nilúe minui potest, à duobus est hostibus appetita, quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit, qui Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet contrarias inferre voluerunt, vt vterque à prædicatoribus veritatis meritò damnaretur: quia insanum nimis & sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, vt aliam personā carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Christum in verbo Dei & carne sentiret, sed separatim atq; seiunctim alterum filium Dei, alterum filium hominis prædicaret, cùm manente illa incommutabili verbi essentia, quæ ei cum patre & spiritu sancto intemporalis atq; coæterna est, ita intra virginea viscera verbum caro sit factum, vt per id, quod ineffabile est, sacramentum vno conceptu, vnoq; partu, secundùm veritatem vtriusque naturæ ea virgo & ancilla Domini esset & mater. Quod etiam Elisabeth (sicut Lucas euangelista declarat) intellexit & dixit: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, vt negata humanę carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Iesum Christum vnius assereret esse naturæ, tanquam verbi deitas ipsa se in carnem animamq; conuerterit, & cōcipi ac nasci, nutriri & crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascendere in cælum, & in patris dextera, vnde ad iudicandos viuos & mortuos veniet, considere, diuinæ tantùm essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate: quoniā natura vnigeniti, natura est partis, natura est spiritus sancti: simulq; impassibilis, simul est incommutabilis sempiternæ Trinitatis indiuisa vnitas, & consubstantialis æqualitas. Vnde si ab Apollinaris peruersitate Eutychianus quisque discisit, ne contineatur deitatem passibilem sentire atque mortalem, & tamen verbi incarnati, id est, verbi & carnis vnam audet pronunciare naturam, manifestè in Valentini & Manichæi transit insaniam, & mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum simulatorie credit omnia egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, & talium assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt damnata sententijs, non dubium est, eam nos fidem prædicare atque defendere, quam sancta synodus Nicena confirmauit, dicens: Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem omnium visibilium & inuisibilium factorem, & in vnum Dominū nostrum Iesum Christum filium Dei, natum de patre vnigenitum, hoc est, de substantia patris, Deū de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum nō factum, vnius substantiæ cum patre (quod Græci dicunt homousion) per quem omnia facta sunt, siue quæ in cælo, siue quæ in terra. Qui propter nos & propter nostram salutem descendit de cælo, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit ad cælos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctū. In qua professione hoc euidentissimè continetur, quod etiam nos de nomini incarnatione confitemur & credimus, qui ad salutem humani generis reformandam, veram carnem nostræ fragilitatis non de cælo secum detulit, sed in vtero virginis matris assumpsit.

Ioann. 1.

Luca. 1.

Caput

Caput II.

QVicunque ergo illi sunt ita obcæcati, & à lumine veritatis alieni, vt verbo Dei à tempore incarnationis, humanæ carnis denegent veritatem: ostendant, in quo sibi Christianum nomen vsurpent, & cum Euangelio veritatis qua ratione concordent, si beatæ virginis partu aut caro sine deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, Euangelista dicente, quòd verbum caro factum est & habitauit nobis: ita negari non potest, beato Paulo apostolo prædicāte, quòd Deus erat in Christo, mundum recōcilians sibi. Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omniū causam mediator Dei, hominumq; susciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est patri, in forma serui particeps esset & nostri? vt mortis vinculum, vnius præuaricatione contractum, vnius morte (qui solus morti nihil debuit) solueretur? Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti Christi, tam potēs fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam sicut Apostolus ait, Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Et cùm sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iusticiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in saluatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati: dicant, quo sanguine sint redempti. Quis est (vt ait Apostolus) qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis? Aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus & æternus pontifex altari crucis, per immolationem suæ carnis imposuit? Quanuis enim multorum sanctorum In conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occasio, redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cùm inter filios hominū vnus solus Dominus noster Iesus Christus, qui verè erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati: de quibus ipse dicebat: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Fides enim vera, iustificans impios, & creans iustos, ad humanitatis suę tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorū corpore triumphauit. Licet ergo in vno Domino Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, verbi & carnis vna persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuisè communes habeat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & synceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo diuinitatis: quid sit, quod caro sine verbo non agit: & quid sit, quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia, nec conciperet virgo, nec pareret: & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent Magi puerum, stella indice declaratum: & sine veritate carnis non iuberetur in Aegyptum transferri puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris missa de cælo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite: & sine veritate carnis non protestaretur Ioannes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium & viuificatio mortuorum: & sine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò, sine verbi potentia non se Dominus patri profiteretur æqualem, & sine veritate carnis non idem diceret patrem se esse maiorem, cùm catholica fides vtrunque suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundùm confessionem beati apostoli Petri,

1. Ioann. 4. 2. Cor. 5.

Roma. 5.

Ephes. 5.

Psal. 115.

Ioan. 12.

Luca. 1. Luca. 2. Matt. 2. Matt. 3. Marc. 1. Ioann. 1. Ioann. 1. Matt. 4. Marc. 4. Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt.16. vnum Christum Dei viui filium,& hominem credit,& verbum. Quanuis itaque ab illo initio,quo in vtero virginis verbum caro factum, nihil vnquam inter vtranque formam,diuisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius personæ fuerint totius temporis actiones,ea ipsa tamẽ, quæ inseparabiliter facta sunt,nulla permixtione confundimus:sed quid cuius formæ sit,ex operum qualitate sentimus. Dicant ergo isti hypocritæ, qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis,in qua forma crucis ligno Dominus Maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulchro?& reuoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro resurrexit? & in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat,&hæsitationem
Matt.28. cunctantium confutabat, quum diceret: Palpate & videte, quia spiritus carnem &
Luc.a 24. ossa non habet, sicut me videtis habere. Et apostolo Thomæ: Infer manum tuam
Luc.vlti. in latus meum, & vide manus meas, & pedes, & noli esse incredulus, sed fidelis.
Ioan. 20. Qua vtique manifestatione corporis sui iam hæreticorum mendacia destruebat, vt vniuersa Ecclesia, CHRISTI imbuenda doctrinis, hoc sibi non dubitaret credendum, quod apostoli susceperant prædicandum. At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit,ostendãt, vnde sibi spem vitæ pollicean
Actor.4. tur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei & hominum,hominem Iesum Chri-
1.Tim.2. stum,non potest peruenire. Sicut enim ait B. Petrus apostolus,non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri: nec est redemptio captiuitatis humanæ nisi in sanguine eius, qui dedit semetipsum redemptionem pro
Philip.2. omnibus:& qui(sicut prædicat beatus apostolus Paulus)cùm in forma Dei esset,nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo Humiliauit semetipsum,factus obediens vsque ad mortem,mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum,& donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum,& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Cùm ergo vnus sit Dominus Iesus Christus,& verę deitatis,veræque humanitatis, in ipso vna prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen,qua illum(si-
Ibidem. cut doctor gentium dicit)exaltauit Deus,& donauit illi nomen, quod super omne nomen excellit,ad eam intelligimus pertinere formam,quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento.

In forma quippe Dei,æqualis erat filius patri, & inter genitorem atque vnigenitum nulla in essentia erat discretio,nulla in maiestate diuersitas,nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat verbo,quod ei patris munere redderetur. Forma autem serui,per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit,humana humilitas est, quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta, est in tãtam vnitatem, ab ipso conceptu virginis,deitatis & humanitatis conserta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus maiestatis dicitur crucifixus,ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus:quia inseparabiliter manente vnitate personæ,vnus atq; idem est,&totus hominis filius propter carnẽ, & totus Dei filius propter vnã cum patre deitatẽ. Quicquid ergo in tempore accepit Christus,secundùm hominẽ accepit,cui,quę non habuit cõferrentur. Nam secundùm potentiã deitatis indifferenter omnia,quæ habet pater,etiam filius habet:& quæ in forma serui à patre accepit,eadem in forma Dei etiam ipse donauit.
Ioann.10. Secundùm formam enim Dei,ipse &pater vnum sunt:secundùm formam autem
Ioann.6. serui,non venit facere voluntatem suam,sed voluntatem eius,qui misit eum.
Ioann.5. Secundùm formam Dei, sicut pater habet vitam in semetipso,sic dedit & filio,vi-
Matt.26. tam habere in semetipso.
2.Cor.8. Secundùm formam serui, tristis est anima eius vsque ad mortem. Et idem ipse est
Ioann.1. (sicut ait Apostolus)& diues,& pauper.

Diues,quia Euangelista dicente, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,

Deum,& Deus erat verbum.hoc erat in principio apud Deum.Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Pauper verò,quia propter nos verbũ caro factum est,& habitauit in nobis. Quæ autem est eius exinanitio quæue paupertas, nisi formæ seruilis acceptio? per quam, verbi maiestate velata,dispensatio humanæ redemptionis impleta est.Nam quia captiuitatis nostræ resolui originalia vincula non poterant,nisi existeret homo nostri generis,nostræque naturæ,quem peccati præiudicia non tenerent, & qui immaculato sanguine suo chirographum letale dilueret,sicut ab initio erat diuinitùs præordinatum,ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis significata promissio,in diù expectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum, quod continuis testificationibus semper fuerat nunciatum. In magno autem sacrilego seuersari,hæreticorum manifestat impietas,cùm sub specie deitatis honorandę,humanæ carnis in Christo denegant veritatem,& religiosè existimant credi, si dicatur in saluatore nostro, verum non esse,quod saluat,cùm ita secundùm promissionem omnia secula* præcurrẽtem mundus sit Deo reconciliatus in Christo,vt nisi verbum dignaretur caro fieri,nulla posset caro saluari.Omne enim sacramentum fidei Christianæ,magno (vt hæretici volunt) decoloratur obscuro,si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis.Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate,quia ocs apostoli apostolorumq; discipuli,& præclari ecclesiarum quiq; doctores,qui ad martirij coronã, vel ad confessionis meruêre gloriam peruenire, in huius fidei lumine splenduerunt consonis vbiq; sententijs intonantes, quòd in Domino Iesu Christo deitatis & carnis vna sit confitenda persona. Quia autem rationis similitudine,qua diuinorum voluminum portione,hæretica impietas se existimat adiuuari,quæ veritatẽ negat corporis Christi,cùm hanc non lex testificari,non prophetia prędicere,nõ euangelia docere,non ipse destiterit Christus ostendere.Quærant per omnem seriem scripturarũ, quò tenebras suas fugiant,non quo verum lumen obscurent: & per omnia secula ita veritatem inuenient coruscantem vt magnum hoc & mirabile sacramentum, ab initio videant creditum,quod est in fine completum. De quo cùm sanctarum literarũ nulla pars sileat,sufficit quædam consona veritatis signa posuisse, quibus diligẽtia fidei insplendissimam latitudinẽ dirigatur, & syncera intelligentiæ luce perspiciat,quòd in filio Dei,qui se incessabiliter filium hominis &hominẽ profitetur,non sit CHRISTIANIS erubescendum,sed constantissimè gloriandum.Vt autem pietas tua cum venerabilium patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subijciendas esse sermoni. Quibus si digneris attendere recensitis,non aliud nos prædicare reperies,quàm quod sancti patres nostri toto orbe docuêre:nec quenquam ab illis,nisi solos impios hereticos discrepare.His igitur, glorioſissime &venerabilis Imperator,quanta potui breuitate perstrictis, cum inspirata tibi diuinitùs fide etiam nostram prædicationem vnitam esse cognosce, nec in aliquo nos ab Euangelica Apostolicaque doctrina,vel à catholicæ professionis symbolo discrepare:quoniam sicut docet beatus apostolus Paulus,magnum est pietatis sacramentum,quod manifestatum est in carne, iustificatum est spiritu,apparuit angelis,prædicatum est gentibus,creditum est in mundo,assumptũ est in gloria. Quid igitur tuæ vtilius est saluti, quid tuæ congruentius potestati, quàm vt paci ecclesiarum Domini tua constitutione prospicias,& in omnibus tibi subditis Dei dona defendas, neq; vlla ratione patiaris per inuidiam diaboli ministros ipsius in cuiusquã sæuire perniciem,vt qui in hoc seculo temporali eminens regno,in æternum merearis regnare cum Christo.Data 13. Calendas Septemb.Leone & Maioriano Augg.Conss. (Is fuit annus Christi 458.pontificatus vorò S.Leonis 19.)

Parcurrẽtem.

1.Tim.3.

Caput III.

Sancti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hilarij Pictauiensis Episcopi lib. 2. de fide vel de Trinitate.

Sancti Hilarij Pictauiensis Episcopi & confessoris, in libro secundo inter cætera: Vnum igitur hoc est immobile fundamẽtum, vna hæc felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es (inquit) Christus filius Dei viui, tanta in se argumenta sustinens veritatis, quanta peruersitatum quæstiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Iam in cæteris dispensatio voluntatis paternæ est. Virgo, partus, & corpus, *Matt. 16.* post quæ crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa, Dei filius natus ex virgine & spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione consorte, & sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consuecuit, & exordia carnis instituit, vt homo factus ex virgine, naturam in se carnis exciperet, perque huius admixtionis societatem, sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret, vt quemadmodùm omnes in se, per id, quod corporeum se esse voluit, conderentur: ita rursum in omnes ipse, per id, quod eius est inuisibile, referretur. Dei igitur imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcurrit. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis à Deo origo inuisibilis & incomprehensibilis est, non visu, sensu, tactu, moderandus, cunis est *Ioan. 1.* obuolutus. Hæc si quis indigna Deo recolit, tanto se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quanto minùs hæc Dei conueniunt maiestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus, vt Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis vnius, membra vniuersæ carnis incoleret. Humilitas eius, nostra nobilitas est: contumelia eius, noster honor est. Quod ille est Deus in carne cõsistens, hoc nos vicissim in Deum carne renouati: Item in libro nono in- *Idem Hila. lib. 9. vbi supra.* ter cætera: Nescit planè vitam suam, nescit, qui Christum Iesum, vt verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Et eiusdem periculi res est, Christũ Iesum, vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. Omnis ergo qui cõfitebitur me coram *Matt. 10.* hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Hæc verbum caro factum loquebatur, & homo Iesus Christus Dominus maiestatis docebat, mediator ipse in se ad salutem Ecclesię constitutus, & ipso illo inter Deum & homines mediatoris sacramento vtrunq; vnus existens, dum ipse ex vnitis in idipsum naturis, naturæ vtriusq; res eadem est, ita tamen, vt neutro careret in vtroque, ne fortè Deus esse, homo nascendo, desineret, & homo rursus, Deus manendo, non esset. Hæc itaq; humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominẽ prædicare, verbum & carnem confiteri: neq; Deum nescire, quòd & homo sit: neq; carnẽ ignorare, *Idem vbi supra.* quòd verbũ sit. Itẽ eiusdẽ in eodẽ libro inter cætera: Natus igitur vnigenitus Deus ex virgine homo, & secũdùm plenitudinẽ temporũ in semetipso prouecturus in Deum hominem, hunc per omnia euangelici sermonis modum tenuit, vt se filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret, loquens & gerens homo vniuersa quæ Dei sunt: loquens deinde & gerens Deus vniuersa, quæ hominis sunt: ita tamen, vt in ipso illo vtriusq; generis sermone, nunquã nisi cum significatione & ho- *Idem vbi supra.* minis loquutus & Dei sit. Item alio loco in eodẽ libro inter cætera: Hinc itaq; fallendi simplices atq; ignorantes hæreticis occasio est, vt quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturę diuinæ infirmitatẽ mentiantur: & quia vnus atq; idem est, loquens omnia quę loquitur de semetipso omnia eum locutũ esse contendant. Nec sanè negamus, totũ illũ, qui eius manet, naturę suę esse sermonẽ. Sed si Iesus Christus & homo & Deus est, & neq; cùm homo tũ primùm Deus: neq; cùm homo, tũ non etiam & Deus, neq; postẽ hominẽ in Deo, nõ totus homo totus Deus: vnum

vnum atq; idem necesse est dictorum sacramẽtum eius esse, quod generum. Et cùm in eo secundùm tempus discernis hominem à Deo, Dei tum atq; hominis discerne sermonem. Et quum Deum atq; hominẽ in tempore confiteberis, Dei atq; hominis in tempore dicta dijudica. Cùm verò ex homine & Deo rursum totius hominis, totius etiam Dei tẽpus intelligis, si quid aliud ad demõstrationẽ eius tẽporis dictũ est, tempori coaptato, quę dicta sunt: vt cùm aliud sit antè hominẽ Deus, aliud sit homo & Deus, aliud sit postẽ hominẽ & Deum totus homo, & totus Deus, non confundas temporib. & generibus dispensationis sacramentũ, cum pro qualitate generũ ac naturarum, alium ei in sacramento hominis necesse est sermonẽ fuisse non nato, alium adhuc morituro, aliũ iam æterno. Nostri igitur causa hæc omnia Iesus Christus manens, & corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostrę loquutus est, non tamẽ omittẽs naturæ suæ esse, quod Deus est. Nam tametsi in partu, & passione, & morte naturæ nostræ res peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit. Et reliqua. Item alio loco in eodẽ libro inter cætera: Videsne ita Deũ *Idem vbi supra.* & hominem prædicari, vt mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur? Non tamen vt alius sit, qui mortuus est, & alius sit, per quem mortuus resurgit. Spoliata enim caro, Christus est mortuus: & rursus Christum à mortuis excitans, idem Christus est, carne se expolians. Naturã Dei, in virture resurrectionis intellige: dispẽsationem hominis, in morte cognosce. Et cùm sint vtraq; suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrunq; est. Item postpauca: Hæc igitur demonstranda à me paucis fuerunt, vt vtriusq; naturæ personam tractari in domino Ie- *Idem vbi supra.* su Christo meminissemus: quià qui erat in forma Dei, formã serui accepit. Item sancti Athanasij Alexandrinæ ecclesiæ episcopi & confessoris ad Epictetũ Corinthio- *Athan. Alexandrini.* rum Episcoporũ: Quomodò aũt vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si is Dominus, qui ex Maria virgine processit, filius quidem substantia & natura Dei est, quod autem secuudùm carnem, ex semine Dauid est & carne sanctæ Mariæ? Item sancti Ambrosij Episcopi & confessoris Mediolanensis Ecclesiæ, ad Imperatorem Gratiarum in libro secundo de fide inter cætera: Vnde illud, quod lectum est Domi- *Ambr. li. 2. de fide c. 4.* num maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem Deus, idem homo: per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Christus Iesus, Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque diuinæ, in natura hominis subijt passionem, vt indiscretè, & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum *Ioann. 3.* est, qui descendit de cœlo. Item alio loco in eodem libro inter cætera: Sileant igitur *Ephes. 4.* inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei (sicut scriptum est) non in per- *1. Cor. 4.* suasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura est: etsi idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quæ sunt diuina, quia verbum est: quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in mea substãtia loquebatur. Item eiusdẽ *Ex cap. 6.* in libro de incarnatione Domini contra Apollinaristas: Sed dum hoc redarguimus, emergũt alij, qui carnẽ Domini dicant & diuinitatẽ vnius naturæ. Quæ tantũ sacrilegium inferna vomuêre? Iam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, vt maiore cõtentione asserant patrẽ & filiũ, & spiritũ sanctũ vnius non esse substãtiæ, quia isti diuinitatẽ Domini & carnem substãtiæ vnius dicere tentauere. Item infrà: Et hi mihi frequẽter Nicæni Concilij tractatũ se tenere cõmemorant. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei verbum vnius substantiæ *Ibidem.* cum patre esse dixere. Et verbum quidẽ ex paterna processisse substantia, carnem autem ex virgine esse confessi sunt. Quomodò igitur Niceni Concilij nomen obtenditur, & noua indicuntur, quæ nunquam nostri sentire maiores? Et reliqua. Item *Li. 7. epist.* eiusdem ad Sabinum episcopum inter cætera: Vnde pulchrè Apostolus eiusdem *47.* verbi repetitione vsus est, dicens de Domino Iesu: Cùm in forma Dei esset,

non ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, for-
Philip.2. mam serui accipiens. Quid est, in forma Dei, nisi in plenitudine deitatis, in illa perfe
ctionis diuinæ expressione? Ergo cùm esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se,
& accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita
Psal.44. nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid di
cit: Speciosus forma præ filijs hominum. Concluditur Apollinarista, nec quò se ver-
tat, habet: suis clauditur retibus. Ipse enim dixit, formam serui accepit, non seruus lo
cutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est in forma Dei? Respondet, In natura Dei.
Galat.4. Sunt enim (ait Apostolus) qui non sunt natura dij. Quæro, quid sit, formâ serui acci
piens? Sine dubio perfectionem naturæ & cõditionis, vt dixi, humanæ, vt esset in ho
minum similitudine. Et pulchrè, non carnis, sed hominũ dixit similitudinem, quia
in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autẽ homo in peccato, in spe
Hier.17. cie hominis videbatur. Vnde & Propheta ait: Et homo est, & quis cognoscet eũ? Ho
Matt.8. mo secundũ carnẽ, sed vltra hominẽ diuina operatione. Deniq; cùm leprosum tan-
Ioan.11. geret, homo videbatur: sed vltra hominem, cùm mundaret. Et cùm Lazarum fleret
Ioan.19. mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat, cùm mortuum vinctis iube-
Mat.27. ret pedibus exire. Homo videbatur, cùm pẽderet in cruce: sed supra hominem, cùm
reseratis tumulis mortuos suscitaret. S. Augustini episcopi Hipponensis ecclesiæ ad
Dardanum inter cætera: Noli itaq; dubitare, ibi nũc esse hominem Christum, vnde
venturus est: memoriterq; recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quo-
niam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexterã patris: nec aliunde quã
Astor.1. inde venturus est ad viuos & mortuos iudicãdos. Et sic vẽturus est illa angelica voce
testante, quẽadmodùm est ire visus in cælum, id est, in eadem forma carnis atq; sub-
stantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Item eiusdem in
epistola ad Volusianum inter cætera: Nunc verò ita inter Deum & homines media-
Tract.78. post mediũ tor apparuit, vt in vnitate personæ copulãs vtranq; naturã, & solita sublimaret info-
litis & insolita solitis tẽperaret. Itẽ eiusdẽ in expositione Euangelij secundũ Ioannẽ
inter cętera: Quid igitur hęretice, cũ Christus sit Deus & homo, loquitur vt homo,
& calumniaris Deo? Ille in se naturam cõmendat humanã, tu in illo audes deforma-
re diuinam? Et iterum infrà: Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinã sci-
licet, qua æqualis est patri: humanam, qua maior est pater. Vtrunq; autẽ simul, non
duo, sed vnus Christus, ne sit quaternitas, nõ Trinitas Deus. Sicut enim vnus est ho-
mo, anima rationalis & caro: sic vnus est Deus, Christus & homo: ac per hoc Chri-
stus est Deus, anima rationalis, & caro. Christum in his omnibus, Christum in singu
lis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in for-
Ibidem. ma Dei. Quis est sub Põtio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. Item
eiusdem cuius suprà: Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima
sola. Quis resurrecturus, triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola.
Ioan.14. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verùm hęc omnia nõ duo, vel tres, sed vnus est
Christus. Idcò ergo dixit: Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrẽ: quo-
niam naturæ humanæ gratulandum est, eò quod sic assumpta est à verbo vnigeni-
to, vt immortalis constitueretur in cœlo: atq; ita fieret terra sublimis, vt in corrupti-
Ioan. Chry sostom. bilis puluis sederet ad dexteram patris. S. Ioannis Constantinopolitani episcopi &
confessoris in homilia de cruce & latrone inter cætera: Sed cur cum cruce veniat, vi-
deamus, scilicet vt hi, qui eum crucifixere, suæ sentiant dementiæ cæcitatem. Et ideò
impudentiæ eorum signum portatur. Ideo propheta ait: Tunc lamentabuntur oes
Zach.12. tribus terræ, videntes accusatorem, & agnoscentes peccatum. Et quid mirum est, si
crucem portans aduenier, quando & vulnera corporis ipsa demonstrat? Tunc enim
Ibidem. (inquit) videbunt, quem confixẽre. Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit dif
fidentiam confutare, & illi clauorum loca monstrauit, & lateris vulnera declarauit,
Ioan.20. & dixit, Mitte manum tuam, & vide, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, si-
Luc.24. cut me videtis habere: sic & tũc ostendet vulnera, crucemq; demõstrabit, vt ostendat
illum

illum se esse, qui fuerat crucifixus. Item eiusdem in homilia de ascentione Domini:
Nam sicut duobus iurgio separatis, vnus in medio positus, altercantium litem di-
scordiamque dissoluit, ita & Christus fecit. Deus nobis iustè irascebatur, & nos con
temnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & se medium Chri-
stus ingessit, & sociauit vtranque naturam, & nobis quod imminebat supplicium,
ipse sustinuit. Item eiusdem in eadem homilia inter cætera: Christus igitur nostræ
naturæ primitias obtulit patri, & oblatum donum miratus est pater. Quod tanta di-
gnitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & suis mani-
bus susceptt oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus est, ad patrem
suæ dexteræ collocauit. Cognoscamus, quis ille est, qui audiuit, Sede ad dexteram
meam: quæ natura est, cui dixit, Esto meæ particeps sedis. Illa natura, quæ audiuit: *Psal.109.*
Terra es, & in terram ibis. Item eiusdem in eadem homilia inter cætera: Quo sermo- *Genes.3.*
ne vtar, quo verbo dicam, reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta,
& omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superauit, & omnibus hodierna
die meruit excelsior reperiri. Hodie angeli, vota diù desiderata ceperunt: hodiè ar-
changeli, quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt. Naturam nostram
in sede dominica, immortali fulgentem gloria peruiderunt. S. Theophili episcopi *Theop. Ale*
Alexandrini de epistola paschali, quam per Aegyptum destinauit: Cuius rei testis est *xandrini.*
ille, qui loquitur: Oẽs declinauẽre, simul facti inutiles sunt. Et prophetæ Christi au- *Psal.13.*
xiliũ deprecantes: Domine, inclina cælos tuos & descende. Non vt mutaret loca, in *Psal.143.*
quo omnia sunt: sed vt propter salutem nostram, carnem humanæ fragilitatis assu- *2 Cor.8.*
meret, Paulo Apostolo eadẽ concinente: Cùm esset diues, pro nobis pauper factus
est, vt nos illius paupertate diuites essemus: venitque in terras, & de virginali vtero, *Matt.1.*
quem sanctificauit, egressus homo, interpretationẽ nominis sui Emmanuel, id est,
nobiscum Deus, dispensatione confirmans, mirum in modum cœpit esse, quod nos
sumus: & nõ desijt esse, quod erat: sic assumens naturam nostram, vt quod erat ipse, *Ioan.1.*
non perderet. Quanquam enim Ioãnes scribat, Verbum caro factum est, id est, alijs *Psal.101.*
verbis, Deus homo factus est, verbum tamen non est versum in carnem, quia nun- *Hebr.1.*
quam Deus esse cessauit, ad quem & spiritus sanctus loquitur: Tu autem idem ipse *Matt.3.*
es. Et pater de cælo contestatur & dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene *Marc.1.*
cõplacui. Vt & homo factus, nostra cõfessione permanere dicatur, quod fuit priu- *Luc.3.*
quam homo fieret, Paulo nobiscum eadem prædicãte: Iesus Christus heri & hodiè, *Hebr.13.*
idem ipse & in æternum. In eo enim quod ait, ipse, ostendit eum pristinam non mu-
tasse naturam, nec diuinitatis suæ imminuisse diuitias, quia propter nos pauper effe-
ctus, plenam similitudinem nostræ conditionis assumpserat. Item eiusdem in alia e-
pistola paschali contra Originem, inter cætera: Vnus filius patris, nostrique media-
tor, nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus est. Inuisibilis De
us, & visibilis homo: forma serui absconditus, & Dominus gloriæ confessione cre-
dentium comprobatus. Neque enim priuauit eum pater naturæ suæ nomine, post- *Matt 3.*
quam pro nobis homo, & pauper effectus est: nec in Iordane fluuio baptizatum *Marc.2.*
altero appellauit vocabulo, sed filium vnigenitũ, Tu es filius meus dilectus, in quo *Luc.3.*
mihi benè complacui. Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam, nec
diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem. S. Gregorij Episcopi Nazianzeni
in homilia de Epiphania inter cætera: Cùm ergo processisset ex virgine Deus, in ea, *Grego. Na*
quã assumpserat, humana natura, vnum è duobus sibi inuicẽ cõtrarijs existẽs, carne *zian.*
& spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratia præstat. Item infrà: Missus
est quidem, sed vt homo. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique & laborauit
ex itinere, inde & esurijt, & sitiuit, & contristatus est, & fleuit humani corporis lege.
S. Basilij Episcopi Cappadocis: Cùm ergo quædam in Christo ita videamus huma- *Basilij*
na, vt nihil à communi mortalium fragilitate distare videantur: quædam in diuina, *Magni.*
quæ nulli alij, nisi illi ineffabili naturæ conueniant deitatis: hæret humani intelle-
ctus angustia, & tãtæ admirationis stupore perculsa, quò declinet, quid teneat, quò
se vertat

Universidad de Deusto
Biblioteca

se vertat,ignorat.Si hominem putet,deuicto mortis regno,cum spolijs redeuntem à mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, vt in vno eodemque ita vtriusque naturæ veritas demonstretur,vt neque aliquid indignum & indecens de diuina illa & ineffabili substantia sentiatur: neque rursum, quæ humanitùs gesta sunt,falsis illusa imaginibus æstimentur.

Cyrilli epi. Alexãdrini S. Cyrilli episcopi Alexandrini : Homo nominatus est,cùm sit natura Deus, Dei patris verbum:quoniam similiter vt nos,sanguini communicauit & carni. Sic enim in terris apparuit,non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.Item eiusdem in libro,qui dicitur Scholia : Vnus igitur est,& ante incarnationem Deus verus, & qui inhumanitate mansit id, quod erat,& est,& erit. Non discernendũ igitur vnum dominũ Iesum Christum in hominem seorsùm & seorsùm in Deum,sed vnum eundemq; Iesum Christũ esse dicimus,non ignorantes differentias naturarum,sed eas inconfusas inter se seruantes.Item cuius suprà:Dicitur nanque tanquàm aliud in alio inhabitare,id est, diuina natura in humanitate, non perpessa commixtionem,vt esset,quod non erat.Quicquid enim in alia habitare dicitur, non ipsum fit tale, quale est id , in quo habitat, sed aliud in alio magis intelligitur. At verò in verbi persona & humanitatis,nobis solam differentiam designat diuersitas naturarum. Vnus enim ex vtraq; intelligitur Christus.Ergo inconfusione (vt antè dixi) seruata,inhabitasse ait verbum in nobis.Sicut enim vnum esse filium vnigenitũ , carnem factum & hominem.Item cuius suprà ad Nestorium: Ait igitur sancta &magna synodus,ipsum,qui est ex Deo parre natus naturaliter,filium vnigenitum,Deum verum de Deo vero,lumen de lumine,per quem,& cum quo omnia fecerit pater, hunc descendisse , incarnatum esse & hominem factum , passum esse,resurrexisse tertia die, & ascendisse rursum in cælos. Hæc nos sequi verba debemus,his nos conuenit obtemperare dogmatibus , considerãtes quid sit incarnatum esse,& hominem factum Dei verbum.Non enim dicimus,quòd Dei natura conuersa vel immutata,facta sit caro: nec quòd in totum hominem,qui est ex anima &corpore transformata sit : sed illud magis,quòd carnem animatam anima rationali,sibi copulauerit verbũ,& sic substantialiter,ineffabiliter, & inde præhensibiliter factus sit homo,& nuncupatus sit etiam filius hominis , non nuda tantummodò voluntate,sed nec assumptione sola personæ,sed quòd diuersæ quidem naturę in vnum conuenerint,vnus tamen ex ambabus Christus &filius,non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem,sed quia simul nobis effecerunt vnum Dominum & Christum & filium,id est,diuinitas & humanitas, per arcanam illam,ineffabilemque copulationis adunationem . Itaque is , qui ante secula omnia est natus ex patre , etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore . Non quia diuina ipsius natura de sacra virgine sumpsit exordium, nec quòd propter seipsam opus habuit secundò nasci post illam natiuitatẽ,quam habebat ex patre: (est enim ineptum & stultum hoc dicere,quòd is,qui ante omnia secula est cõsempiternus patri, secundæ generationis eguerit , vt esse inciperet) sed quia propter nos & propter nostram salutem naturam sibi copulauit humanam , & processit ex muliere , idcircò dicitur natus esse carnaliter . Neq; enim priùs natus est homo communis de sancta virgine, & tunc demum habitauit in eo verbum:sed in vulua vteroque virginali,se cum carne coniunxit,& sustinuit generationem carnalem,carnis suæ natiuitatem, suam faciens . Sic illum dicimus & passum esse & resurrexisse:non quia Deus verbum in sua natura passus sit aut plagas,aut clauorum transfixiones,aut alia vulnera (Deus nanque incorporalis, extra passionem est) sed quia corpus illud , quod ipsius proprium factum est , passum est , ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus . Inerat enim in eo corpore,quod patiebatur , Deus , qui pati non poterat . Simili modo & mortem ipsius intelligimus.Immortale enim & incorruptibile est naturaliter, & vita,& viuificans Dei verbum.Sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei,iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustauit , idcircò ipse dicitur mortem passus esse pro nobis.

Idem Cyrillus in epi. ad Nestorium.

Hebr.

Non

Non quòd ipse mortem esset expertus,quantum ad ipsius naturam pertinet(insania est enim,hoc vel sentire,vel dicere)sed quòd(vt suprà diximus)vera caro ipsius mortem gustauit . Ita & resurgente carne, ipsius rursus resurrectionẽ dicimus: non quia in corruptionem ceciderit(quod absit)sed quia eius resurrexit corpus.Ita Christum vnum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum verbo coadorantes, ne diuisiones quædam species inducatur, sed vnum iam & eundem adorantes , quia non est alienum à verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus,quasi duobus filijs assidentibus,sed vno cum carne per vnitatem:quia si talem copulationem factam per substãtiam , aut quasi impossibilem, aut quasi parùm decoram,noluerimus accipere,in id incidimus, vt duos filios esse dicamus . Necesse est enim discernere,& dicere,hominem separatim fuisse sola filij appellatione honoratum:& rursùm verbum,quod est ex Deo,& nomine,& veritate,filium Dei:sed discernere in duos filios non debemus vnum Dominum Iesum Christum.Neq; enim id adiuuat rectam fidei rationem,licet nonnulli, nescio quam , perhibeant copulationem per sonarum.Non dixit enim scriptura, verbum Dei personam hominis sibi assumpsisse,sed carnem factum esse. Id autem est ostendere Dei verbum, similiter ac nos,participatum habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse,& hominem ex muliere processisse,non abiecta, nec deposita deitate, aut gene ratione illa,quã habebat ex patre , sed mansisse etiam in assumptione carnis Deum, quod erat.Hoc vbique rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos patres fuisse comperimus. Ideò illi non dubitarunt sanctam virginem dicere theotocon , non quòd verbi natura,deitasque in sancta virgine sumpsit exordium,sed quòd ex ea natum sit sacrum illud corpus , animatum anima rationali , cui substantialiter adunatum Dei verbum,carnaliter natum esse dicitur.

Ioann.

Epistola nonagesimaoctaua eiusdem ad Faustum presbyterum.

Dilectissimo Fausto presbytero Leo Episcopus salutem.

GRATVM semper est mihi tuam alloqui charitatem, & affectum salutationis exoluere,quoniam scio te & probabilem, & syncerissimæ fidei esse custodem , & qui non circunducitur omni vento doctrinę,sed in fundamento prophetarũ & apostolorum(qui Christus est)firmè consistere, vt quum venerit filius hominis in diuinitate sua ad purgationem totius mundi,in electione reperiaris frumentum ęternitatis,qui dignus thesaurizari possis in horreis . Susceptis itaq; literis per filium meum Parthenium reciprocam salutationem exoluens, exhortor tuam beatitudinem , fili charissime , vt non confundaris de Euangelio generationis Domini Iesu Christi,filij Dauid,filij Abraham secundùm carnem,quoniam hæc fides vincit mundum,quando quis credit,quia Christus est filius Dei.Si quæ verò fidei quæstiones inueniuntur,admonemus vt de his,quæ ad communem vtilitatem pertinent,latiùs nobis scribas,libenter suscipientibus, qui ista detulerint.

Matt.1.

Ioann.5.

Epistola nonagesimanona eiusdem ad Leonem Augustum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leo Episcopus, Leoni Augsto.

SI gloriosum pietatis vestræ in fidei defensione propositum tanta prosequi laude cupiamus, quanta rerum ipsarum magnitudo depoſcit, inueniemur impares in actione gratiarũ, si nostri tantùm oris angustijs vniuersalis Ecclesiæ gaudia celebremus. Sed dignius illius remuneratio vestris actibus meritisq; seruabatur, in cuius causa & speciali excellitis animo, & optato triumphatis euentu gloriæ. Sciat igitur clementia vestra omnes ecclesias Dei cum laude vestra exultare pariter & lætari, quòd ab Alexandrinæ ecclesiæ iugo improbus parricida depulsus est, & populus Dei, cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, posit iam in salutis viam fidelium sacerdotum prædicatione reuocari, cùm videat omne seminarium venenorum in ipso auctore proiectum. Nũc ergo quia hoc constanti proposito & magna mente peregistis, consummato operi fidei illud adiungite, vt de catholico ciuitatis illius præsule quod Deo placeat decernatis, qui nulla damnatæ toties impietatis sit infectus adspergine, ne fortasse tectum vulnus sub specie obductæ cicatricis increscat, & plebs Christiana, quæ vobis agentibus apertè ab hæreticorũ peruersitate liberata est, lœtalibus iterùm obnoxia sit venenis. Vides autem, venerabilis Imperator, & euidenter agnoscis, quòd in persona, de cuius abscisione agitur, nõ sola est fidei integritas intuenda: quæ etiamsi vllis correctionibus professionibusq; purgari, & in integrũ valeret qualibet cõditione restitui, nequaquã tamẽ quę scelestè cruenteq; cõmissa sunt, possunt probabilium verborũ protestationibus aboleri: quia in pontifice de hac (maximè tantæ ecclesiæ sacerdote) non sufficit sonus linguæ & sermo labiorum: & nihil prodest si Deus voce prædicatur, & mens impietate conuincitur: De talibus enim per Apostolum sanctus spiritus loquitur: Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et iterùm alibi: Deum profitentur se scire, factis autem negãt. Vnde cùm in omni Ecclesiæ membro, & integræ fidei veritas, & bonorũ operum plenitudo quęratur: quantò magis in summo pontifice debent vtraque præcellere, quia alterũ sine altero non potest cum Christi corpore cõpagem? Nec necesse est nunc omnia, quæ Timotheũ execrabilem faciũt, enarrare, cùm copiosè atque manifestè in totius mundi notitiam, quæ per ipsum ac propter ipsum sunt gesta, processerint: & si quid ab incomposito vulgo contra iustitiam perpetratum est, in huius omnia verticem confluant, cuius desiderijs manus furentium seruierunt. Vnde si etiam in professione fidei nihil hic negligat, nihil fallat, aptissimum gloriæ vestræ est ab hoc appetitu illum prorsus excludere: quia in tantæ vrbis antistite vniuersa Ecclesiæ videtur deesse, membra decet sancta exultatione gaudere, vt vera pax Domini non solùm prædicatione fidei, sed etiam morum clarificetur exemplo. Data 15. Calendarum Iuliarum, Magno & Apollonio consulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

Timotheũ Aelurum dicit.

Locus mẽdosus.

2. Tit. 3. Tit. 1.

Is est annus salutis 460. pontificatũs S. Leonis 21.

Epistola centesima eiusdem ad Gennadium Episcopum Constantinopolitanum.

Leo Episcopus Gennadio Episcopo Constantinopolitano.

Dilectionis

DIlectionis tuæ literis, & fratrum coepiscoporumque nostrorum Domitiani & Geminiani sermone agnoui, Timotheũ postquam ecclesiæ Alexandrinæ ciuitatis expulsus est, Constantinopolim (nonnullis hoc fidei aduersarijs agẽtibus) venire permissum: vt quantùm datur intelligi, quia vniuersorum Domini sacerdotum sententijs coarctatus, inuitus saltem ad catholicum se dogma conuertat, vt tanquam propter hanc tantummodò culpam videatur electus, hæreticæ peruersitatis errore damnato, doctrinæ apostolicæ, vt ad Alexandrinam redeat, acquiescat, cùm illi, etiam si catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quòd viuente episcopo, tantæ sedis inuasor est, & author apparuit inauditæ crudelitatis admissæ. Et ideò dilectio tua solicitudine, qua claret, eniti & elaborare debebit, ne cum tam nefario homine sermo aliquis priuatim, vel publicè misceatur, neue sub specie correctionis eius quorundam conuentui præbeatur occasio, ne redeundi integram capiat libertatem, de quo iam edictis suis princeps Christianissimus iudicauit. Omni igitur labore & circunspectione peruigili vnitati ecclesiasticæ profuturus, enitere frater charissime, vt spes suffragatoribus ipsius adimatur, & Alexandrinis ex clero suo catholicus episcopus secundùm morem veterem per orthodoxos apiscopos consecretur: quia parricida ille non alias à suis defensoribus deseritur, nisi Alexandrina ecclesia, quæ patrum honori & suæ restituenda est libertati, rectorem sanandis omnibus, quæ malè gesta sunt, probatissimum fuerit consecuta. Datum decimoquinto Calend. Iulias Magno & Apollonio Consulibns, per Philopenum agentem in rebus.

De cæde Proterij episcopi dicit.

Epistola centesimaprima eiusdem ad Timotheum Episcopum Alexandrinum.

Leo Episcopus Timotheo Episcopo catholico Alexandrinæ Ecclesiæ.

EVidenter apparet sub Apostolicæ splendore sentẽtiæ, quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, & diuinæ dispensatione pietatis vbi excipiuntur aduersa, ibi donantur & prospera, quod Alexandrinæ ecclesiæ experimenta demonstrant, in qua multos sibi patientiæ thesauros humilitas, modestia & tolerantia congregauit: quia iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit: glorificata in omnibus inclyti principis fide, per quem dextera Domini fecit virtutem, ne in thronum beatorum Patrum Antichristi diutiùs sederet opprobrium, cuius impietas nemini magis quàm sibi nocuit: quia etsi aliquos ad societatem facinoris impulit, se tantùm denique inexpiabiliter cruentauit. Vnde de eo, quod instinctu fidei in fraternitatem tuam cleri & plebis, atque omnium fidelium egit electio, vniuersam mecum Ecclesiam Domini gaudere relcribo, vtque hoc benignitas diuinæ pietatis multiplicata gratia confirmet exopto: ita ipsi per omnia tua deuotione famulante, vt etiam eos, qui veritati aliquatenùs restiterunt, reconciliandos Deo per Ecclesiæ preces instanter acquiras, & sacramento catholicæ fidei, cuius soliditas nullam diuisionem recipit, solicitus rector adiungas: illum imitatus rerum piumque pastorem, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & errantem vnam ouem non flagellis coërcuit, sed ad ouile proprium suis humeris reportauit. Agat ergo dilectio tua, frater charissime, ne vel Nestoriani dogmatis, vel

Is est Timotheus Salophaciolus, qui in Timotheo Aeluri locum subrogatus est.

Roma. 8.

Psal. 33.

Ioan. 10.

Luc. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.3. Eutychiani erroris vllum in Dei populo posit vestigium reperiri: quia nemo potest fundamentum ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus: qui vniuersum mundum non reconciliaret Deo patri, nisi per fidei regenerationem omnes in nostræ carnis veritate susciperet. Cùm ergo scribendi opportunitates, quibus frá ternitas tua vtatur, extiterint, sicut necessariè & ex more fecisti, vt per filios nostros Danielem presbyterum & Timotheum diaconum ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres: ita omni tempore in hoc officio perseueres, vt de prouectibus pacis sæpè, quantùm fieri potest, solicitudini nostræ mittantur indicia, vt per alterna colloRoma.5. quia sentiamus, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Datum decimoquinto Calendas Septembris, Magno & Apollonio Consulibus.

Epistola centesimasecunda eiusdem ad presbyteros & diaconos Ecclesiæ Alexandrinæ.

Leo Episcopus presbyteris & diaconibus ecclesiæ Alexandrinæ, dilectissimis filijs in Domino salutem.

Ephes.4. GAudeo exultanter in Domino de pijssimo, quem inter vos habetis, affectu, dum sicut scripta vestra manifestant, & pastor gregem, & grex ostenditur amare pastorem. Soliciti ergo in inuicem, sicut Apostolus ait, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, properate * ad fructum vestræ peruenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle potestis aut agere, quàm vt auxiliante Dei gratia, glorioßssimi principis, fide ad profectum solidissimæ pacis vtamini? remota procul ea bestia, quæ vineam plantationis dominicæ, sicut Psalmus Propheticus canit, singuPsal.79. lari feritate vastabat. Qusa ergo in ouili dominico nec furum iam insidiæ, nec latronum timentur incursus, redeat vniuersitas vestra in concordiam, & magisterio spi1.Cor.10. ritus sancti illa in omnibus vnitas expetatur, propter quam dicit Apostolus: Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Idipsum dicant & sentiant omnes: nulla sint sensuum disputationumque certamina. Quod vsque ad catholicos præsules in Alexandrina ecclesia discipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem à cunctis fidelibus confessione promatur: quia varietatem veritas Veritas sim plex et vna (quæ est simplex atque vna) non recipit. Si quos autem cuiuslibet ordinis Christia* legẽdum videtur, prouocate. nos impia hæreticorum conturbauere mendacia, ad satisfactionis remedia * probitate, & in spiritu mansuetudinis cum benignitate corripite: quia, sicut ait beatus a2.Petr.3. postolus Petrus, non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquot perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti. Agendum ergo est, ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem. Data decimoquinto Calen. Septem. Magno & Apollonio Censulibus.

Epistola centesimatertia eiusdem ad quosdam Aegypti episcopos.

Leo Episcopus Theophilo, Ioanni, Athanasio, Abrahæ, Danieli, Ioahe, Paphnutio, Musæo, Panuluio & Petro, episcopis Aegyptijs.

Literis

LIteris fraternitatis vestræ, quas ad me filij nostri Daniel presbyter & Timotheus Diaconus detulerint, cognouisse me gaudeo, quòd glorioßi & venerandi principis fides, propheticis & euangelicis vnita doctrinis, ad sanctos & Deo placitos dispositionum suarum deuenit effectus, vt cruentissimo Alexandrinæ ecclesiæ peruasore deiecto, & in longinquiora translato, dignum sua gubernatione, rectorem totius ciuitatis mereretur electio: ad cuius vos consecrationem nullus ambitus traheret, nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem sibi vniuersitas cuperet præsidere. Vnde reddita populis Christianis Dei pace gaudẽtes, commendamus vobis inuicem vestri operis dignitatem: vt religiosè per omnia ordinatus antistes, fraterno se viuere experiatur assensu, & ad abolenda scandala, quæ error hæreticus excitauerat, cooperatione vestra gaudeat adiuuari. Excluso enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non stetit, malè vtens specie persuasi honoris & nominis, cõgruit, vt Alexandrina ecclesia eum veneretur & diligat, quem & probitate morum, & integritate catholicæ fidei, dignum tanto sacerdotio comprobauit: cui mutuæ charitatis plenũ animi nostri præbemus affectũ, cohortantes fratres charissimi, & fidutialiter exigentes, vt in prædicatione verbi, in eruditione præcepti illam formam custodiatis charitatis, sine qua nullæ possunt prodesse virtutes. Quod autem fratri & coepiscopo nostro Timotheo de reuocãdis his, qui à veritatis itinere deuiantes, inconsultiùs se ferociusq; gesserunt, scriptum esse cognoscitis, dilectio quoque vestra ad curam suam intelligat pertinere: vt quia latè sese pestilens illa ægritudo diffudit, vbique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus, vt per diligentiam pastoralem in cunctis ecclesijs Domini ouile reparetur, & per solicitudinem charitatis atque doctrinæ, omnes Christi oues vnum sentiant habere pastorem.

Data 15. Calend. Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

D. Leonis Primi Ro. Pontificis operum finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. LEO IX. PAPA

LEONIS EIVS NOMINIS IX. ROMANI PONTIFICIS, CVM PRIMIS SANCTI AC ERVDITI LIBELLVS INSIGNIS ADVERSVS INAVDITAS PRAESVMPTIONES Michaelis Constantinopolitani & Leonis Acridani Episcoporum.

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, Michaeli Constantinopolitano & Leoni Acridano Episcopis.

In terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Caput I.

HVIVSMODI exordium docuit nos illud dominicum: In quamcunque domum aut ciuitatem intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: Sin autem, ad vos reuertetur. In pace etenim vocauit nos Deus, qui est pax nostra: qui fecit vtraque vnum, & veniens euangelizauit pacem his qui lõgè, & his qui propè erant: & inter nonnulla dixit: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quorum pedes deiloquus Esaias admiratus, proclamat: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. Ad quam magnus Paulus contestando sic discipulos adhortatur: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Et: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et rursum: Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Nec immeritò, dicente discipulis suis, imò omnibus Christianis ipso Domino: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quæ vtique quam germano & vnanimi affectu & insolubilis fœderis nexu retinenda sit, hinc potest colligi, quòd eam vltimã cohæredibus & comparticipibus suis, velut hæreditario & perpetuo iure commendatam sub testamento, mox suo sanguine subscripto, & pia morte confirmato reliquit, quasi diceret: Fratres & cohæredes mei, relinquo vobis ex patrimonio nostro sortem, temporalem videlicet pacem, quam si integram & incontaminatam in fine mihi repræsentaueritis meam sortem, pacem scilicet sempiternã adiungo vobis. Nec his contentus, patri æqualis, patreq; minor, pro hac ipsa patrem sic deprecatur, ad patrem suum & patrem nostrum, à quo nunquam discesserat, rediturus: Pater, quos dedisti mihi, volo vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, & sint consummati in vnum.

Matth. 10. *Lucæ 10.* *1.Cor.7.* *Ephes.2.* *Matth.5.* *Rom.10.* *Esaiæ 52.* *Hebr.12.* *Rom.12.* *2.Cor.13.* *Ioan.14.* *Ioan.17.*

Caput II.

SEd væ mundo ab scandalis: quia cum penè omnes paginæ diuinæ nos pariter inuitent ad bonum vnitatis & pacis, quatenus cor vnum & anima vna sit nobis in eo, qui vnanimes in domo sua, quæ est catholica Ecclesia, habitare facit, extitere tamen hactenus, & existunt miseri homines, sua, non quæ sint Iesu Christi quærentes, de dilacerationibus atque scissionibus Ecclesiæ sibi trophæa aucupantes, per omnia militibus Dominum gloriæ crucifigentibus nequiores. Illi siquidem

Matth. 18. *Psal. 67.*

siquidem corruptibili tunicæ ipsius, quia inconsutilis & desuper contexta erat per totum, pepercerunt, dicentes: Non scindamus eam, quadam vtique reuerentia admirati & textricis diligentiam, & operis elegantiam. Isti verò irruptibili charitati eius, qua vniuit Ecclesiam, vt exhiberent sibi vestem gloriosam, non habentem maculam aut rugam, impias & sacrilegas manus ad discindendum crudeliter injiciunt, linguas magniloquas & dolosas ad confodiendum illam exacuunt: nihili pendentes ineffabili & speciali artificio coæternæ Deo patri sapientiæ compactam & contextam, nec humano ingenio, seu philosophorum syllogismis aut argumentationibus consutam. Stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Neq; enim per rhetores & sophistas collegit piscatores, sed per piscatores & simplices, piscatus est sophistas & oratores. quia, sicut egregius Paulus dicit, Non est in sermone regnum Dei, sed in virtute.

Ioan. 19. *Ephes. 5.* *1.Cor. 1.* *1.Cor. 4.*

Caput III.

VErùm erubescat & cõfundatur impia hæresis, impudenter inhians sectioni atque diuisioni insecabilis & indiuisibilis vnitatis, reclamante & repugnante non solùm ipsius vnitatis natura, sed etiam humanæ sapientiæ coniectura. Discedant ergò perfidi corui, milui, vultures, & quæcunque laniatu vel morte aliena pascuntur aues. Sola columba ad arcam redeat, & super caput Domini Iesu manẽs, totum corpus eius, quod est Ecclesia, vniat, infundat & repleat, vnicamque columbam de diuersæ professionis & nationis hominibus atque linguis omnibus, quasi de diuersis membris efficiat, cui voce capitis, quod est ipse Christus, dicat: Vna est columba mea, perfecta mea, immaculata mea. Quæ enim semper vna vocatur & est, nunquam diuiditur aut secatur. Quæ semper perfecta, hoc est plena, nunquam minuitur, aut euacuatur. Quæ semper immaculata, nunquam corrumpitur, aut maculatur: quoniam etsi nonnunquam ab ea plerique ita exeunt vt nõ reuertantur, non tamen eius vnitas inde discinditur, aut perfectio minoratur, seu virginitas violatur. Quandoquidem membra coruina ad hoc reuertuntur, vt suo corpori, à quo ad tempus videbantur esse disiuncta, reincorporentur, & integerrima permaneat columba illa vnica, cui se incorporatos & vnitos falsõ gloriabantur: & quæ gemebat sub periculis in falsis fratribus, releuata illorum exitu, per os beati Iohannis apostoli liberè protestatur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Qui enim pectus columbæ velut humores mali solebant premere, & ad nauseam iugiter prouocare, alicuius accessionis vel occasi onis impulsu egressi, vel electi, aut potius egesti, comprobantur eam releuare: atque bonæ valetudinis statum sua discessione eidem renocare. Quotquot autem exeunt redituri, omnino ab ea nequeunt auelli aut præcidi, & si videntur aliquandiù auulsi aut præcisi: quia nouit Deus qui sunt eius, per cuius prædestinationem sunt intus sine errore, etiam qui putantur foris esse & errare, nec rapit quisquam de manu ipsius, quos iam prorsus raptos suspicabamur.

1. Ioan. 2. *2. Tim. 2.*

Caput IIII.

SEd væ hominum superbiæ & ignorantiæ, qui membra Antichristi & præcursores eius effecti, qui est rex super vniuersos filios superbiæ, non cessant zizaniorum pestes in medium tritici spargere, & messem, cui cœleste præparatur horreum, quantum in eis est atterere. De quorum periculoso tempore dilectus Domini virgo Ioannes voluit nos instruere: Filioli inquies, nouissima hora, & sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc autem Antichristi multi facti sunt. Hæc nouissima hora à primo aduentu saluatoris incepta, vsque ad secundum

Iob 41. *Matth. 13.* *1 Ioan. 2.*

eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius aduentum est protendenda. Quæ quot Antichristos iam habuerit aut detexerit, dicere quis poterit? De quibus & doctor gentium mirabilis Paulus Ephesijs in
Actor. 20. Actibus apostolorum ait: Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi graues in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsi: exurgent viri loquentes per-
Apoc. 5. uersa, vti abducant discipulos post se. Sed ô Domine Iesu peruigil pastor, & leo de
Psal. 90: tribu Iuda, qui secundum Psalmistam, super aspidem & basiliscum ambulas, & conculcas leonem & draconem, iam in fine seculorum oues pascuæ tuæ varijs insidijs &
Psal. 67. rabie innumerabilium luporum hactenus fessas, miseranter attende, & increpa feras arundinis, quæ sæuiunt & dentibus frendunt super humilitatem Ecclesiæ tuæ, fulti & protecti arundineto, id est, mundana potestate, exterius quidem nitida, sed
Ieb 40. interius vacua: Vbi, sicut ad beatum Iob diuina voce dicitur, non solùm omnes bestiæ agri ludunt, cuncta scilicet turba malignorum spirituum, secundum libitum suum debacchatur: verùm etiam Behemot, eorum vtique princeps, ibidem sub vmbra dormit in secreto calami & locis humentibus, cum fine aliqua inquietudine vel contradictione in superborum & lubricorum cordibus requiescit securus. Catholica verò Ecclesia promissiones tuas retinens Domine, quotidie gaudet compleri in
Sapient. 5. doctoribus suis illud libri Sapientiæ. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arun-
Psal. 67. dineto discurrent, atq; vento agitatas arundines comburent. Tunc feræ arundinis pariter interibũt, in quibus est congregatio taurorum, cœtus videlicet hęresiarcharum, ceruicoso ducatu post se trahentium vaccas, id est, lasciuas animas populorum, vt qui probati sunt argento excludantur, scilicet perfecti in eloquijs diuinis & stabiles in fide appareant, emineant vel manifestentur, Argento quippe eloquia diui-
Psal. 11. na significantur, vt idem Psalmista testatur: Eloquia Domini eloquia casta argentum igne examinatum: Per exclusionem autem, argentum vel aurum quodam artificio subrigitur, eleuatur & exprimitur, vt repentè videatur respersum & insignitum decenti figuratione florum aut imaginum, quod prius humile iacebat & pla-
1. Cor. 11. num. Quod totum breuius & clarius sic eloquitur magnus Paulus: Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis. Sed ò maligna hæresis, non inde tibi blandiaris, quod ab Apostolo, oportet hæreses esse audieris. Etenim in sancto Euange-
Matth. 18. lio Dominus noster dicit: Necesse est vt veniant scandala: veruntamen væ homini, per quem scandalum venit. Nempe non est frustrà in fornace aurifices palea: quia aurum non purgatur, si palea non vratur.

Caput V.

HAec & alia similia his cum penè omnes sacri eloquij paginæ contra impudentem vesaniam hæreticorum concrepent, vehementer obstupescimus, & lachrymis charitatis plangimus sic edormijsse Ecclesiæ sacerdotes, quatenus qui Dei debuerant esse adiutores, non exhorreant eorum fieri sequaces, quorum memoriam cum sonitu
Psal. 9. perijsse, & ciuitates destructas vident. Inde est totum illud, quod tandem cum indicibili contritione & gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera catholicæ matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica & sanctorum vigor canonum confunditur ac calcatur, quia tu charissime nobis & adhuc dicende in Christo frater & antistes Constantinopolitane, tuq; Leo Acridane dicimini Apostolicam & Latinam Ecclesiam noua præsumptione, atque incredibili audacia nec auditam, nec conuictam palàm damnasse, pro eo maximè, quòd de azymis audeat commemorationem dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, quando ponitis in cælum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra, humanis argu-
Psal. 72. mentationibus & coniecturis, antiquam fidem confodere ac subuertere moliatur. Ecce nisi quantotiùs resipiscatis, incorporati & annumerati, quod absit, eritis

eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum traxit, & in terram misit. *Apoc. 12.*
Ecce iam post mille ac fermè xx. à passione saluatoris nostri annos, incipit per vos di- *Aetas au-*
scere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis eiusdem sit recolenda, quasi nil *thoris.*
ei contulerit præsentia conuersatio & diuturna institutio, seu qua clarificauit Deũ, *Ioan. 21.*
mors preciosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus filius Dei viui dicit:
Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, *Matth. 16.*
qui est in cælis.

Caput VI.

NOn ergo perpenditis quãta impudentia dicatur pater, qui est in cælis, abscondisse à principe apostolorum Petro cultum siue ritum visibilis sacrificij, per dispensationẽ vnigeniti sui, cui per semetipsum plenissimè reuelare dignatus est illud ineffabile arcanum inuisibilis diuinitatis eiusdem filij sui? Et cui nõ per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore ipse Dominus angelorum & prophetarum in sequentibus sic repromittit: Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, illius capiti vos satagitis subtrahere Christũ Iesum, præter quem nemo potest vniuersali Ecclesiæ aliud ponere fundamentum? Quod vtiq; deuotissimus ille Petrus non solùm viuens, sed etiam moriens demon- *Petrus cur*
strauit, quando nimia humilitate & congrua significatione se crucifigi deorsum ver- *voluerit ca-*
so capite petiuit: profectò diuina inspiratione præfigurans, sese esse primum & qua- *pite deor-*
drum lapidem fundamento, quod Christus Iesus compaginatum, cohærentem at- *sum verso*
que connexum, qui, vtpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasti- *crucifigi.*
cæ fabricæ incorruptibili soliditate sufferret, ac proprij capitis suppositione omnia *1. Cor. 3.*
membra corporis Christi per aptas & naturales * vsque ad consummationem secu- * *Hic deest*
li, quasi vsque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad cælos sustolleret. *iunctura, aut aliquid eiusmodi.*

Caput VII.

TAliter sancta Ecclesia super petram, id est, Christum, & super Petrũ vel Cepham filium Iohannis, qui prius Simon dicebatur ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos & ad interitum introducũt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcunq; sunt vera: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Cuius promissionis effectum se precibus impetrasse à patre, idem filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon, ecce *Matth. 16.*
Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non de- *Luc. 22.*
ficiat fides tua, & tu aliquãdo conuersus, confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nõnne à se principis apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per *Romana*
eundem Petrum, quàm per successores suos reprobata & conuicta atque expugna- *Ecclesia hæ-*
ta sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hacte- *reses om-*
nus nec defecit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata? *nes profligauit.*

Caput VIII.

PRæterimus nominatim replicare nonaginta & eo amplius hæreses, ab Orientis partibus, vel ab ipsis Græcis, diuerso tempore ex diuerso errore ad corrumpendam virginitatem catholicæ Ecclesiæ matris emergentes: dicendum videtur ex parte, quantas Constantinopolitana ecclesia per præsules suos suscitauerit pestes, quas viriliter expugnauit, protriuit & suffocauit Romana & Apostolica sedes:

Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vide Nicephorū lib. 9 cap. 4.

Ecce Eusebius Nicomediensis episcopus, sedis Constantinopolitanæ inuasor, & signifer maledicti Arij extitit. Quartus Macedonius hæresiarcha, suffocator antecessoris sui beati Pauli, blasphemator spiritus sancti, tortor Christianorum, & vsque ad mortem persecutor, & alter Iulianus charactere in frontibus notando catholicos. Hæc & alia multa tam ipse, quàm sui sequaces per omnes Orientis vrbes, & maximè Costantinopoli agebat, cùm Hesperiæ partes ab hac tempestate immotæ manerent, teste vestro historiographo Socrate. Quintus Eudoxius Arianus inuasor sedis, & ordinator Eunomij hæretici, dicens patrem ἀγέννητον quòd nullum colat: filium ἐγγέννητον quòd patrem colat. Sextus Demophilus, & ipse Arianus. Nonus Maximus, Cynicus & Apollinarista. Decimus Nectarius vir sanctus, ordinatus à sancta Constantinopolitana synodo prima: de quo cum sancti patres Damaso papæ & suis coepiscopis scripsissent, dixerunt: Constantinopolitanæ vrbis nouellam, vt ita dicamus, ecclesiam velut ex ore leonis, hæreticis suffoslam blasphemijs, abstraximus, teste Theodoreto vestro historiographo. Si non inde omnino suffocatus est ille veternosus basiliscus & venenosus: quia successor huius Iohannes Chrysostomus ab ingrata ecclesia bis est depositus, & in exilio defunctus. Cuius depositionem non serentes occidentales episcopi, id est, Latini, ab orientalium communione sunt segregati. Huius successor Arsacius manu militari in Ioannitas desæuijt, in sequaces videlicet beati Ioannis. Iam quintùs decimus in catalogo Nestorius hæresiarcha extitit, qui spiritu diaboli plenus inter alias suæ peruersitatis blasphemias, tale virus euomuit: Dei genitricem Mariam nullus appellet. Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari nimis impossibile est. Qui etiam duas personas in Christo mentitus est. Hinc septimusdecimus Flauianus beatus præsul, martyrio coronatus posteà, quia damnauit Eutychen abbatem, vnam substantiam vel naturam in Christo asserentē. Propter quod à beatissimæ memoriæ domino papa Leone, & Martiano Christianissimo Imperatore factum est Chalcedonense Concilium sexcentorū xxx. pōtificum. Quid dicemus de Acacio accusatore, & restitutore Petri Alexandrini episcopi, per quos plurima homicidia extiterunt, nisi quòd à sanctissimo Gelasio papa in perpetuum fuere ambo damnati cùm Iohanne successore & defensore Acacij? Post quos Antimus Eutychianus hęreticus per prędentem papam Agapetum in ipsa Constantinopoli est depositus. Eutychius autem quia dogmatizabat humanum corpus in resurrectione impalpabile futurum, & vento aereq; subtilius, à beato Gregorio tunc diacono ita est conuictus, vt in præsentia piæ memoriæ Tiberij Imperatoris, codices dogmatis eius iustis flammis traderentur.

Socrates Hist. Eccle. li. 2. ca. 27.

Vide Nicephori Eccleſiaſt. Hiſtoriam li. 9. cap. 46.

Theodoretus Eccleſiaſt. Hiſt. li. 5. cap. 9.

Caput IX.

Succesit quoq; huic Iohannes, cuius superbiam quanuis vniuersus mundus capere nequiuerit, angustus tamen eclipes post non multum temporis compresit. Hic nimiæ vanitatis nouum nomen primus sibi vsurpauit, vbi se à cūctis œcumenicum patriarcham, id est, vniuersalem & dici & scribi debere decreuit. Pro qua vtique præsumptione à beatis pontificibus Pelagio & Gregorio digna percussus est excommunicatione. Cuius contagij macula adhuc vobis cum ipsa maledictio ne sic adhæsit, vt nunc quoq; vosipsos œcumenicos patriarchas & appellare, & scribere non timeatis. Et certè nomen istud à sanctis patribus in Chalcedonensi synodo, ob reuerentiam sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, sanctissimo decessori nostro Leoni papæ & præclarissimo doctori, successoribusq; eius fuit oblatum: sed nec ab illo, nec ab vllo successorum ipsius constat hactenus receptum. Et cui post Christum Iesum hoc nomen magis poteras aptari, quàm successoribus Petri? Sed imitanda humilitas reuerendorum pontificum attendens quòd ipse princeps apostolorū non inueniatur dictus vniuersalis apostolus, superbum refutauit vocabulum penitus,

tus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem præsulibus, dum vni ex toto arrogaretur: tanquam singuli dicerent verbis & factis, quod magister eorum & primus crucifigendus inquit: Non sum dignus caput sursum ponere: sed declinate vultum in terram. Vestra ergo fraternitas videat, quanta apud se proteruia tumeat, quæ nec oblatum sibi à quoquam nec concessum, sed potius denegatum & sub anathematis interpositione ab Apostolica & prima sede, & à sanctis atq; orthodoxis patribus interdictum superstitiosum vocabulum, tantæ obstinationis contumacia per quadringentos iam à beatissimo papa Gregorio & amplius annos vsurpare non cessat. Et qualiter exemplo Domini nostri Iesu Christi & suorum parati estis pro fratribus animas ponere, qui per tot tempora noluistis saltem inane nomen, & totius Ecclesiæ vnitatem sua insolentia scandalizans deponere? & quid effecit in vestris mentibus toties declamata in auribus illa glorioſi Apostoli Pauli professio, qua dicit: Quis scandalizatur, & ego non vror? Qui non solùm pro scandalo aliorum non vri mini, sed etiam scandalo vestro quotidie vritis Ecclesiam Dei? *1. Cor. 11.*

Caput X.

Sed vt ad reliquos decessores vestros reuertamur, quid de Pyrrho Episcopo, immò hæresiarchæ Macarij Antiocheni sequace dicetur, qui veniens Romam, scripto anathematizauit omnia, quæ ipse & decessores sui contra fidem Catholicam, & Apostolicæ sedis senserant? Sed quantotius ad vomitum reuersus, à Papa Theodoro est damnatus, & successor eius Paulus, quòd ab eodem Romano pontifice monitus & increpatus non resipuit: quando velut simulachrum aut phantasma aliquod insensibile Dominum nostrum Iesum Christum arbitratus, nec vnā, nec duas voluntates vel operationes in eodem fuisse diffiniuit, & altare Latinorum & legatorum Romanæ Ecclesiæ, quod nemo hæreticorum ante eum præsumpserat, subuertit. Ad cuius rabiem, qua sæuiebat in catholicos, destruendam, sanctissimus papa Martinus, collectis 105. episcopis, damnauit Cyrum, Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos episcopos. In qua vtique vesania nec vos istis modò temporibus inferiores illo vestro Paulo, summam & Apostolicam sedem, cunctosq; institutionis eius fidissimos obseruatores anathemate damnatis incauta impudenti arrogantia adeò cæcati, vt non animaduertatis, quid, & qui faciatis, & cui. Illi nempe facitis præiudicium, de qua nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere iudicium beatissimo & apostolico pontifice Syluestro diuinitus decernente, spiritualiq; eius filio Constantino religiosissimo Augusto cum vniuersa Synodo Nicena approbante ac scribente, vt summa sedes à nemine iudicetur, inuiolabiliter & inconcusse sibi conseruato illo priuilegio, quod isdem princeps quarto baptismatis sui die deuotus contulit pontifici Romano: scilicet vt in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes iudices regem. Quorum semper omni mundo reuerendam sententiam, sicut veraciter diuina inspiratione promulgatam, amplexæ reliquæ vniuersalis synodi: id est, Constantinopolitana prima, consensu pij Augusti & religiosi maioris Theodosij: Ephesina prior, sub iuniore Theodosio filio Arcadij: Chalcedonensis, sub imperio diuæ memoriæ Martiani: tertia Constantinopolitana, rogatu & consensu iunioris Constantini, vnanimi voluntate, concordiq; verbo & scripto confirmauere sanctam Romanam & Apostolicam sedem, post Dominum Iesum caput esse omnium Ecclesiarum Dei, & hoc debere credi, confiteri & scribi ab omnibus veneratoribus Niceni Concilij cuius statutorum vsque ad vnum iota contemptoribus districtum anathema cautum est à quinq; præfatis, & cunctis sanctorum patrum synodis subsequentibus.

De Romana sede nulli iudicare licet.

Hic Constantinus eius nominis 4. fuit Imperator. Fortassis autem hæc de 2. synodo Constantinopolitana accipienda sunt, quæ sub Iustiniano celebrata est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XI.

Sic iuxta Sapientem, lapis missus non pergit ad cælum, & maledictũ frustrà prolatum, reuertitur in authorem suum. Sic iuxta vulgi proProuer. 26. uerbium, qui supra caput suum spuere conatur, quantotiùs in faciem illius iputum relabitur. Sic nobis maledictum pro maledicto nõ reddentibus, sed cum Psalmista aduersum nos peccatore consistente, custodiam ori nostro iam diù ponentibus, per tumorem vestrum Psal. 38. incurristis quod dolemus: quia præiudicium faciendo summæ sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab vniuersis patribus omnium Conciliorum. Quo indissolubiliter astringemini, si cor impœnitens retinendo super tantam præsumptionem, ab illo per vicarios ipsius non soluamini, cui specialiter dixit Christus filius Dei viui: Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis: Si cõferamus vetera nouis Balaam ille Ariolus in hac parte cautior fuit Num. 23. vobis: qui reuerens Deum, nec promissis, nec minis Moab ad maledicendum filijs Israel flecti potuit: Quomodo, inquiens, maledicam, cui non maledixit Deus? aut quomodo detestabor, quem Dominus non detestatur? Vos verò nec amor Dei & proximi, nec reuerentia diuinorum canonum, aut, sicut dicitur, orthodoxorũ principum nostrorum prohibitio reuocat, quin publicè maledicatis & detestemini genus electum, regale sacerdotium, gentemq; sanctam. 1. Pet. 2.

Caput XII.

Quod quanùis omnibus Ecclesijs Christi, quæ vnam catholicam in toto mundo efficiunt, à principe Apostolorum Petro sit verè dictum, nulli tamẽ verius aptatur, quàm illi cui propriè præsidet ipse, qui cælestis regni meruit gubernacula obtinere, domino Iesu Christo sibi dicente: Tibi dabo claues regni cælorum, & in speciali potestate ligandi & soluendi summi sacerdotij priuilegium. At quoProuer. 21. niam attestante Salomone, cor regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud, tantum apicem dignitatis in beato Petro, & in eius vicarijs prudẽtissimus terrenæ monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione reueritus, cunctos vsque in finem seculi successuros eidem Apostolo in Romana sede pontifices, per beatum Syluestrum non solùm Imperiali potestate & dignitate, verùm etiam insulis & ministris adornauit Imperialibus: valde indignum fore arbitratus terreno imperio subdi, quos diuina maiestas præfecit cælesti: Cui equidem comparatũ istud terrenum, nihil est nisi vanitas vanitatum, qua homines obliti Domini creatoris sui, intumescentes mox detumescũt. Et tamen imperialis celsitudo hoc totum quod potuit effecit, quando tota deuotione quicquid à Domino acceperat, eidem in miniRom. 13. stris suis reddidit. Vt enim venerabilis Paulus docet: Nõ est potestas nisi à Deo: quęcunq; autem sunt, à Deo ordinata sunt. Quibus in terreni regni oportuna adminiI. Pet. 2. stratione non resistendum, sic instruimur per ipsum principem Apostolorum: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Siue regi, quasi præcellenti. Siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorũ: Rom. 13. quia sic est voluntas Dei. Et post pauca: Deum timete, regem honorificate. Atque per eoapostolum eius Paulum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi Prouer. 8. damnationem acquirunt. Vnde Sapientia in Prouerbijs intonat, dicens: Per me reges regnant, & principes iusta decernunt. Quod etiam sæpe dictus Augustus perspicacis animi viuacitate deprehendit, & matri suæ religiosæ Helenæ inter nonnulla sic rescripsit: Qui moderatur secula, & disponit mundi totius suffragia, quibus alimur & sustentamur per se quidem spirantia viuificat, sed per pectora principum sua iura seculis dictat.

Caput

Caput XIII.

His & alijs quam pluribus testimonijs iam vobis satisfactum esse debuit de terreno & cælesti imperio, immò de regali sacerdotio sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, præcipuè super speciali eius dispositione in cælis, si quoquo modo Christiani esse vel dici optatis, & si ipsam Euangelij veritatem aperte, quod absit, non impugnatis. Ad cuius tonitruum quisquis non expergiscitur, non dormit, sed omninò est mortuus, cui iam frustrà ab hominibus clamabitur. Sed ne fortè adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis superfit scrupulus, néue leuiter suspicemini ineptis & anilibus fabulis sanctam Romanam sedem velle sibi inconcussum honorem vendicare & defensare aliquatenus, pauca ex priuilegio eiusdem Constantini manu, cum cruce aurea super cælestis claugeri venerabile corpus posito ad medium proferemus, quibus fundetur veritas & confundatur vanitas: vt omnia membra catholicæ matris cognoscant nos illius Petri disciplinæ esse, qui sic in epistola sua ait de se: Non enim doctas fabulas se- 2. Pet. 1. cuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem: sed speculatores facti illius magnitudinis. Et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet, quàm ipso visu & tactu comperta vel admoniti recognoscite: quia idem glorioſus princeps in iam dicto priuilegio post Christianæ fidei claram perfectamq; confessionem, atque baptismatis sui enucleatam commendationem, specialem sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem sic promulgauit dicens: Vtile iudicauimus vnà cum omnibus nostris sa- *Dist. 96.* trapis, & vniuerso senatu, optimatibus etiam & cuncto populo Romanæ gloriæ *Constant.* imperio subiacente, vt sicut beatus Petrus in terris vicarius filij Dei esse videtur con- *Imper.* stitutus, ita etiam & pontifices ipsius principis Apostolorum vice, principatus pote- *quarta die* statem, amplius quàm terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroq; imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem Apostolorum vel eius vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decreuimus veneranter honorare, & amplius quàm nostrum imperium terrenumq; thronum sedem sacratissimam beati Petri glorioſe exaltare, tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperialem: atque decernentes sancimus, vt principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam ac Constantinopolitanam, quamq; etiam super omnes vniuerso orbe terrarum Dei ecclesias, & pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesię extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat: & eius iudicio quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint disponantur. Iustum quippe est, vt ibi lex sancta caput teneat principatus, vbi sanctarum legum institutor, saluator noster, beatum Petrum Apostolum obtinere præcepit cathedram, vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suiq; magistri & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, vbi eorum doctor beatus Paulus Apostolus, pro Christo extenso collo martyrio est coronatus: & illic vsque in finem quærant doctorem, vbi sanctorum doctorum quiescunt corpora: & ibi proni ac humo prostrati, cælestis regis Dei & saluatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, vbi superbi terreni regis seruiebant imperio. Et succinctè commemorato suo studio & deuotione in construendis aliquot sanctorum basilicis, & imperialium donationum magnificentia abundanter ditatis, ait: Concedimus ipsis sanctis Apostolis, dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per hos eti- *Dist. 96.* am beato Syluestro patri nostro, summo pontifici, & vniuersali vrbis Romæ papæ, *Constant.* & omnibus eius successoribus pontificibus, qui vsque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium imperij nostri Late- *quarta die* ranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit pallatijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulq; phrygiũ, id eſt, mitram, nec non & ſuper humerale, videlicet lorum, quod imperiale circundare aſſolet collum: verùm etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, ſed & dignitatem imperialium præſidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia ſceptra ſimulq; cuncta ſigna atque banda, etiam & diuerſa ornamenta imperialia, & omnem proceſsionem imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ. Viros etiam reuerendiſsimos clericos diuerſi ordinis, eidem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientes, illud culmen ſingularis potentiæ & præcellentiæ habere ſancimus, cuius ampliſsimus noſter ſenatus videtur gloria adornari, id eſt, patricios atque conſules effici, necnon & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et ſicut imperialis extat decorata militia, ita & Clerum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diuerſis officijs, cubiculariorum nempe & oſtiariorum, atque omnium excubitorum ornatur, ita & ſanctam Romanam Eccleſiam decorari volumus. Et vt ampliſsimè pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, vt clerici eiuſdem Romanæ Eccleſiæ mappulis & linteaminibus, id eſt, candidiſsimo colore decoratos equos equitent: & ſicut noſter ſenatus calciamentis vtitur cum vdonibus, id eſt, candido linteamine illuſtratis, ſic vtantur & clerici, & ita cæleſtia ſicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes, concedimus ipſi ſanctiſsimo patri noſtro Syluestro, vrbis Romæ epiſcopo & papæ, & omnibus qui poſt eum in ſucceſſu, & perpetuis temporibus aduenerint beatiſsimis pontificibus, pro honore & gloria Chriſti Dei noſtri in eadem magna Dei catholica & Apoſtolica Eccleſia ex noſtro indicto, quem placatus proprio conſilio clericare voluerit, & in numero religioſorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præſumentem ſuperbè agere.

Caput XIIII.

DEcreuimus itaque & hoc, vt idem venerabilis Pater noſter Syluester ſummus pontifex, vel omnes ſuccedentes ei pontifices, diadémate (videlicet corona, quam ex capite noſtro illi conceſsimus) ex auro puriſsimo & gemmis pretioſis vti debeant, & in capite ad laudem Dei pro honore beati Petri geſtare. Ipſe verò beatiſsimus papa ſuper coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipſa ex auro non eſt paſſus vti corona: Phrygium autem candido nitore, ſplendidam reſurrectionem dominicam deſignans, eius ſacratiſsimo vertici manibus noſtris impoſuimus, & tenentes frenum equi ipſius, pro reuerentia beati Petri, ſtratoris illi officium exhibuimus, ſtatuẽtes eodem phrygio omnes ſucceſſores eius ſingulariter vti in proceſsionibus, ad imitationem imperij noſtri. Vnde vt pontificalis apex non vileſcat, ſed magis quàm terreni imperij dignitas & gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium noſtrum, vt prælatum eſt, quàm Romanam vrbem, & omnes Italiæ ſeu occidentalium regionum prouintias, loca & ciuitates, ſæpe fato beatiſsimo pontifici & patri noſtro Syluestro, vniuerſali papæ contradentes atque relinquentes, ei vel ſucceſſoribus ipſius põtificibus poteſtatem & ditionem firmam imperiali cenſura per hanc noſtram diualem iuſsionem, & pragmaticum conſtitutum decernimus diſponenda, atque iuri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ concedimus permanſura. Vnde congruum proſpeximus, noſtrum imperium & regni poteſtatem orientalibus transferri ac tranſmutari regionibus, & Byzantiæ prouinciæ optimo loco nomini noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illic conſtitui imperium: quoniam vbi principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic terrenus Imperator habeat poteſtatem. Hæc verò omnia, quæ per hanc imperialem ſacram, & per alia diualia decreta ſtatuimus

mus atque confirmauimus, vſque in finem mundi illibata & inconcuſſa permanſura decernimus. Deinde facta obteſtatione coram Deo viuo, & terribili eius iudicio, & imprecatione æternæ condemnationis temeratori & contemptori iſtius ſui priuilegij, ſecutus idem venerabilis Conſtantinus ait: Huius verò imperialis noſtri decreti paginam proprijs manibus roborantes, ſuper venerandum corpus beati Petri poſuimus, ibiq; eidem Dei Apoſtolo ſpondentes nos cuncta inuiolabiliter conſeruare, & noſtris ſucceſſoribus Imperatoribus conſeruanda in mandatis relinquere patri noſtro Syluestro ſummo pontifici & vniuerſali papæ, & per eum cunctis ſucceſſoribus pontificibus Domino Deo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto annuente, tradimus feliciter atque perenniter poſsidenda.

Caput XV.

TOt ergo & talibus, alijsq; quàm plurimis teſtimonijs ſubnixa non erubeſcit veritas, ſed confutatur impudens vanitas. At nos hinc habentes teſtimonium maius Conſtantino, qui, vt ait beatus Baptiſta Ioannes, de terra eſt, & de terra loquitur, vix ab homine teſtimoniũ accipimus, contenti teſtimonio illius, qui de cælo venit, & ſuper omnes eſt, & dicit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Qui etiam in catalogo apoſtolorum inſtar cardinis ab ipſo Domino Ieſu Chriſto primus poſitus, Petrus, id eſt, Cephas extat cognominatus. Cui ſpecialiter & nominatim non tantum ante paſsionem ſuam, verũm & in ipſius articulo paſsionis, mox vt ſui corporis & ſanguinis mirabile myſterium agendum generaliter diſcipulis tradidit, tam oues ſe paſtorum paſtore percuſſo diſpergendas, quàm & vſque in finem ſeculi ad vnum oule, & ad ſe vnum paſtorem colligendas commendando, ait: Simon, Simon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autẽ rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus cõfirma fratres tuos. Ipſum quoq; angelus per mulieres ad videndam reſurgentis magiſtri gloriam nomine inuitauit, cum dixit: Dicite diſcipulis eius & Petro, quia ſurrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Nec non eidem ipſa die reſurrectionis ſuæ, pius & verax magiſter apparuit, quemadmodum venerabilis Euangeliſta Lucas nos inſtruit, dicens: Quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Quam manifeſtationé ſoli Petro prius, deinde illi ſoli cum reliquis condiſcipulis factam, glorioſus coapoſtolus eius Paulus declarat, vbi ad Corinthios ſic ſcribit: Quia ſurrexit Chriſtus tertia die ſecũdum ſcripturas: & quia viſus eſt Cephæ: & poſt hæc vndecim.

Ioan. 3.
Matth. 16.
Matth. 26.
Zacha. 13.
Luca 22.
Marc. 16.
Luca 24.
1. Cor. 15.

Caput XVI.

INſtante quoq; iam ſuæ aſſumptionis gloria, vbi prandebat cum 7. diſcipulis ſuis, Dominus amorem Petri erga ſe tertiò inquiſiuit, & tertiò cõfitenti agnos & oues ſuas tertio, paſcere præcepit: pro quibus qua morte clarificaturus eſſet Deum, in extenſione manuum illius & præcinctione futura eidẽ ſignificauit. Qui nec more, aſſumpto Domino, in medio 120. fratrum exurgens, & profundos ſanctiſsimi Pſalmiſtæ ſenſus ediſſerens, authoritate ſua apoſtolicũ numerum, ſorte annumerato Mathia, ſuppleuit, quem vndenarium remanere nefas credidit. Quibus etiam pariter miſſo ſpiritu ſancto in varijs linguis, cùm quidam ſtuperent admiratione, quidam deridentes inueterata cæcitate, dicerent muſto plenos eſſe, Petrus vno ſancti Ioëlis teſtimonio, & ignaros inſtruxit, & incredulos deſtruxit. Deinde conſtanter improperata illis ſcelerata ſua conſpiratione aduerſus Dominum & Chriſtũ

Ioan. 21.
Act. 1.
Act. 2.
Ioel. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius, qua ipsum authorem vitę morte turpissima tunc condemnantes interfecerant, clarissimis beati Dauid oraculis astruxit illius sanctam resurrectionem, & gloriosam ascensionem, & ab eo in præsentiarum factam spiritus sancti effusionem. Ita compunctis Iudæis, primus apostolorum reis sanguinis Christi pœnitentiam indixit, & eorum protinus tria millia baptizauit.

Psal. 15. *Psal. 109.*

Caput XVII.

Act. 10. & 11.

HIc solus, sicut doctiloquus Euãgelista Lucas testatur, dũ qui dispersi fuerant pro persecutione facta sub Stephano, circuirent ciuitates, nemini loquentes verbum vitæ, nisi solis Iudæis, orans in cænaculo, factus est in excessu mentis: & linteum omnibus terræ quadrupedibus, & reptilibus, volucribusq; cęli refertũ, quatuor initijs submitti de cælo vidit, sibiq; cælitùs dictum tertiò: Surge Petre, occide & manduca: & tertiò ab eò responsum: Quia commune & immundum nunquàm introiuit os meum: tertiò superna voce repetitum, Quod Deus mundauit, tu ne cõmune dixeris: sufficienter instructus, à quatuor mundi partibus gentes quondam immundas in vnitatem fidei congregandas, sicq; fide mundatis eorum conscientijs ab operibus mortuis, & occisa in eis pristina immunditia, cui seruire membra sua exhibuerant, Christo delectabiliter inuiscerandas: tribus nuntijs in mysterio Trinitatis se inuitantibus, immanem aprum illum de sylua gentium, Cornelium Centurionem aggressus, non reluctantem occidit & comedit, quando aqua & spiritu mundatum, Ecclesiæ indidit. Cui coadunatis ipsius domesticis & amicis, dum adhuc loqueretur, spiritus sanctus cecidit super omnes, qui audiebant verbum: & erant loquentes linguis, & magnificantes Deum. Quod nulli Iudæorum, nec ipsis Apostolis vspiam legitur concessum, vt paracleti tantam plenitudinem acciperent priùs, quàm baptismum. Nónne hinc iam luce clarius constat, Petrum primitus ad ædificationem Ecclesiæ Christi Iudæos & gentiles attraxisse, & quasi duos parietes ex diuerso venientes, per angularem lapidem Christum indissolubili charitatis glutine coniunxisse? Qui postea videns messem multã & operarios paucos, Paulum & Barnabam ab Antiochia prædicatores omnibus nationibus destinauit: quibus strenuè officio insudantibus dexteram societatis dedit, vt illi quidem in gentibus, ipse verò in circuncisione esset, sicut in Epistola ad Galatas ostenditur euidẽter. Neq; tamen partito in eos onere, subtraxit se ceptæ vocationi gentium & curæ quam post Asiam ab Illyrico sentit tota Europa & Aphrica, præcipueq; mundi caput, & domina gentium Roma. Nam cum quidam pseudoapostoli turbassent corda fratrum, dicentes eos debere circuncidi secundum legem Moysi, Paulusq; & Barnabas Ierosolymam ijssent, super hac quæstione consulturi, solus Petrus sua authoritate circuncisionis onus atque veteris legis iugum à ceruicibus discipulorum remouit, & gratiam Euãgelij ad plenam salutem credentium sufficere censuit, dicens: Quare vultis imponere graue iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Visum est enim spiritui sancto & nobis nihil oneris vltrà eis imponere. Quam vtique responsione confirmatus doctor gentium Paulus, Galatis protestatur: Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.

Matth. 9. *Act. 13.* *Galat. 2.* *Act. 15.* *Galat. 5.*

Caput XVIII.

Act. 5.

SEd & illud in ipso Petro nihilo minus est animaduertendum, quòd sui corporis vmbra infirmis conferebat optatę sospitatis remedium. Quod nulli sanctorum constat hactenus concessum: nec ille, per quem Petrus potuit, quicquid boni potuit, ex suo sanctissimo corpore aliquando cuiquam tale donum attribuit sanctus sanctorum, sed suo Petro specialiter in magna significatione præsentis & futuræ

futuræ Ecclesiæ hoc reseruauit priuilegium: scilicet quia ipse vtriusq; principalis rector existeret, vtriusq; statũ in se ipso portenderet, quatenus hæc visibiliũ & transiturorũ sacramentorũ secreta virtute, quasi vmbra sua, morbis animarũ in terra curãtis, illam nobis adhuc inuisibilẽ veritatis & beatitudinis solidam speciẽ, velut solidum corpus, exhibeat in cœlis. Quarum differentiam breuiter Apostolus demonstrat. Videmus, inquiẽs, per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciẽ. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Cui concordans Ioannes coapostolus suus, ait: Charissimi filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est. Quòd verò præsens Ecclesia fide & spe saluatur, Paulus sic loquitur: Sine fide impossibile est placere Deo. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Idem in alio locõ: Spe salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Sic modò credendo & sperando, atq; per patientiam expectando quod non vidimus, fide ac spe à peccatis liberati viuimus: quia iustus ex fide viuit. In futuro plenam beatitudinem in re videbimus & possidebimus, qua per charitatem solam sine fastidio satiabimur, cùm apparuerit gloria eius.

1. Cor. 13. *1. Ioan. 3.* *Hebr. 11.* *Roma. 8.* *Habac. 2.* *Psal. 16.*

Caput XIX.

VErùm vestra insolentia nihilipendens talia, specialibus Petri ouibus claudere & interdicere non timet, in quibus temporaliter ad laudem Dei recubabant, ouilia, quas ipse non cessat inuitare & introducere ad sempiternę vitę pascua. Quasi tãtùm ex omnibus sibi compatientes in crucis vltima pœna iam positus attendens, pro eisdem animam ponendo, cum gratiarum actione & pijssima prece in ipsa emissione sui beati spiritus Domino commendauit, dicens: Gratias tibi ago pastor bone, quia oues, quas tradidisti mihi, compatiuntur mihi. Peto ergo vt participent mecum de gratia tua in sempiternum. Ergo prævalebit illis portas vitæ obserare vel obstruere errorum clauiculis, seu sophismatum tendiculis quilibet inimicus, quas potestate, meritis & prece referat & pandit tantus amicus, cui portæ inferi non prævalebunt aliquatenus, & cælis terrisq; præpotẽs rex vltimo desiderio animę suæ & voluntate labiorum suorum à Domino, ad quem mox ibat, erit fraudatus? Absit.

Oratio D. Petri pro cuibus ipsi commissa.

Caput XX.

QVapropter à tanta amentia iam resipiscite, & Latinos verè catholicos, atq; maximi Petri familiariores discipulos, institutionisq; eius deuotiores sectatores cessate subsannando Azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut cæpistis, inferre, si vultis nunc & semper pacem & portionem cum Petro habere. Cuius doctrinam & traditionem in Epistola ad Romanos, sapientibus & insipientibus debitor ille gentium doctor, ad tertium cælum & in paradisum raptus, sic per omnia cõmendat, dicens: Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annũciatur in vniuerso mundo. Ex cuius capituli occasione, beatus & Catholicus doctor Augustinus, in latinaq; lingua clarissimus, atque noster Chrysostomus ait: Fides ista, quam Romani habent, ipsa eademq; est & non alia quæ in vniuerso mundo annuntiatur & creditur: quæ non solùm in terra, sed & in cælis prædicatur: quia Iesus pacificauit per sanguinem suum non solùm terrestria & inferna, sed & cælestia: & hoc est in vniuerso mundo fidem prędicari, per quã omnis mũdus sit subditus Deo. Sed Paulum audite subsequentẽ:

Roma. 1. *Col. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Desiderio videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos. Qui ne putaretur velle aliquid institutioni Petri addere vel demere, expositurquid dixerit ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Et in fine epistolæ monens eos deuitare falsos fratres, & præter doctrinam, quam ipsi acceperant, euntes, ait: Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia, in omni loco diuulgata est. Gaudeo ergo in vobis.

Roma. 2
Roma. 1.

Hæretici et scismatici vitandi.

Caput XXI.

ECce in totius epistolæ serie non inuenitur magnus Paulus fidem Latinorum correxisse, nec vicia redarguisse: sed congratulatus fidei & conuersationi eorum, de perseuerantia commonuisse: cùm non solùm propter reprobam actionem, sed & ob ipsius fidei citissimũ naufragium in Græcos fuerit iniectus acerrimè, ab initio vsque in finem primæ ad Corinthios epistolæ. Quod certè liquet in paucis verbis, vbi ait: Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab his qui sunt Chloës, quòd cõtentiones sint inter vos. Hoc autẽ dico, quòd vnusquisque vestrum dicit: Ego quidẽ sum Pauli, ego autẽ Apollo, ego verò Cephæ, ego autẽ Christi. Diuisus est Christus? Et vbi notauit eos ex arrogantia fallæ & mundanæ sapientiæ, subiunxit: Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: & vtinam regnaretis, vt & nos vobiscum regnaremus: Et inflationi eorum minatus virgam, ait: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris habeat quidam. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Quibus expletis, admonuit eos secum epulari, non infermento veteri, quod totam massam corrumpit: sed in azymis synceritatis & veritatis.

1. Cor. 1.
1. Cor. 4.
1. Cor. 5.
Ibidem.

Caput XXII.

IGitur istis & huiusmdi apostolicis sanctorumq; patrum dictis cum euidenter approbetur Latinorum syncera obedientia, & plurimorum Græcorum improbetur corrupta insolentia, sunt adhuc plura his super hoc, parti nostræ fauentia: quæ si liceret ad medium deducere, non solum excederent modum epistolæ, verumetiam possent armaria onerare. Quapropter his omissis, charitatiuè monemus, ne absentes sitis vobis ipsis: sed vos ante vos constituatis, vias prędecessorum vestrorum & vestras solicitè consideretis, nec vos priuato amore palpetis, & in fratrum oculis festucam explorantes, in vestris trabem non videatis. Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ: quorum conspirationem ipsius Domini nostri Iesu Christi & sanctorum reuerendæ imagines, aut flammis traditæ, aut aquis sunt immersæ: picturæ verò ex parietibus basilicarum deletæ. Quibus quanuis restiterit Romanorum authoritas, præ cunctis tamen sanctissimi papæ Nicolai vbiuis laudanda libertas: qui per legatos suos tam pro sacris imaginibus, quàm pro depositione beati antistitis Ignatij, & substitutione Photij neohpyti ecclesiam agiæ Sophiæ clausit, donec sedis Apostolicæ acquiesceret decretis.

Hæc est Ephesina tertia synodus non Concilium, sed conciliabulum dicenda.

Caput

Caput XXIII.

ABsit autem, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ ecclesiæ contigisse, vt eunuchos contra primũ sancti Niceni Cõcilij capitulũ passim promouendo, fœminã in sede pontificũ suorũ sublimassiet aliquando. Hoc tam abominabile scelus detestabileq; facinus & si enormitas ipsius vel horror, si rarenaq; benevolentia non permittit nos credere: considerata tamẽ incuria vestra erga sanctorum censuram canonum, quia eunuchos & aliqua parte corporis imminutos, non solùm ad clericatum, sed ad pontificatum etiam indifferenter ac solenniter adhuc promouetis, fieri potuisse pensamus: Sed quid plura? Tot & tantis schismaticis & hæreticis, catholicam atque Apostolicam Ecclesiam apertè impugnantibus & discindere laborantibus hactenus redundastis, vt Latina vel occidentalis Ecclesia de vobis meritò conqueri possit, voce sponsæ dicens in Canticis Canticorum: Filij matris meæ pugnauerant contra me. Et verè. Nunquid enim Romana & Apostolica sedes, quæ per Euangelium genuit Latinam Ecclesiam in Occidente, mater non est Constantinopolitanæ ecclesiæ in Oriente, quam per gloriosum filium suum Constantinum, & nobiles sapientesque Romanos non tãtum moribus, sed & muris studuit reparare? Quòd si contradicitis, ad quid vestro Imperatori Latinæ laudes, & in ecclesia Græcis recitantur Latinæ lectiones? Vtique ob reuerentiam illius matris, quæ iam cunctis paganorum crudelitatibus, & diuersorum tormentorum quæstionibus vexata & impugnata, ac velut aurum nimijs persecutorum flammis decocta, deliciosam filiam, videlicet Ecclesiam Constantinopolitanam edidit.

Cant. 1.

Caput XXIIII.

ET certè iam decima à Nerone in Christianos persecutio penitus refrixerat, iam omne mundanæ insaniæ incendium sopitum erat, iam Romana adulta & longæua, in diuino cultu victrix & coronata, alta pace triumphabat. Iam innumerabilis vtriusque sexus & diuersæ ætatis martyrum exercitus, nostris azymis saginatus, vniuersos idolatriæ fregerat impetus: iam mundum & ipsum mundi principem sub pedibus habebat: iam non solùm ipsi nostræ institutionis antistites, sed & ministri eorum, in quibus Laurentius ac Vincentius, omni mundo stupẽte, ipsis tormentis & tortoribus insultabant. Modò delicata filia, in conclaui residens secura, delicijs lasciua, & longo ocio dissoluta, nec ad campum ritè agonizantium aliquando progressa, pia matre fatagente & decertante pro ea, non erubescit aut veretur primatum arrogare, maternæ senectuti iam emeritæ derogare, nec effectum eius corpus laboribus & diebus, rugososque & minùs validos artus, quondam torosos & ad prælia diuina exertos, saltem aliquo humanitatis respectu considerare, nullam reuerentiam reuerendis canis ipsius habere: sed ipsam puellari leuitate post innumerabiles triumphos ad recidiua bella aduersum semet prouocare, & eam solido perfectorum cibo priuatam, ad carnalium lac retrahere, quod contra vsum naturæ, ex ipsis pubertatis suæ mammis, in Aegypto, sicut supradictum est, toties confractis, conatur impudenter ori eius instillare.

Hæreticorum erga Romanam Ecclesiam ingratitudo & impudentia.

Caput XXV.

ET vtinam saltem verum lac. Sed proh dolor non est lac, quo tenera fidelium paulatim nutriatur infantia, vt ad solidam escã pertingat: sed quod Salomon cauendum denuntiat, dicens: Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Et: Væ ei, qui lactat amicum suum, & ducit eum via nõ bona. Nec est aqua, de qua qui biberit, non sitiat

Prouer. 1.
Prou. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioann. 4. sitiat vltrà, quia fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: sed potius aquæ furtiuæ de puteis, quos Palestini lutum non aquam amantes, repleuerunt terra: vel de cisternis dissipatis, seu fluminibus Aegypti & Babylonis, quibus distenditur venter, & grauatus non repletur, sed exinanitur & intumescit, vt more hydropici tanto plùs sitiat ad perniciem, quanto plus biberit. De quibus profectò Dominus per Ieremiam contra quosdam conqueritur, dicens: Me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, & post aliqua. Nũc quid tibi vis in via Aegypti vt bibas aquã turbidam? Aut quid tibi in vijs Assyriorum, vt bibas aquas flumnis? Quas vtique ne sitiamus, idem vetat dicens: Prohibe guttur tuũ à siti. Hinc Salomon, quas aquas appetere, quasq; debeamus vitare demonstrans, ait: Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta. Et in subsequentibus hæreticam vanitatem sub specie stultæ mulieris, visibili quodammodò forma coloratam atque depictam, introducit, dicens. Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, vt vocet trãseuntes per viam & pergẽtes itinere suo. Quis est paruulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit quòd gigantes ibi sint, & in profundis inferni conuiuæ eius.

Ierem. 2. Ibidem. Prouer. 5. Prouer. 9. Prouer. 9. Gen. 26.

Caput XXVI.

QVorum ne sit particeps in tartari flammis, quas vicissim sine fine pascat medullis suis, iam nunc filia recordetur gemitus piæ genitricis, & quot vel quanta pericula propter eam, seu propter sorores ipsius in vtero suo hactenus vidit: & gratia Dei discat talis fieri saltem admonita, qualis bene de se meritam matrem, etiam senio ac assiduo incuruam labore & tremulam, data manu atque suppositio humero studeat subleuare & sustentare, non ad ruinam impellere, deprimere, perturbare vel affligere. Pio affectu & humili corde iugiter perpendat, quid idem Salomon dicat: Stultus homo despicit matrem suam. Et item: Ne despicias, cum senuerit mater tua. Alioquin si, quod absit, pertinax esse voluerit, & piæ matri supercilium eius & arrogantiam adhuc dissimulanti, atque ad satisfactionem patienter expectanti parcere & parere contempserit, experietur in anicula matre virides annos, exertos ad paternarum traditionum defensionem lacertos, adolescentulæ competentem alacritatem, iuuenculæ constantiam efficacem: & iuxta Salomonem, contumax comedet fructus viæ suæ, suisque consilijs saturabitur: quia, sicut idem testatur, Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris, eradicat fundamenta. Et iterum: Quàm malæ famæ est, qui fugit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Et: Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus est & infelix. Qui vtiq; offendere cauet, quisquis placere patri studet, velut etiam quidam sapientum seculi ait. Ne matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Prouer. 15. Prouer. 23. Prouer. 1. Eccles. 3. Ibidem. Prou. 19.

Caput XXVII.

HIs igitur alijs quamplurimis liquet assertionibus, quid mereatur etiam carnalis matris contemptus: & quid de spiritualis genitricis contumelia & exprobratione dicetur? Illa siquidem in iniquitatibus nos conceptos, generauit ad mortem: ista vero culpis remissis, regenerauit ad vitam. Quarum ceu dispar est meritũ, ita & dispar pro earum

Psal. 50.

earum honore vt dedecore præmium: quia carnalem matrem honoranti, longæuitas super morientium terram, & firmamẽtum cæli casura repromittitur, exasperanti autem eam, terrenorum eradicatio fundamentorum. Porrò spiritualem venerantes, longitudinem dierum in dextera Dei videbunt, & in terra viuentium sine fine habitabunt, spernentes verò illam, duplici contritione conterentur, & sicut diploide confusione sua induentur, & radix eorum de terra viuentium euelletur. Etenim affectio carnalis matris si nos prohibet à reuerẽtia spirituali, penitus relinquenda & abscindenda est nobis, vt in Deuteronomio Moyses de tribu Leui dicit: Qui dixerit patri suo & matri, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nesciunt filios suos. Hi custodierunt testamentum tuum, Iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel. Quod denique facturis, Dominus Iesus in Euangelio centuplum hic, & in futuro vitam æternam repromisit.

Deut. 33.

Caput XXVIII.

SEd ecce non debet ingrata filia apparere, quia præ cæteris eam honorare dignata est mater sua. Nã cùm nullo diuino vel humano priuilegio honorabilior seu clarior alijs ecclesijs, Constantinopolitana exstitit ecclesia, & Antiochena atque Alexandrina, ob reuerentiam principis apostolorum, inter alias retentent dignitatis iura: tamen pia mater, Romana scilicet Ecclesia, nolẽs dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot synodis curauit decernere, vt salua primcipalũ & apostolicarũ sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut regiæ ciuitatis episcopus: quanuis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, vt post papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præsul ecclesiæ. Et certè hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quòd Romana ecclesia pro amore venerabilis Constantini, se ipsam, quantum in eo fuit, honorantis & exaltantis ciuitatem ipsius hoc priuilegio honoris sola humana beneuolentia insigniuit, iuxta prophetæ dictum ad Heli: Glorificantem me glorificabo: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

1. Reg. 2.

Caput XXIX.

AVt si quod aliud retinet aut putat se habere dignitatis priuilegium, vos rebelles luminis ac veritati, & signiferi vmbræ & vanitatis, proferte in medium. Vos enim alloquimur, qui, sicut Dominus ait pharisæis, tulistis clauem scientiæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines: nec ipsi intrastis, nec alios intrare permittitis, sed potius prohibetis, dum matris venerandã faciem conspuere quæritis, dum eam insequimini cõuicijs & maledictis, dum agnos eius ab ea segregare etiam anathemate & flagellis, ne vocem maternam agnoscant & sequantur, contenditis. Vt enim fertur, omnes Latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria & abbatibus tulistis, donec vestris viuerent institutis. Ecce in hac parte Romana ecclesia quãto discretior, moderatior & clementior vobis est. Siquidem cùm intra & extra Romam plurima Græcorum reperiãtur monasteria siue ecclesiæ, nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, siue sua cõsuetudine: quin potiùs suadetur & admonetur eã obseruare. Nec enim animositatẽ impiæ hæreseos habet, quæ semper diuisione gaudet, dicens per paricidam meretricẽ: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur. Sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: Obsecro domine, date huic infantem viuum, & nolite interficere eum. Scit nanq;, quia nil obsunt salutiti credentium diuersæ pro loco & tempore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans bona quæ potest, vni Deo commendat omnes.

Luc. 11. 3. Reg. 3.

Caput

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXX.

QVod vos cum ex debito gradus & loci vestri oportuisset scire & prędicare, quatenus de collectis ouibus gratiam à bono pastore non condemnationem pro dispersis merereminí percipere, incurristis illud Apostoli ad Hebræos: Quia cùm debueritis magistri esse ex tẽ pore, iterum necesse habetis doceri, quæ sint elementa sermonum Dei. Zelum enim Dei habetis, sed non secundum scientiam. Quam vt apprehendissetis, non saltu, sed canonico interuallo, immò plano pede ad episco patus culmen, à laica conuersatione peruenire debuistis, ne vobis refragarentur ver ba ipsius Apostoli, de episcopo dicẽtis: Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Nam cum locum doctoris vsurpat indoctus, necesse est, vt aut discat quod doceat: aut cæcus pastor, seu non valens latrare, canis mutus perniciosè sibi & subiectis remaneat: aut discere & tacere erubescens, pernicioſiùs docere præsumat. Raro quoque euenit, vt in culmine positus valeat humilitatem discere, qui in imis non delijt superbire. Huc accedit & illud, quòd albuginẽ habens in oculo, à sacerdotio prohibetur. Albuginem quippe habet in oculo, quisquis arrogantia iustitiæ vel sapientiæ cæcatur.

Hebr. 5.
Rom. 10.
1. Tim. 3.
Esai. 56.
Leuit. 21.

Caput XXXI.

SEd absit, vt religiosi principes & orthodoxi, atque Christianissima & Deo deuota ciuitas vos in hoc vestro errore audiendos putent, quos potius ad vnitatis bonum terrore potestatis cogere debent. Recordentur Cõstantinopolitanos præsules in tantam priscis temporibus familiarissimo sibi morbo superbiæ laborasse, vt edicto Augustorum Theodosij, Arcadij & Honorij, prohibitus sit quisquam ex Constantinopolitana ecclesia pontificatum, defuncto episcopo Sisinio, deinceps sperare, sed ex alia sibi iugiter pontificem expetere: quia erant vanæ gloriæ dediti, & supra modũ arrogãtes, ceu commemorant historiographi. Qui etiam referũt, quòd lxxvj, orientales episcopi Concilium Sardicense declinantes, in Philippopoli Thraciæ anathematizandum conuenticulum habuerunt, sanctam & immaculatam Nicenę synodi fidem adulterantes, communi subscriptione errorem suum confirmarũt. Occidentales verò 300. amplexi sanam sanctorum patrum sententiam, vnanimitate sua corroborarunt. Quod totum ideò dicitur, ne post priorum cognitionem incautè præsentibus credarur.

Vide Nicephorum li. 9. cap. 12.

Caput XXXII.

NAm Romanę ecclesię fides, per Petrum supra petram ædificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in secula, eius Christo Domino rogãte pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quo dicto demonstrauit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa & indeficiente fide Petri, velut firmę anchoræ subsidio sigendam, & in fundamento vniuersalis Ecclesiæ cõfirmandam. Quod nemo negat, nisi qui euidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus eius, totius Ecclesiæ deponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit ostium: sic Petrus & sui successores liberum de omni Ecclesia habent iudicium, cùm nemo debeat eorum dimouere statum: quia summa sedes à nemine iudicatur. Vnde clerici eius cardinales dicuntur, cardini vtique illi, quo cætera mouentur, vicinius adhærentes.

Luca 22.

Caput

Caput XXXIII.

QVapropter nos certissimè retinentes omni venerabilem mundo institutionem Petri, & fidem ipsius coapostoli sui & doctoris gentiũ Pauli, clarissimo calamo subscriptam, ab Apostolica sede liberè omnibus clamamus, quod Galatis idem Paulus: Licet nos, aut angelus de cęlo euangelizet vobis, prętęrquam quod euangelizatum est vobis, anathema sit. Sicut prædixit & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Nec ideo silebimus, si dicimur non esse quales debemus, nec qualis est Petrus. Quod vtique agendum esset, si cuiquam commendaremus nosmetipsos. Quia verò, sicut ait Apostolus, non prędicamus nosmetipsos, sed Dominum Iesum, nos autem seruos seruorum eius per Iesum, nobis pro minimo est, vt à vobis iudicemur, aut ab humano die: quoniam qui iudicat nos, Dominus est. Neque enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et repellendo temerariũ iudicium, dicit alibi: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat, aut cadit: Potens est enim Deus illum statuere.

Galat. 1.
2. Cor. 4.
1. Cor. 4.
2. Cor. 10.
Rom. 14.

Caput XXXIIII.

NEmpe & vos licet quamplurimum tumeatis, quanuis de vobis vltrà modum alta sentiatis, non credimus tamen, quod dicere audeatis, vos esse quales debetis, aut qualis Alexander, Ioannes Chrysostomus vel Flauianus fuit: Sicut nec Antiochenus se talem, qualis extitit ipse Petrus: nec Alexandrinus parem se Marco vel Athanasio profiteri est ausus: quia sine retractione a suis punirentur. Idcirco & si ad hoc vos impellit tumor, tamen retardat timor. Quæ cùm ita sint, nullius tamen vos detractio reprimit, quin diligenter lac & lanam ab ouibus exigatis: nec veremini, ne dicatur non esse vos pares illis antecessoribus vestris magnis. Cur hoc, nisi quia quicunque sacerdotes, & si dispares sunt merito, pares tamen sunt officio? Nec potest denegari pro merito, quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotiũ, si maius aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum, essentq; penè tot sacerdotia, quod homines.

Caput XXXV.

QVa de re fratres, vtinam non ad iudicium nostrum dicamus, profectò sumus qualis Petrus, & non sumus qualis Petrus: quia & idem sumus officio, & non idem merito. Et quotiescunque lac & lanam, scilicet stipendium & honorificentiam ab ouibus Dei exigimus, nulla meriti ibi fit commemoratio, sed officio nostro quæritur debita recompensatio. Ac sic meritũ Petri non habentes, officium autem Petri exequentes, officio nostro debitos reposcimus honores, Apostolo dicente: Quamdiu minister ero, ministerium meum honorificabo. Et præmonens oues Christi ad soluendùm singulis debita, ait: Reddite omnibus debita. Cui honorem, honorem. Non quia bonum sit accipientibus, sed quia malum sit non reddentibus. Sic ergo & beatissimus prædecessor noster Gregorius dicit: Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat: quia ex cathedra eius, cui authore Deo qualescunque præsidemus, debita sibi iura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet euenire quod dicimus, vt persona in hoc mundo potẽs, despectum seruum habeat. Cumque per eum suis, vel extraneis aliqua mandat, non despicitur persona missi serui, quia in corde seruatur reuerentia mittentis domini. Ergóne saltem quod Dominus concesit Pharisæis & scribis sedentibus in cathedra Moysi, seruus denegabit qualibuscunque conseruis suis in cathedra Petri? Super

Roma. 11.
Rom. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt.23. cathedram,inquit,Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Ita quod malè viuimus,nostrum est:quod verò bona
Philip.1. dicimus,cathedræ:cuius occasione necesse habemus recta prædicare. Vnde dicit ille exercitatissimus Paulus:Dũ omnimodis siue occasione,siue inuidia Christus annũtietur:& in hoc gaudeo sed & gaudebo. Ecce Apostolus sic necessarios ducit huiusmodi,vtgaudeat super eis:&vos qui estis,qui negligentiã eorum ad iniuriã Apostolicæ cathedręretorquetis? Nos enim quid sumus? Nec cõtra nos est murmur vestrũ,
Exod.16. Roma.13. sed contra Dominum:cuius ordinationi resistendo,damnationem vobis acquiritis:
Gregorius cùm nostra potestas, sicut & omnis, à nullo alio nisi ab ipso sit. Sciendum est, quia falsa iustitia dedignationem,vera autem compassionem habet. Qua vtique priuami ni,insultãdo,non compatiẽdo alienæ calamitati. Et fortè approbare nequitis,quod obijcere vel calumniari præsumitis:imò cõstat vos comprobare non posse. Sed estò:
Iob 11. Ecce in cœlo iudex noster,& conscius noster in excelsis.

Caput XXXVI.

CAeterùm de homine sentire ô homines quod vultis, vnum tamen conscientia respondet nobis, quia omnium ecclesiarum Dei salutem & exaltationem summoperè desideramus: sed vt quicunque quodlibet ex superbia arripiat,& sibi contra nostram Apostolicam sedem atque leges eius vsurpet, hoc nos tollerare non possumus,quia quisquis Romanæ ecclesiæ authoritatem, vel priuilegia euacuare seu imminuere nititur, non hic vnius ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem &interitum machinatur. Cuius enim compassione vel sustentatione vlterius respirabunt filiæ à quouis oppressæ,vnica illa suffocata matre? Cuius refugium appellabũt? Ad quam confugium habebunt? Ipsa enim Athanasium,ipsa omnes catholicos suscepit,fouit,defendit,& sedibus proprijs pulsos restituit.

Caput XXXVII.

Ecclef.10. Iob 15. Deo cupiendo omnes in visceribus Iesu Christi, nobiscum vos admonemus,ne falsum nomen scientiæ, iustitiæ vel gloriæ quærẽdo,
Eccl.10. vnus aduersus alterum insletur, ne cinis & terra periculosè superbiat, ne abominabilis & miser homo, bibens quasi aquas iniquitatis,sequendo exteriora, in vita sua proijciat intima sua. Simus vnũ
Ephes.4. corpus,&vnus spiritus,sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ. Ipsa corporum compositio membrorum nos doceat,qualiter & quanti habenda sit Ecclesiæ vnitas. Ipsa etenim corpus est Christi, vt Apostolus dicit: Vos estis
1.Cor.12. corpus Christi & membra de membro. Et sicut in vno corpore multa membra habentur, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Singuli autem alter alterius mẽbra. Et si dicit auditus vel manus, non sum oculus,non sum de corpore:ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus & reliqui sensus? Non autem disposuit Deus sicut voluit membra, singula officio suo apta. Membrum verò suo officio non contentum, sed cupiens præripere alienum,conturbat corporis ordinem totum:velut si visus voces,auditus colores, gustus,odores, olfactus asperas res aut lenes, tactus,tentaret discernere sapores. Nonne frustra omnes paterentur? Sic singulorum ornamenta seu indumenta,non sunt omnibus membris accommodata,nec congrua: sed vnumquodque requirit sua,& abijcit aliena. Nempe resutat pes corohan,galeam & pileum,caputque scandalia vel pedules ad suum non applicat vsum. Sic manuum dignitas & maxima vtilitas,quamuis componat insigne Imperij coronam,non tamen hanc sibi adaptat & imponit,sed capiti,contenta suis armillis,dextrocherio & annulis. Idem sit & in

& in cæteris,& tam discors concordia est in eis,vt eorum quodlibet alij officium suum omnino deputare recuset,& tamen de bono vnius pariter exultent,sicut de malo communiter dolent:& officia sua non sibi tantùm, sed magis mutuæ vtilitati exhibent. Vnde secutus idem Apostolus,ait. Si glorificatur vnum membrum,congaudent omnia membra. Et quantæ insipientiæ est, nolle nos imitari quod sumus,& quod ad transitoriam vitam aliquandiu retinendam accepimus non considerare,vt in perpetuum subsistamus? Ibidem.

Caput XXXVIII.

QVia verò ante omnia pestilens mater superbia, eiusque crudelissimæ filię,inuidia scilicet ac inanis gloria,passim obstinata rabie corpus Christi moliuntur euiscerare & dilacerare, non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes ne, quod auertat Deus,contingat nobis dictum Apostoli: Quòd si inuicem mordetis,videte ne ab inuicem consumamini. Et illud Iacobi. Quòd si zelum amarum habetis,& contentiones sunt in vobis,nolite gloriari,& mendaces esse aduersus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens,sed terrena,animalis,diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primò quidem pudica est:deinde pacifica, modesta, suadibilis, amans bonum, sine simulatione. Has itaque duas & valdè sibi contrarias sapientias vigili mente discernite, & si Petrus singulariter figura summi capitis nostri vicariusque eius ac sui successores iam in terris retinent specialem dignitatem terreni cœlestisque regni, nolite inuidere vel detrahere Romanæ Ecclesiæ apici, quem per charitatem totum valetis adipisci, & in nobis regnare & ipsi. Sin aliàs, audietis quod suprà:Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: atque vtinam regnaretis, vt & nos vobiscum regnaremus. *Mater sibi superbia eius proles inuidia & vana gloria.* Galat.5. Ibidem. Iaco.3. 1.Cor.4.

Caput XXXIX.

ECce nos vestram gloriã ducimus nostrã, cur vos annulare nitimini nobis diuinitus &humanitus concessam? Nonne decus vel dedecus sui capitis,manus seu pes suum non ducit? Nec dolet,sed potius gaudet vno sensu,id est, solo tactu donatum corpus, superpositum sibi caput omnibus pollere sensibus, quia eos militare facit & inuigilare corporis subiecti vtilitatibus. & caput iudicans de omnibus,à nullo sensu iudicatur, vtpote solius sui iudicio sufficientissimum: vtque Apostolus dicit,Spiritualis indicat omnia: ipse autem à nemine iudicatur. Hæc & supra dicta de corporis nostri harmonia, si non sentitis in vobis,in corpore non estis, nec in corpore viuitis. Et si in corpore Christi, quod est Ecclesia,non estis, nec de eo viuitis,iam videte vbi & quid sitis. Abscisci estis,putrescitis,& velut palmes præcisus de vite, foras missi estis,& arescitis,vt in ignem mittamini & ardeatis: quod diuina pietas longè faciat à vobis. 1.Cor.2. Ioann.15.

Caput XL.

SEd quia iam nunc videmur digressi modum epistolæ, alio exordio congruum censuimus respondere vestræ calumniæ, quam confratribus & coepiscopis nostris Apulis, scriptam ad sugillationem nostri azymi & prædicationem vestri fermenti, non dubitastis dirigere. Inter hæc dirigimus vestris cauillationibus refragantia venerabilium patrum nostrorum aliqua super his scripta: deinde, vt Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

inspirabit, nostra rescripta, quatenus multipliciter vestra retũdantur & retroferantur iacula, & quem non vultis feriant. Nam si vos non erubescitis nec timetis de loquacitate, nos non tantùm erubescere, quantum timere debemus de taciturnitate: quia de nostra multorum pendent animæ, quæ falsis fratribus calumniantibus, & nobis tacentibus, habent perire.

Caput XLI.



Sta autem vobis paterna pietate ac germana dilectione interim rescribimus, in quibus satis declinasse nos credimus, ne in illud Salomonis inciderimus: Noli respondere stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis. Verùm si nõ resipueritis, experiemini quod idem mox secutus ait: Respõde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Et illud Apostolicum: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Subuersus est enim qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Et cauendo interdictum veteris legis typicum, deinceps non coquenius hœdum in lacte matris suæ: sed impetiginem eius & icabiem fricabimus instãter mordaci aceto, & multo sale: quia cum dolore abscindenda sunt. quæ leni manu palpari & sanari non possunt, vt Dominus admonet, dicens: Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Sed miseratio Dei præcedens hæc nostra dicta, parcet & nobis & vobis, vt deinceps non sit necesse circa quæstiones & pugnas verborum occupari, sed ex diuinis paginis nostram in hoc mundo peregrinationem inuicem consolari, & pacificè adhortari, vt Psalmista: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est istis scandalum: Quòd verò charitas & vnitas fratrum ipsa sit lex Dei, ostendit illud Euangelij: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Quam nos syncerã hic conseruare, & in futuro sine fine ipsam, quæ Deus est, perspicere, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, digne tur concedere, Amen.

Prou. 26.
Ibidem.
Tit. 3.
Exod. 23. 34.
Deu. 19.
Matt. 18.
Psal. 118.
Ioan. 15.
1. Ioan. 4
1. Tim. 2.

Item eiusdem Leonis ix. epistola ad Thomam Carthaginensem episcopum.

Leo episcopus, seruus seruorum Dei, Thomæ confratri charissimo & coepiscopo salutem.



Vm eo venerabilium canonũ, authoritate recolimus CCV. episcopos concilio interfuisse Carthaginiẽsi, & nunc à tua fraternitate audimus, quinq; vix episcopos superesse in tota Africa, vtiq; tertia huius corruptibilis mundi parte compatimur tãtæ vestræ imminutioni totis visceribus animi. Cum autẽ ipsa Christianitatis reliquias ediscimus interna & mutua dissensione discindi & dispergi, & aduersus seinuicem zelo & contentione principatus inflari, nil aliud nobis primò dicẽdum occurrit, quàm illud sancti Amos vatis: Parce Domine, parce obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Sed quanuis in tali tantoq; defectu religionis plurimum doleamus, multum tamen gaudemus, quia sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ sententiam requiritis & expectatis super quæstionibus vestris: & quasi riuulis ab vno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diuersa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reuerti debere optimum putatis, vt inde resumatis directionis vestigium, vnde sumpsistis totius Christianę religionis exordium. Noueris ergo proculdubiò, quia post Romanum pontificem primus archiepiscopus, & totius

Amos 7.

totius Africæ maximus metropolitanus est Carthaginiensis episcopus: nec quicunque sit ille Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrãdi episcopos vel deponendi, seu prouinciale concilium conuocandi habet sine cõsensu Carthaginiensis archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut potestatis sit, exceptis his, quæ ad propriam parochiam pertinent: cætera autem, sicut & alij Africani episcopi, consilio Carthaginiensis archiepiscopi aget. Vnde charissimi confratres nostri & coepiscopi Petrus & Ioannes rectè sentiunt de Carthaginiensis ecclesiæ dignitate, nec consentiunt errori Gummitanæ Ecclesiæ. Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani pontificis, vniuersale concilium celebrari, aut episcopos damnari vel deponi, quia & si licet vobis aliquos examinare, diffinitiuam tamen sententiam, absq; consultu Romani pontificis, vt dictum est, non licet dare: quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis inuenire. Quamuis enim omnibus generaliter apostolis dictum sit à Domino: Quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæcunque solueritis in terra, soluta erunt & in cælo: tamen non sine causa specialiter & nominatim dictum est beato Petro apostolorum principi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Et in alio loco: Confirma fratres tuos. Scilicet quia omnium ecclesiarum maiores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri sedem, á successoribus eius sunt diffiniendæ. Iam quia ad interrogata etiam confratrum nostrorum Petri & Iohannis episcoporum decreuimus respondere, optamus vt sanctam tuam fraternitatem, iugiter inuigilantem vtilitatibus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, atque deuotè pro nobis orantem, sancta & indiuidua Trinitas semper conseruet charissime frater.

Matth. 18.
Matth. 16.
Luc. 22.

Item Epistola eiusdem Leonis IX. ad duos Aphricæ episcopos.

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis in Christo fratribus, Petro & Ioanni episcopis salutem & Apostolicam benedictionem.



Decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum à gentibus nimium dolemus, vt modò vix quinque inueniantur episcopi, vbi olim CCV. solebant per concilia plenaria computari: & vbi pauculas oues, quotidianæ occisioni deputatas, remansisse, vbi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exultabat alta pace. Sed hæc peccatis nostris imputantes, iustitiam creatoris collaudantes timeamus, & misericordiam eius instanter postulemus, vt seruos suos tãdem respicere dignetur. Quòd autem scripsistis nobis, pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ statu nostraq; incolumitate vos Dominum gratias agendo exorasse, nouerit is nos vestræ fraternitati gratias agere & pro consolatione vestra semper orare. Et reuera fratres hoc acceptabile est Domino nostro IESV Christo, vt caput omnibus membris prospiciat & inuigilet, membra verò sui capitis salutem sine intermissione quærant & optent. Bene equidem fecistis, quòd iussis à nobis, concilium de rebus ecclesiasticis habuistis: quod etiã omni anno vel semel agere debetis. Insuper rectè contra Gummitanum episcopũ, dignitatẽ Carthaginiensis Ecclesiæ defendistis: quia sine dubio post Romanũ pontificem primus archiepiscopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus, nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere priuilegiũ semel susceptũ à sancta Romana & Apostolica sede: sed obtinebit illud vsq; in finẽ seculi, & donec in ea inuocabitur nomen Domini nostri Iesu Christi, siue deserta iaceat Carthago, siue resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilio beati martyris Cypriani, hoc ex synodis Aurelij, hoc ex omnibus Africanis cõcilijs, hoc, quod maius est, ex venerabilium prædecessorum nostrorum Romanorum præsulum decretis apertè monstratur: nec quicunque ille sit Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos vel deponendi, seu prouinciale concilium conuocandi habet sine consensu Carthaginiensis archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut potestatis sit: tantummodò procurabit ille Gummitanus episcopus, quæ ad propriam parochiam pertinent. Cætera autem, sicut & alij episcopi Africani, consilio Carthaginiensis archiepiscopi aget, qui solus in Africa pallium ab Apostolica sede habere solet. Vnde & episcopos consecrandi principale & antiquum ius retinet, sicut ex verbis Aurelij in concilio Carthaginiensi, capitulo xxxix. potest intelligi, cum dicit: In Ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas conuenire, crebrò ac penè per diem dominicam episcopos ordinandos habemus, & cætera. Sed hoc vos non lateat, non debere præter * scientiam Romani pontificis vniuersale concilium celebrari, aut episcopos dãnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos episcopos examinare distinitiuam tamen sententiã absq; consultu Romani pontificis, vt dictũ est: non licet dare: quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis inuenire: scilicet quia omnium ecclesiarum maiores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri sedem, à successoribus eius diffiniendæ sunt, vtpote cui diuinitus dicitur: Confirma fratres tuos. &: Tibi dabo claues regni cælorum: & cætera. Nunc quia de archiepiscopis & metropolitanis sententiam nostram requiritis, venerabilium antecessorum nostrorum dicta apertè demonstrant, id est, Clementis, Anacleti, Aniceti, & aliorum, vbi ita legitur: Sacerdotum ordo bipartitus est, nec amplius quàm duo ordines, id est, episcoporum & presbyterorum nobis collati sunt, nec apostoli docuerunt Episcoporum autem ordo vnus est, quamuis alij præferantur alijs, siue pro eo, quòd primas ciuitates, & magis nominatas secundum potentiam, aut leges seculi retinent, siue quòd à sanctis patribus, pro aliqua reuerẽtia sanctitatis, aliquod priuilegium dignitatis possident. Nam sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum à se inuicem distat, id est, vt primus sit Augustus vel Imperator, deinde Cesares, deinde reges, duces & comites atq; tribuni: ita & ecclesiastica dignitas ordinata à sanctis patribus inuenitur, dicente beato Clemẽte: In illis ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atq; primi legis doctores erant, primates vel patriarchæ positi sunt, qui reliquorum iudicia & maiora negotia iustè diffinirent: qui etiam non vni prouinciæ, sed pluribus præessent. Deinde vbi archiflamines erant paganorum, archiepiscopi instituti sunt Christiano rum, qui singulis prouincijs præessent. Vbi verò metropolis erat, quæ interpretatur mater ciuitas, metropolitani erant: quippe qui de tribus aut quatuor ciuitatibus intra aliquam prouinciam maiori & matri aliarum ciuitatum præsidebant. Ifti aliquãdo metropolitani tantùm nominantur, aliquando verò archiepiscopi, si in ipsa prouincia maiores non fuerint aliqui. Vbi autem minores ciuitates habuerint solummodò flamines vel comites, episcopi sunt instituti. Porrò tribuni plebis, non absurdè intelliguntur presbyteri, siue reliqui inferioris ordinis clerici. His omnibus diuino & humano priuilegio prælatus est pontifex Romanus. Sed de Africæ, primatibus aliter intelligẽdum est, quia in singulis eius prouincijs antiquitus primates instituebantur, non secundum potentiam alicuius ciuitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis: quibus tamen omnibus præerat vnus, scilicet Carthaginiensis archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest metropolitanus, propter Carthaginem metropolim totius Africæ, quorum suprà meminimus. Ita legitur in Concilio Carthaginensi, capitulo xxvj. Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tãtùm primæ sedis episcopus. Sanctam vestram fraternitatem iugiter inuigilantem vtilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ, atq; deuotè pro nobis orantem, sancta & indiuidua Trinitas semper conseruet charissimi fratres.

Carthaginensis episcopus solus in Africa pallium habet.

Carthaginen. 3. Concil.

** sententiã Lucæ 22. Matth. 16.*

Sacerdotũ ordo bipartitus.

Clemens Epistola 1. ad Iacobũ fratrẽ Domini.

Vide Distin. 80. In illis ciuitatibus.

Primates vel Patriarchæ.

Archiepiscopi.

Metropolitani.

Episcopi.

Presbyteri.

Romanus pontifex.

Carthaginen. 1. Concil.

Leo

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto fratri & coepiscopo Petro.

Congratulamur vehementer in Domino tuæ sanctissimæ fraternitati, atque multimodas gratias, vt dignum est, referims ei, qui est vera pax & charitas suorum, quòd tandem per te, charissime frater, videtur refloruisse sanctæ Antiochenæ ecclesiæ studium, & sentire quod est sentiendum. In hoc enim cognoscent omnes, quia Christi sumus discipuli, *Ioan. 13.* qui primùm in ipsa magna Antiochia nominati fuerunt *Act. 11.* Christiani: si dilectionem habuerimus ad inuicem, & id- *1. Cor. 1.* ipsum dixerimus omnes, & non fuerint in nobis schismata: si fuerimus perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Neque enim Deus, qui vnus est, in scissuris mentium, sed in sola vnitate, & puro corde habitat, & habitare facit vnanimes in domo. Alioquin domus exasperans erit, nec iam digna vocari Ecclesia Dei, sed synagoga *Psal. 67.* maligni. Porrò sicut calamitosum est, si vnitas deest bonis: ita perniciosum, si adsit malis. Quod ipse ex specula sanctæ illius Ecclesiæ, cui videris designatus diuinitus speculator, prudenti oculo cõsiderans promotionem tuam ad episcopale fastigium, electione cleri & populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam secundum antiquæ consuetudinis religiosum & valdè necessarium studium, Apostolicæ & primæ sedi, cui Deo authore quamuis indigni præsidemus, annuntiare & exponere curasti. In quo facto nouerit tua dilectio nos plurimùm recreatos & gaudiosos in Domino: quia quod maximè oportebat, tibi & ecclesiæ, cui temporaliter præsides, non distulisti efficere. Siquidem ab apostolica tua sede nostram Apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare à dominico, & omnium sanctorum patrum concordi decreto, quo inuiolabiter cunctis in toto orbe terrarum ecclesijs, sancta Romana & Apostolica sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda *Romana sedes, caput omniũ ecclesiarũ.* Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus sanctorum, & Dominus dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis, & totius ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat & præcellat, vbi ipse vertex atque cardo apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in nouissimo die expectat. Nimirũ solus est ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus & saluator asseruit se rogasse, dicens: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego *Lucæ 22.* autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit. Pro cuius excellentia tertiam à Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summoperè monemus, non tuæ gloriæ causa, sed pro sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec reuoceris ab hac intentione cuiuslibet pompa vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum patrum Concilia. Ad quod vtique, si oportuerit, maxima mater, Romana scilicet atque prima sedes, tam dilectæ sibi filiæ, imò consociæ, nusquam & nunquam deerit. Quod totum ideo dicimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ ecclesiæ audiuimus. Porrò quòd à nobis causas diuisionis vniuersalis Ecclesiæ compatiendo requiris, fatemur tuæ religiosæ solicitudini, nos adhuc à Domino miserante firmissimè retinere vinculum sanctæ vnitatis: nec videmus nos alicubi incurrisse damnum schismatis, quos integritas concordiæ, & plenitudo Ecclesiasticæ disciplinæ indesinenter regit. Vnicuique nostrum debetur honor, & sua iura conseruantur. Terminos, quos patres

Fides Romanæ sedis nũ deficiet.

nostri

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebr.12.

nostri fixerunt,nulli arroganter transgredi conceditur.Magis vestra fraternitas circunspiciat,ne qua radix amaritudinis atque dissensionis,quod absit,in vestris partibus succrescat, per quam inquinentur multi, & quàm necesse sit districta falce sanctorum canonum à Catholicæ Ecclesiæ agro extirpari. Mea verò humilitas in culmine Apostolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat,collaudat & confirmat,& communem dominum instanter exorat,vt quod humano ore iam diceris,ante eius oculos existas. Noueris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare,si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel precio,aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario,quod absit, obtinuisti.Sanè fidem tuam,quam proprio scripto summæ & Apostolicæ sedi exposuisti, sanam & catholicam atque orthodoxam per omnia protestamur,& sicut verè vnicam & salutarem amplectimur,& tuæ dilectioni vehementer congratulantes in Domino,eandem nostram esse deuoto corde,& prompto ore profitemur. Firmiter enim credo sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem esse,totamq; in Trinitate deitatem coessentialem & consubstantialem,coæternam & coomnipotentem,vniusque voluntatis, potestatis & maiestatis: creatorem omnium creaturarum: ad quem omnia,per quem omnia,in quo omnia, quæ sunt in cælo & in terra,visibilia & inuisibilia.Credo etiam singulas quasque in sancta Trinitate persona,vnum Deum verum, plenum & perfectum. Credo quoq; ipsum Dei patris filium,verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de patre consubstantialem,coomnipotentem & coæqualē patri per omnia in diuinitate, temporaliter natum de spiritu sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationli: duas habentem natiuitates,vnam ex patre æternam,alteram ex matre temporalem: duas voluntates & operationes habentem:Deum verum,& hominem verum: proprium in vtraque natura atque perfectum: non commixtionem atque diuisionem passum, non adoptiuum neque phantasticum: vnicum & vnum Deum, filium Dei in duabus naturis,sed in vnius personæ singularitate: impassibilem & immortalem diuinitate, sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis passione,& sepultum,ac resurrexisse à mortuis die tertia vera carnis resurrectione: propter quam confirmandam, cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola voluntate & potestate comedisse, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit,& anima ascendisse in cælum,& sedere in dextera patris:inde decimo demisisse spiritum sanctum & inde ficut ascendit venturū iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuiq; secundum opera sua. Credo etiam spiritum sanctum plenum & perfectum verumq; Deum,à patre & filio procedentem, coæqualem & coessentialem,& coomnipotentem,& coæternum per omnia patri & filio, per prophetas locutum.Hanc sanctam & indiuiduam Trinitatem,non tres deos,sed in tribus personis,& in vna natura siue essentia, vnum Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem & incommutabilem:ita credo & confiteor,vt patrem ingenitum, filium vnigetum,spiritum sanctum nec genitum,nec ingenitum, sed à patre & filio procedentē, veraciter prædicem. Credo sanctam Catholicam & apostolicam, vnam esse veram ecclesiam,in qua vnus datur baptismus,& vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis,quam nūc gesto, & vitam æternam. Credo etiam noui & veteris testamenti legis,& prophetarum & apostolorum vnū esse authorem Deum & Dominum omnipotentem:Deum prędestinasse solummodo bona: præsciuisse autem bona malaq;: gratiam Dei præuenire & subsequi hominem credo & profiteor,ita tamen,vt liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.Animam non esse partem Dei,sed ex nihilo creatam,& absque baptismate, originali peccato obnoxiam credo & prædico. Porrò anathematizo omnem hæresim extollentem se aduersus sanctam Ecclesiam Catholicam,pariterq; eum, quicunque aliquas scripturas, præter eas,quas Catholica Ecclesia recipit in authoritate ha-

Fidei Romanæ Ecclesiæ explicatio.

Prædestinatio. Gratia Liberū arbitrium. Anima.

te habendas esse crediderit,vel veneratus fuerit.Quatuor concilia omnimodè recipio,& velut quatuor Euangelia veneror: quia per quatuor partes mundi, vniuersalis Ecclesia in his,tanquam in quadro lapide, fundata consistit. Primum, Nicenū cccxviij. patrum,sub beato Syluestro papa Romano,& Constantino Augusto Magno: Cui præfuerunt Victor & Vincentius Romani presbyteri. Secundum Constantinopolitanum primum cl. patrum, sub Damaso papa, & Theodosio maiore. Tertium Ephesinum primum cc. patrum,sub Cælestino papa,& iuniore Theodosio. Quartum Chalcedonense Dcxxx. patrum,sub beato Leone papa, & Marciano Augusto. Pari modo recipio & veneror reliqua tria concilia,id est,secundum Constantinopolitanum,sub Vigilio papa & Iustiniano Augusto.Deinde tertium Constantinopolitanum contra Monotheliſtas,sub Agathone papa & Constantino nepote Heraclij. Vltimum secundum Nicenum sub Adriano papa & Constantino Irenæ filio,pro reuerendis Domini Iesu Christi & sanctorum imaginibus. Quicquid supradicta vij. sancta & vniuersalia concilia senserunt & collaudauerunt,sentio & collaudo: & quoscunque anathematizauerunt, anathematizo. Hanc fidem sancta Romana & Apostolica sedes corde credit ad iustitiam: & ore confitetur ad salutem. Secundum hanc viuere,Domino donante,studet,& pro eius defensione, si oportuerit,mori parata est. Quam & in te frater charissime perfectam cognoscimus,& secundum eam te viuere nobiscum admonemus, profectò scientes, quia fides sine operibus mortua est.Salutamus cum omni fraternitate seu collegio sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis tuam fraternitatem sanctam,cunctumq; collegium in Domino tibi subiectum: & vt pro nostra gemina salute omnipotentem Dominum iugiter exores precamur plurimum reuerende & desiderabilis frater:

Ita D. Gregorius epistola 24. li.1. & 49. lib. 2. Concilium Nicenū 1. Constantinopolitanum 1. Ephesinū 1. Chalcedonense. Constantinopolitanum 2. Constantinopolitanum 3. Nicenū 2. Iacob.2.

Item epistola eiusdem ad Michaelem Constantinopolitanum episcopum.

Leo Episcopus,seruus seruorum Dei,dilecto confratri Michaeli Constantinopolitano archiepiscopo

SCripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos peruerunt,in quibus ad maximè necessarium, omnibusq; Christi fidelibus,amplectendum bonum concordiæ & vnitatis exhortari studes: quatenus post nimium longas & perniciosas discordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exultet. Ad quod vtique te prouocantem & præmonentem tanto promptius auscultare cupimus, quanto vigilantius animaduertimus hanc solam esse propriam & specialem virtutem piorum atque sanctorum: cum cæteræ virtutes bonis & malis esse possint communes,Domino sic præmonstrante:In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli,si dilectionem habueritis ad inuicem. Et Deiloquo Paulo protestante: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam,sine qua nemo videbit Deum. Vnde plurimum tuæ fraternitati congratulamur in Domino,quoniam summum desiderium nostrum tua industria anticipasti: quod vtique si aliquo frigore charitatis pigritaretis exequi,nostra debueras solertia præueniri.Nos enim iuxta præfatum Apostolū, si fieri potest,cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus. Quanto magis ergo tecum,quem videmus Ecclesiæ Dei valdè vtilem & necessarium posse fore ministrum,si non transgredi laboraueris terminos, quos patres nostri posuerunt? Et quia Christianæ perfectionis est,pacificum esse etiam cum inimicis pacis, spe correctionis,non consensu malignitatis,tāto solicitiùs debemus omnes occasiones scan-

Charitas, virtus propria sancto rum. Ioan.13. Hebr.12. Rom.12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dalorum de medio tollere, quãto tenaciùs optamus pacis amicos retinere. Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumoriam diu pertulit ad aures nostras, quæ nos partim quia incredibilia videbamur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiscussa hucusque reliquimus. Denique diceris neophytus, & non gradatim prosiluisse ad episcopale fastigium: quod nullatenus esse faciendum, & Apostolus edocet, & venerabiles canones interdicũt. Hinc noua ambitione Alexandrinum & Antiochenum patriarchas, antiquis suæ dignitatis priuilegijs priuare contendens, contra omne fas & ius tuo dominio subiugare conaris. Quod quanto tuo periculo tentes, omnibus sanæ mentis patet: quandoquidẽ vana gloria & pompa seculari elatus consilium diuinitatis antiquum super stabilimento columnarum suæ Ecclesiæ * contendis, quasi ex fallacibus diuitijs præiudicium facturus illi, qui cùm vere & singulariter diues esset, pauper prò nobis factus, delegit suæ temporali natiuitati oppidulum, & speluncæ diuersorium, non quodlibet regum palatium. Cuius exempla quisquis horret, ad sortem illius pertinet, qui tunc per se, nunc autem per suos satellites dicere audet: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Sed non cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus, qui dispergit superbos in furore suo: & respiciens omnem arrogantem humiliat, & exurgit vt non prævaleat homo, in cuius conspectu non est Deus. Ne enim superbia propter altitudinem suam se coniunctam putaret Deo, dicit Psalmista: Alta à longè cognoscit excelsus Dominus. Vnde per semetipsum testatur: Quod altum est hominibus, abominabile est apud DEũ. Qualis verò & quàm detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega vsurpatio, qua te vniuersalem patriarcham iactas vbique & scripto & verbo, cum omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis post Christum conuenientiùs posset insigniri hoc vocabulo, quàm cui dicitur diuina voce: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? & cætera. Veruntamen quia ille non inuenitur vniuersalis Apostolus dictus, quamuis princeps apostolorum sit constitutus, nullus successorum eius tam prodigioso prænomine consensit appellari penitus, licet magno Leoni prædecessori nostro & successoribus ipsius, hoc sancta decreuerit Chalcedonensis synodus. Nempe animaduertebant nõ esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari: quin potius paranymphum & leonem Antichristi, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes vester, cuius vesanæ adinuentionis adhuc hæredes permanetis, qui secundum Psalmistam pro vos adhuc vocat nomina sua in terris suis, cum interijt non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria eius ad infernum: quia cum in honore esset, non intellexit. Ipse à beatissimis pontificibus Pelagio & Gregorio, successoribusq; eorum pro hac insolentia anathematizatus, in sua pertinacia irreuocabilis perijt, iamq; per quadraginta & quadringentos annos suæ contumaciæ sequaces præcipitare nõ cessauit. Quibus quid profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit? Transierunt omnia velut vmbra. Quid denique prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Et quomodo animas pro fratribus habẽtis ponere, qui inane nomen & vniuersam Ecclesiam scandalizans dedignamini deponere? Resipisce ergo rogamus ab hac insania, ne illius consors tu quoque, quod absit, fias de quo dicitur: Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Illud autem quis non stupeat, quod post sanctos & orthodoxos patres, per mille & viginti à passione saluatoris annos, nouus calumniator Ecclesiæ Latinorũ emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicunque participarentur sacramentorum ex azymis? Quam præsumptionem tuam & fama nobis obtulit, & literarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestauit, quæ violenter astruere conantur fermentatũ panem fuisse, quo Dominus Apostolus suis corporis sui mysterium in cœna commendauit. Quod omnino falsum esse ex vtroque testamento facilimè deprehenditur: quia qui non venerat soluere legem

* Hic deest, mutare, aut aliquid eiusmodi.

2. Cor. 8.
Esaiæ 14.
Esaiæ 55.
Iob 40.
Psal. 9.
Psal. 137.
Luca 16.
Matth. 16.
2. Thes. 2.
Psal. 48.
Sapient. 5.
Matth. 16.
Iob 41.
Matth. 5.

gem sed adimplere, iuxta ipsius legis præceptum, ex azymis & vino vetus pascha adimpleuit, & protinus ex azymis & vino nouum, sicut apertè Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, & apud quemcunque inueniebatur, peribat anima eius de populo suo. Quod si in cœna Domini Iesu apparuisset, aut ipse seu discipulis eius quoquo modo gustatassent, iustè sicut præuaricatores legis perirẽt, nec ipse Dominus diceret suis infidiatoribus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cùm hoc solo perderetur iustè. Sed qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, quod passurus discipulis mandauit, euidenter per Apostolum, in quo loquebatur commemorans inquit: Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Deniq; modicum fermentum totam massam corrumpit. Vbicunque autem corruptio, ibi proculdubiò naturæ deterioratio, & alicuius vitij susceptio. Porrò nostrum pascha ideo nouum dicitur, quia illud vetus præceptum est Israelitis in memoriam suæ egressionis ex Aegypto: istud verò Christianis in memoriam dominicæ passionis, qua ad patrem transiuit ex hoc mundo. Sed quia tam de his, quàm de alijs, quibus nos calumniaris, latiùs à nostris nuncijs per alia scripta nostra, quæ deferunt, instrueris, hic breuiter attigisse sit satis. Discat autem fraternitas tua saltem admonita, cautè & humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat & tibi: Ex abundantia cordis os loquitur. Scripsisti siquidem nobis, quoniam si vna ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes ecclesiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum. Quid hoc monstri est frater charissime? Romana ecclesia, caput & mater ecclesiarum, membra & filias non habet? Et quomodò potest dici caput aut mater? Credimus enim, propter quod & loquimur atq; constanter profitemur, Romana ecclesia adeò non est sola, vel sicut tu putas vna, vt in toto orbe terrarum quæcunq; natio dissentit superbè ab ea, non sit iam dicenda vel habenda ecclesia aliqua, sed omnino nulla: quin potius conciliabulum hæreticorum, aut conuenticulum schismaticorum, & synagoga Satanæ. Videris dicere illud sancti Eliæ, tunc præsumentis de se: Relictus sum ego solus. Sed audi quid ille audiuit à Domino: Reliqui mihi septem millia virorum. Quiesce, quiesce iam venerabilis frater ab his superstitionibus, ne illud Salomonis in te dicatur: Sunt qui se diuites affectant, nihil habentes. Similimum nempe hoc est diabolicæ arrogantiæ, qui regna mundi à conditore omnium facta putans sua esse, dixit illi: Hæc omnia tibi dabo. Igitur hinc iam ad cor redeatur, & tam pernicioſa scandala de medio tollantur, & tunc secundum Psalmistam loquetur Dominus pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Nam nos cum pertinacibus & in errore suo permanẽtibus pacem aliquam habere non possumus, ne operibus malignis communicemus: quia nec Dominum Christum alicubi talia fecisse inuenimus: cum etiam in natiuitate ipsius angeli pacem annunciauerunt solummodò bonę voluntatis hominibus. Qui etiam oculum scandalizãtem eruendum, manum vel pedem scandalizantes abscindendos insinuat. Cessent ergo hæreses & schismata, & diligentibus legem Dei tam non erit scandalum, sed pax multa. Quicunque gloriatur Christiano nomine, cesset Romanã, sanctam & Apostolicam ecclesiã maledicere & lasceſcere: quia frustrà patrem familiãs honorat, quisquis eius vxorem exhonorat. Et frustrà matrisfamiliãs caput & faciem magnificat, qui minimos filiorum eius impugnans, tanquam digitos pedum illius conculcat. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Quàm malæ est fame, qui fugit patrem: & est maledictus à Deo qui exasperat matrem. Et in Prouerbijs: Oculum qui subsannat patrem, & [illegible]cit matrem, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Confidimus tamen ex diuina pietate, quòd ab his innoxius aut correctus inuenieris, aut certè admonitus citò corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra iam ad nos non reuertetur: sed super te requiescet ceu super pacis filium: & regnabit inter nos germana charitas, de corde puro, & cõ-

Luca 22.
Exod. 12.
Ioan. 8.
1. Pet. 2.
2. Cor. 13.
1. Cor. 5.
Matth. 13.
Luca 6.
3. Reg. 19.
Rom. 11.
Prouer. 13.
Matth. 4.
Psal. 84.
Luce 2.
Matth. 18.
Psal. 118.
Eccles. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcientia bona,& fide non ficta:nec neceſſe habebis nobis ſupplicare,ſed iubere.Super hæc,ſicut cœpiſti,collabora,vt duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis tuam honorabilem fraternitatem ſancta Trinitas in perpetuum conſeruet. Data menſe Ianuario,indictione ſeptima.

Leo epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei,glorioſo & religioſo Imperatori nouæ Romæ Conſtantino Monomacho,dilecto filio ſalutem.

QVantas gratias referre iugiter debeamus creatrici & gubernatrici omniũ,ſanctæ & indiuiduæ Trinitati, ſuper inenarrabili dono eius,quo operatur omnia in omnibus, etiam ex tua deuotione & religioſa induſtria,glorioſiſsime fili atque ſereniſsime imperator, perpendere poſſumus: qui te talem noſtris exhibuit,& grata pietate prouidit diebus,cuius fida ope ſtatum ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ releuãri,& terreni Imperij rem publicam meliorari confidamus. Tu enim poſt nimium longas & pernicioſas diſcordias,primus pacis & concordiæ monitor, portitor & exoptatus exactor efficeris,& cum ipſo vaſe electionis humilimo Paulo dicere videris: Pro Chriſti legatione fungentes,tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus reconciliamini propter eum,qui eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnũ, etenim velut religioſa & egregiæ indolis proles,gemitus matris tuæ non obliuiſceris: nec contemnendam,quia ſenuit,ſed potius reuerendam arbitraris,atque plenis charitate viſceribus,ad eam redire meditaris,vt vni Deo & patri omnium tanto fias charior & propinquior,quanto eidem principali matri benignior atque humilior. Neque enim tuam prudentiam latet,quod in Eccleſiaſtico habetur.Benedictio patris,firmat domos filiorum: maledictio autem matris, eradicat fundamenta. Et illud: Ne dimittas legem matris tuæ,liga eam in corde tuo iugiter. Quæ vtique proverbia magis curant nobis commendare matrem,quæ ad æternam vitam nos generat & erudit,quàm illam quæ ad mortem parit,& carnaliter diligit & inſtruit. Cui niſi illa ſucceſſerit, vt regeneret & refoueat, iſta proculdubiò ſecundæ morti filios ſuos deſtinat.Porrò hæc catholica mater & incorrupta virgo,quamuis omnem terram & fines orbis occupauerit membris ſuis & repleuerit, tamen vnum caput omnibus reuerendum & ſuſcipiendum exerit & prætendit. Quod quicunque exhonorat,fruſtrà ſe in ipſius membris computat.Illud autem quid ſit,tua Imperialis claritas omnino nouit.Illud nimirum,quod Chriſti vox prætulit,& præminere voluit vniuerſis,& ſubſequens Eccleſiæ pietas,& generalis ſanctorum patrum conſenſus iugiter hactenus celebrauit.Cuius venerabilem faciem tu quoque honorificare diſponis,non ingratus illi,quæ tuum verticem diademate terreni principatus decenter inſigniuit,& tremendum & amandum populis effecit,& vt in ſempiternum regnes,chriſmate adoptionis inũxit,Nempe ipſa antiqua & iam emerita Roma illum primum nobiliſsimum & religioſiſsimum Conſtantinum,cuius genealogia gloriaris,& potentia magnificaris,cuiusq; de nomine dictam vrbem famoſam regis,temporaliter edidit,nutriuit,prouexit,& ſuper omnes mortales conſtituit, nec à beneficijs ceſſauit,donec eundem æterni regni gloria cumulauit.Vnde multimoda gratiarumactione tuam excellentiam glorioſiſsime fili magnificando,tanto maiori ſuper tua deuotione & recognitione replemur gaudio, quanto copioſior animarum numerus ex tuo regimine pẽdet,tuoq; innititur exemplo.Et ideo nõ ceſſamus orare cõmunem dominũ,per quẽ reges regnãt,& principes iuſta decernũt,vt in ſuo beneplacito te conſeruet longæuum,& compleat in honis deſiderium tuum.Porrò ego qualiſcunq; Apoſtolicæ vicarius ſedis,pro modulo humilitatis meæ & poſsibilitatis ſupplere laborans vicem mihi cõmiſſæ diſpenſationis,ſecundũ Deiloquum Paulũ,

1.Cor.4. Epheſ.1. *2.Cor.5.* *Epheſ.2.* *Eccleſ.7.* *Eccleſ.3.* *Prouer.1.* *Prouer.8.*

Væ mihi eſt,ſi non euangelizauero:neceſsitas enim mihi incumbit maxima,poſtu- *1.Cor.9.*
ro rationem æterno & diſtricto iudicij,propter vnius regimen eccleſiæ,ex omnium
eccleſiarum merito. Illa ergo ſolicitudine, qua omnibus eccleſijs debeo inuigilare,
videns indiſciplinatam & alienam gentem incredibili & inaudita rabie, & pluſquam pagana impietate aduerſus eccleſias Dei inſurgere paſsim, Chriſtianos trucidare, & nonnullos nouis horribilibusque tormentis vſque ad defectionem animæ
affligere,nec infanti, aut ſeni, ſeu fœminæ fragilitati aliquo humanitatis reſpectu
parcere,nec inter ſanctam & prophanam aliquam diſtantiam habere,ſanctorum ba
ſilicas ſpoliare, incendere, & ad ſolum vſque diruere, ſæpiſsimè peruerſitatem eius
redargui, commonui, obſecraui, prædicaui, opportunè importuneque inſtiti, ter- *Eccleſ.7.*
rorem diuinæ & humanæ vindictæ denuntiaui. Sed quia Sapiens ait: Nemo poteſt
corrigere,quem Deus deſpexerit,& ſtultus non corrigitur verbis:adeò obdurata &
obſtinata eius malitia permanſit, vt de die in diem adderet peiora peſsimis. Vnde
non tantùm exteriora bona pro liberatione ouium Chriſti cupiens impendere, *Rom.15.*
ſed ſuper impendi ipſe peroptans,viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitiæ eorum,
vel ſi ſic expediret,ad repreſsionem contumaciæ, humanam defenſionem vndecun
que attrahendam fore.audiens ab Apoſtolo principes non ſine cauſa gladium por- *1.Petr.2.*
tare:ſed miniſtros Dei eſſe,vindices in iram omni operanti malum:& quia principes
non ſunt timori boni operis, ſed mali: & reges atque duces miſſos à Deo ad vindictam malefactorum. Suffultus ergo comitatu,qualem temporis breuitas & immiens neceſsitas permiſit, glorioſi ducis & magiſtri Argyroi fideliſsimi tui colloquium & conſilium expetendum cenſui, non vt cuiuſquam Nortmannorum, ſeu aliquorum hominum interitum optarem,aut mortem tractarem.ſed vt ſaltem humano terrore reſipiſcerẽt, qui diuina iudicia minimè formidant. Intereà nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus,& illis ex aduerſo omnem ſubiectionem fictè pollicentibus, repentino impetu comitatum noſtrum aggrediuntur:ſed adhuc de victoria ſua potius triſtantur, quàm lætẽtur.Sicut enim tua pietas ſcribere curauit ad noſtram conſolationem,pro iſta ſua præſumptione maiorem
in proximo expectant ſibi ſuperuenturam indignationem, poſt illam,quam experti
ſunt, ſuæ cateruæ diminutionem. Nos quoque diuinum adiutorium nobis affore,
& humanum non defore credentes, ab hac noſtra intentione liberandæ Chriſtianitatis non deficiemus nec dabimus requiem temporibus noſtris, niſi cum requie ſanctæ Eccleſiæ periclitantis.Ad quam acquirendam & obtinendam,habemus maximum ex diuina pietate ſolatium & præſidium, chariſsimum atque clariſsimum filium noſtrum Imperatorem Henricũ, cuius de die in diem expectamus promiſſum & proximum aduentum,vtpote cum procinctu & expeditione Imperiali properantis ad noſtrum ſubſidium. Ad quod etiam ſuperna gratia tuam ſerenitatem animauit,vthinc inde vobis duobus,velut totidem brachijs,inimicam gentem ab ecclesia Chriſtipropellentibus & procul effugantibus,afflictæ nunc Chriſtianitatis releuetur decus,& Reipubl. reformetur ſtatus. Et quia abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate, ſancta Romana eccleſia & Apoſtolica ſedes nimiũ diu obſeſſa fuit mercenarijs & non paſtoribus,à quibus ſua, non quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentib: deuaſtata iacebat miſerabiliter hactenus diuinum conſilium voluit meam humilitatem ſuſcipere tantæ cathedræ pondus.Quo licet plurimùm mei imbecilles prægrauentur & deprimantur humeri,non paruum mihi ſubeſt ſanctæ ſpei,quandoquidẽ ex vtroq; latere tales aſtãt filij, religione & potentia præclariſsimi.Quapropter deuotiſsime fili,& ſereniſsime Imperator,collaborare nobis dignare ad reuelationem tuæ matris ſanctæ Eccleſiæ,& priuilegia dignitatis atq; reuerẽtiæ eius,nec non patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, ſicut manifeſtè cognoſcere poteris ex venerabilium prædeceſſorũ noſtrorũ ſeu tuorum ſcriptis & geſtis.Tu ergo magnus ſucceſſor Magni Conſtantini ſanguine,nomine & imperio factus,vt fias etiam imitator deuotionis eius erga Apoſtolicã ſedẽ exhortamur,&quę ille mirabilis vir poſt

Christum eidem sedi contulit & confirmauit & defendit, tu iuxta tui nominis etymologiã, constanter adiuua recuperare, retinere & defendere. Ita enim apud Deum singulariter pugnans, cognominaberis, quod iam dudum inter homines cognominaris. Hoc sane gloriosissimus filius noster Henricus perficere molitur in suis partibus. Quæ omnia nobis & vobis prouenient felicius & multiplicius, vbi quantotius Dei gratia præueniente & beatissimus apostolorum principibus interuenientibus, & me qualicunq; vicario eorum mediante & obtinente, firmissimum pacis & amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus. Præterea confrater noster archiepiscopus Michael exhortatorias ad concordiam & vnitatem direxit nobis literas, quê ad tam optabile & necessarium bonum præmonentem tanto necesse est nos deuotius & alacrius suscipere, quanto perspicacius consideramus non posse computari inter discipulos Christi aliquem, qui fratetnæ paci dedignatur acquiescere, Domino, suis dicente: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem: & magno Paulo sic protestante: Pacem sequimini cum omnib. & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Sed nouerit tua claritas super præsumptionibus eius iamdudum peruenisse ad aures nostras, qualiter etiam aperta persecutione in Latinam Ecclesiam exardescẽs, anathematizare non timuit omnes, qui sacramenta attrectant ex azymis: & quòd Alexandrinum & Antiochenum patriarchas antiqua dignitate sua priuare contendens, contra fas & ius sibi subdere noua ambitione appetit, & pleraque quæ vsurpare dicitur, sicut à nostris nuntijs diligenter cognoscere poteris. In quibus si, quod absit, pertinax fuerit, pacem nostram nullatenus retinere poterit: quia proculdubio ad nos reuertetur, sicut Dominus dicit, si illle noluerit esse filius pacis. Vnde & Apostolus: Si fieri, inquit, potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Siquidem in vano patremsimilias honorat, qui vxorem eius exhonorat. Et frustrà matris familiàs caput & sacr magnificat, qui vel minimos filiorũ eius impugnans, velut digitos pedum eius conculcat. Contra quem sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat: Quàm malæ famæ est, qui fugit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Confidimus tamen, quòd perueniente gratia Dei, inuenietur innoxius ab his, aut correctus, aut citò resipiscet admonitus: & efficietur non qualis dicitur, sed qualis à nobis pie desideratur & speratur. Hinc iam tuæ gloriæ præsentes filios nostros sanctæq; Romana & Apostolicæ sedis nuntios per omnia commendamus, quatenus vt decet liberaliter suscipiantur, reuerenter habeantur, benignè & honestè tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantotius nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustrà arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat. Porro ex Amalfitano episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, & ab Amalfitanis discedens, familiariter nobiscum viuit iam penè anno integro. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali, repleatque omni gaudio & pace, vt in præsenti seculo per longa tempora feliciter domineris, & in fuutro sine fine cum rege regum, & Domino dominantium regno cælorum beatè perfruaris, honorabilis & desiderabilis nobis in Christo fili & glorioſe Auguſte, Amen.

Alludit ad cognomen Monomachus.

Ioan. 13.

Hebr. 12.

Lucæ 10.

Roma. 12.

Eccles. 3.

2. Cor. 1.

FINIS.

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCK.
MANNVM.

ANNO SALVTIS
M. D. LXIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca